CONSTITVTIONES DECLARATIONES ET ORDINATIONES CAPITVLORVM GENERALIVM ORDINIS PRÆDIC.

Ab Anno M C C X X. vſque ad M D C L. emanatæ,

Ex probatis eorundem Actis in Ordinis Archiuio aſſeruatis

IVSSV REVERENDISS. P. N.

F. IO. BAPTISTAE DE MARINIS
MAGISTRI GENERALIS
exſcriptæ, digeſtæ, atq; euulgatæ


A PATRE

F. VINCENTIO MARIA FONTANA
Sacræ Theologiæ Mag.

Filio Conuentus S. Mariæ Super Mineruam eiuſdem Ord.

PARS SECVNDA.

De ijs, quæ ſancita ſunt pro ſingulis Prouincijs.



ROMÆ, Ex Typographia Franciſci Caballi. M. DC.LVI. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

AD
LECTOREM.

TErminatis in Prima Parte, quæ à Generalibus Capitulis in commune totius Ordinis bonum fuere ſancita,ad illa,quæ pro ſingulis Prouincijs in eiſdem ſunt ordinata accedentes, te Lectorem beneuolum admonemus,nos hic ea tantum, quæ in eorundem Capitulorum Actis recenſentur,relaturos. Si quæ ergo Prouinciæ ſpecialibus gaudeat Apoſtolicis Priuilegijs, de quibus nullus in præfatis Actis habeatur ſermo, cum illa nobis non innotuerint,recenſere hic nequaquam valemus. Addentes, quod ab Ordinis primordijs vſq; ad Capitulum Romanum 1542. nullæ ſpeciales pro particularibus Prouincijs emanauere leges,ſed cunctæ, quæ fiebant, pro toto Ordine mandabantur; in præfato verò Capitulo quædam pro Prouincijs Hiſpaniæ, & Siciliæ tantum ſancitæ fuere, vt ſuo loco cognoſces; in ſubſequentibus autem vſque ad Valliſoletanum 1605. moderatiſſimæ etiam pro alijs Prouincijs emanauere ordinationes. Tandem Romæ 1608. omnibus Prouincijs peculiaris, pro ſpectantibus ad ipſas, conſtitutus fuit §. qui mos in ſubſequentibus poſtea Capitulis ſemper obſeruatus eſt. Dum in hoc igitur opere Capitula,Romanum 1608. Pariſienſe 1611. Romanum 1612. Bononienſe 1615. Vlyſſiponenſe 1618. Mediolanenſe 1622. Toloſanum 1628. Romanum 1629. Romanum 1644. Valentinum 1647. & tandem Romanum 1650. abſque alia ſpeciali nota citata inuenies, in §§. pro eiſdem Prouincijs tales haberi ordinationes ſcias.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

M. A. Oddus Viceſg.

Imprimatur.

F. Raymundus Capiſuccus Sac. Pal. Ap. Mag. Ord. Prædicatorum.

Digitized by Google

SERIES
PROVINCIARVM
ORDINIS
PRAEDICATORVM.

LICET iuxta ſuarum ferè antiquitatem inſtitutionum locum, & præcedentiam, tam in Choro, quàm in Capitulis, & vbique ſortitæ ſemper fuerint noſtri Ordinis Prouinciæ, in Generali tamen Capitulo Romæ ann. 1553. habito, ad tollendas in futurum omnes, quæ poſſent oriri difficultates, locus fuit ſingulis in hunc modum præſcriptus declarat. 7. *Declaramus conformiter ad ea, quæ in Actis vetuſtiſſimorum Capitulorum Generalium reperta ſunt, quod deinceps in Capitulis Generalibus, & vbique Prouinciæ noſtri Ord. ſeruare debeant infraſcriptum ordinem, iuxta quem tenebunt loca ſua. Videlicet.*

Prouincia Hiſpaniæ.
P. Franciæ.
P. Romana.
P. Vngariæ.
P. Angliæ.
P. Datiæ.
P. Terræ Sanctæ.
P. Bohemiæ.
P. Trinacriæ.
P. Portugalliæ.
P. Bethicæ.
P. Sancti Thomæ.
P. S. Crucis Indiarum.
P. S. Io. Bapt. de Perù.

P. Toloſana.
P. Vtriuſque Lombardiæ.
P. Regni.
P. Teutoniæ.
P. Poloniæ.
P. Græciæ.
P. Aragoniæ.
P. Saxoniæ.
P. Dalmatiæ.
P. Scotiæ.
P. Germaniæ Inferioris.
P. Calabriæ.
P. S. Iacobi de Mexico.
P. S. Vincentij de Chiappa.

P. Sancti Antonini de Nouo Regno.

Qui

Qui ordo in ſubſequenti Gen. Capitulo Romę an. 1558. congregato (reſtituto Prouinciæ Dalmatię ſupra Prouinciam Trinacrię, atque Prouincię Prouincię, & Hibernię, cuius nulla facta fuerat mentio in ſuperadicto Capitulo, debito loco) fuit in hunc modũ cõfirmatus. confirmat. 14. *Confirmamus determinationem factam circa ordinem Prouinciarum, hoc addito, quòd reſtituimus Prouinciæ Dalmatiæ locum ſibi in præcedenti Capitulo præreptum à Prouincia Trinacriæ abſque praiudicio iurium einſdem Prouinciæ Trinacriæ, & recenſemus Prouinciam Hiberniæ an. 1536. à Paulo Papa III. ſeparatam, & erectam, & à Magiſtro Ord. acceptatam, damusq. ei locum inter cæteras. Quarum ordo talis eſt, Videlicet.*

1	Prouincia Hiſpaniæ.	2	Prouincia Toloſana.
3	P. Franciæ.	4	P. Vtriuſque Lombardię.
5	P. Romana.	6	P. Regni.
7	P. Vngarię.	8	P. Teutonię.
9	P. Anglię.	10	P. Polonię.
11	P. Dacię.	12	P. Græcię.
13	P. Terræ Sanctę.	14	P. Aragoniæ.
15	P. Bohemię.	16	P. Prouincię.
17	P. Saxonię.	18	P. Dalmatię.
19	P. Trinacrię.	20	P. Portugallię.
21	P. Scotię.	22	P. Bethicę.
23	P. Germanię Inferioris.	24	P. Sancti Thomę.
25	P. Calabrię.	26	P. S. Crucis Indiarum.
27	P. Hibernię.	28	P. S. Iacobi de Mexico.
29	P. S. Io. Bapt. de Perù.	30	P. S. Vincentij de Chiappa.
31	P. S. Antonini denouo Regno		
	Pro Choro dextrxo.		Pro Choro ſiniſtro.

Tractu autem temporis aliquæ ex ſupradictis, graſſante hæreſi, atque impia Maometica Secta, penitus deſtructæ ſuut Prouinciæ, atque diuina aſſlante gratia aliæ in Ordine fuere inſtitutæ. Videlicet.

		32	Prouincia Occitana.
33	P. S. Dominici Venetiarum.	34	Nexſciouanenſis in Armenia.
35	P. S. Catarinę Mart. de Quito.	36	P. S. Laurentij de Chile.
37	P. SS. Roſarij Philippinarũ.	38	P. S. Hyppoliti m̃. de Oaxaca.
39	P. S. Petri Martyris.	40	P. S. Catarinæ de Senis.
41	P. Ruſſiæ.	42	P. Pariſienſis.
43	P. Lithuanię.	44	P. S. Marię de Candelaria.

Dequibus omnibus proprio loco tractabimus.

Pro

Digitized by Google

PRO
PROVINCIA HISPANIAE.
I.

HISPANIAE Prouincia inter cœteras noſtri Ordinis iure merito primum ſibi vẽdicat locum. Hęc enim ſanctorum fœcunda parens dum D. Patrem noſtrum Dominicum orbi dedit, Catholicam Eccleſiam mirum in modũ ditauit. Cũ Ordinis confirmatione ſua ſumpſit primordia; nam cũ Fratrum Cœnobia diuina afflante gratia in dies multiplicarentur, in Generali Capitulo Bononiæ M. CC. XXI. celebrato S. Pater Dominicus ſexaginta Conuentus in diuerſis Orbis partibus pia fidelium liberalitate iam conſtructos, in octo diſtinxit Prouincias, quarum principem, Hiſpaniæ; ſecundam, Franciæ; tertiam, Lombardiæ; quartam, Romanam; quintam, Prouinciæ; ſextam Theutoniæ; ſeptimam Vngariæ; octauam verò Angliæ nominauit; ita enim in pręfati Capituli Actis à P. F. Bernardo Guidonis noſtri primi ſęculi Alumno conſcriptis habetur. *Anno Domini M. CC. XXI. Celebratum fuit Bononiæ ſecundum Capitulum Generale à B. Dominico, in quo fundatis iam per Orbem ſexaginta circiter Conuentibus, dicti Conuentus per octo Prouincias ſunt diſtincti, ſcilicet Hiſpaniam, Franciam, Lombardiam, Romanam, Prouinciam Prouinciæ, Theutoniam, Vngariam, & Angliam.* Pręfecitque S. Pater huic P. F. Suggerium, vt ex M. S. Archiuij Magiſtri Ord. conſtat.

Perſeuerauit vna in omnibus Hiſpaniæ Regnis hęc Prouincia, vſque ad annum Dom. M. CC. LXXXXVIII. quo Patres noſtri in Generalibus Comitijs apud Metim congregati, tandem in duas diuidendam eſſe Prouincias per modum inchoationis, congruum iudicantes, ſanxere; quod & in ſequenti Capitulo Maſſilię ann. 1300. (nam ann. 1299. non fuit celebratum Capitulum, eo quia Magiſter Ord. fuit menſe Nouembris factus S. R. E. Cardinalis.) fuit approbatum. Et tandem Colonię ann. 1301. confirmatum; ita enim in pręfati Capituli Actis confirmat. 1. dicitur. *Confirmamus has Conſtitutiones, quòd Prouincia Hiſpaniæ diuidatur; & diuidimus eam in duas, ita quòd Caſtella, Legio, Gallecia, & Portugallia ſint vna Prouincia, & vocetur Prouincia Hiſpaniæ, & teneat primum locum à dextris: Aragonia verò, & Catalonia, & Nauarra ſint alia Prouincia, & vocetur Prouincia Aragoniæ; & teneat locum in dextero choro poſt Prouinciam Gratiæ; & hoc habet tria Capitula.* Fuit iterum temporis tractu hęc in duas alias diuiſa Prouincias, nempè Beticæ, & Portugalliæ, vt ſuo loco dicetur.

Fugato autem ob aſſidua bella, frequentes peſtilentias, atque Eccleſię Ordiniſque ſchiſmata ab hac, ſicut & à cœteris Ordinis Prouincijs, regularis obſeruantię rigore, vt cum de Prouincia Vngarię tractabimus, fuſius dicetur, ſuperna illuceſcente gratia, in aliquibus eiuſdem Prouincię Cœnobijs tandem aliquando fuit reſtitutus, ex quibus vitę regularis Congregatio, ſicut in Lombardię, ac Romana contigerat prouincia, coaluit, quę longo temporis decurſu maximo cum Ordinis incremento floruit, illiuſque Generalis Vicarius in Reuerendiſſ. P. F. Leonardi de Manſuetis Peruſini Magiſtri Ord. Regeſtis recenſetur P. F. Io. de Sancto Martino ann. Dom. 1474. (antea actorum annorum autem Regeſta Magiſtrorum Ordinis, temporum iniuria, periere) quo pręfatus Magiſter Generalis datis litteris Romæ 15. Iulij eãdem Congregationem cum Prouincia vniuit, eius Vicario pręfato amoto. Ita enim habetur in Regeſt. Prouinc. Hiſpaniæ ante dicti Mag. Ord. *Vniuerſa Prouincia fuit ſcripta littera in qua ſunt quædam ordinationes pro reformatione Prouinciæ; & primò quòd omnes Conuentus reformati, & ſimiliter Monaſteria ſint ſub omnimoda poteſtate Prouincialis, & fuit abſolutus F. Io. de S. Martino Vicarius Obſeruantiæ, & omnis alius Vicarius: & quòd Prouincialis poſſit facere Vicarium ſuper Conuentibus reformatis, & Patribus eorum; & quòd omnes teneantur ire ad Capitulum Prouinciale, & poſſint etiam Reformati fieri Diffinitores Capituli Prouincialis, & Generalis, & quòd fiat ſtudij promiſſio in Conuentibus reformatis, ad quos miſſi ſe conforment cum eis, aliter expellantur, & quòd Prouincialis poſſit viſitare omnes Conuentus, non extendendo viſitationem vltra ſex dies, in qua ſit præſens Vicarius Reformatorum, qui etiam poſſit ad placitum viſitare; & fuit factum præceptum Prouinciali* (qui erat tunc P. F. Andreas de Thauro) *quòd reformet quotquot Conuentus idoneos nouerit; alios reducat ad bonam vitam, & cuſtodiam votorũ, &c. ſub dat. Rom. 15. Iunij 1474.*

Die

Die autem ſequenti idem Magiſter Ord. ſcripſit præfato Io: de Sancto Martino, antedictas ordinationes ipſum, Fratreſque ſibi ſubditos non afficere, niſi ſtante eorundem conſenſu. Ita enim ſubditur in eodem Regeſto. *F. Io: de Sancto Martino Vicario Generali Conuentum Reformatorum in Prou. Hiſpanię, & omnibus Conuentibus, & Fratribus Reformatis fuit ſcriptum, quod ordinationes ſupra proximè narratæ non haberent locum neque effectum, niſi in quantum approbarentur ab eis; aliàs autem ſi nõ placerent, eſſent nullius valoris, & ad cautelam fuit inſtitutus dictus F. Io. in Vicarium ſicut priùs cum clauſulis opportunis, & quod nullus inferior eum poſſit in officio impedire; nullis obſtantibus &c. Si autem ſupradictæ ordinationes acceptarentur ab eis, tunc ligarent, & non aliter. Sub dat. 16. Iulij. 1647.*

1. Prædictas autem ordinationes non approbauere Fratres Regularis vitæ, vnde nec vnio cum eadem Prouincia fuit ſubſequuta; & paucos poſt menſes alium Magiſter Ordinis Conuentibus reformatis præfecit Vicarium, nempe P.F. Alfonſum de S. Cypriano: ita enim in dicto Regeſto conſpicitur. *F. Alfonſus de Sancto Cypriano denuo inſtituitur Vicarius Generalis omnium Conuentuum, Monaſteriorum, & Locorum Reformatorum Prouinciæ Hiſpaniæ, & eximitur ab omni cura Prouincialis, & cuiuſcunque inferioris; & præcipitur ſub pœna grauioris culpæ Conuentibus Siuiliæ, & Placentiæ quod dicto Vicario obediant. Dat. Romæ vltima Nouemb. 1474.* Vtque incepta regularis obſeruantia in hac Prouincia maiora ſumeret incrementa, aliam eidem Vicario dedit epiſtolam in fauorem eiuſdem Congregationis, ſequentis tenoris. *Vicario Generali præſenti, & futuro Conuentuum Reformatorum datur auctoritas recipiendi, & aſſignandi Fratres vndecumque aduenientes in ſuis Conuentibus, & Fratres Reformati non poſſint ſine licentia petita, & obtenta ire ad Cõuentuales; alias tã ipſi, quam eos recipientes, incurrant pœnã grauioris culpæ, & ſententiam excommunicationis, à qua non poſſint abſolui niſi à Magiſtro Ord. vel ab ipſo V... rio Hiſpaniæ, excepto mortis articulo &c. Dat. Romæ 1. Decemb. 1474.*

Cum præfata igitur diuiſione perſeuerauere Conuentus Hiſpaniæ, ita vt aliqui ad Prouinciam; alij verò ad Congregationem Vitę Regularis pertinerent; donec tandem diuina afflante gratia multiplicatis obſeruantiæ Conuentibus à Iulio Papa II. præfata Congregatio fuit in Prouinciã reformatam erecta, eiuſque inſtitutio fuit in Generalibus Comitijs Mediolani 1505. celebratis acceptata, creatuſque primus eiuſdem nouæ Prouinciæ Prouincialis P.F. Didacus Madaleno, qui præfatæ Congregationi ſub Vicarij nomine præerat. Ita enim in eiuſdem Capituli Actis ſancitum apparet. Acceptat. vlt. *Item acceptamus tranſlationem Congregationis Hiſpaniæ de Vicariatu in Prouincialatum factam, hoc per S.D.N. Iulium Papam II. & vt ſuper Didacus Madaleno mutato nomine Vicarij, Prior Prouincialis appelletur, mandantes omnibus, & ſingulis Prioribus ac Fratribus dictæ Prouinciæ, vt ei tanquam vero & indubitato Prouinciali pareant, & obediant.* Romæ autem 1542. declarat. 1. fuit vbique datus ſuper omnes alios Prouinciales, Priori Prouinciali huius Prouinciæ, & Diffinitoribus ſuper alios omnes locus, præſcripto etiam pro hac Prouincia die defenſandæ Cathedræ in Generalib. capitulis. *Declaramus quod P. Prouincialis Hiſpaniæ teneat primum locum in Generali Capit. & præcedat omnes alios Prouinciales & eodem modo fiat, quo ad locum de Diffinitionibus in anno Diffinitorum, & diſputatio Feriæ. 3. Pentecoſtes detur Prouinciæ Hiſpaniæ; ſicut prima datur Pariſijs, ſecunda Bononiæ.* Pro regularis igitur obſeruantiæ conſeruatione ſequentia, in diuerſis Generalibus Capitulis fuere ſancita: confirmatis, etiam ordinationibus alias à Magiſtris Ordinis factis inter quas, quæ à P. F. Thoma Turco in ſua viſitatione editę fuere, ita approbatæ ſunt Rom. 1650. *Confirmamus peculiariter pro hac Prouincia* (Scil. Hiſpanię) *omnes & ſingulas ordinationes à Reuerendiſſ. P. Mag. F. Thoma Turco, piæ memoriæ poſt ſuam viſitationem tum toti Prouinciæ generatim tum ſingulis Conuentibus, ac ſtudijs in eadem ſalubriter præſcriptas, ac relictas.*

1 Sorores Cõuerſæ in huius Prouinciæ Monaſterijs, quando recipiuntur, non indigẽt cõſenſu, ſeu voto duarum partium Monialiũ dicti Monaſterij, ſed ſufficit vt recipiantur à maiori parte earum. Romæ 1650. *Quantùm ad moniales Conuerſas quot ſuffragiorum calculi pro legitima earum receptione ſint neceſſarij, remittimus Prouinciam iſtam ad generalem declarationem nouam ſuperiùs hac de re vniuerſim omnibus inſinuatam.* In declaratione autem 9. Præfati Capituli ita dicitur. *Declaramus Conſtitutionem illam diſt. 1. cap. 13. tex. 3. qua ſtatuitur, quod Conuerſus à Priore Prouinciali, aut aliquo de ipſius licentia non recipiatur niſi de conſenſu Prioris, & duarum partium Fratrum, qui ſunt de Conuentu, pro quo eſt induendus, non extendi ad Sorores Conuerſas, cum nihil de hoc in ipſarum proprijs Conſtitutionibus expreſſum habeatur.*

2 Inſtituendi in Lectores Biblicos ſaltim per triennium Theologiam docuiſſe teneantur. Romæ 1650. *Declaramus ſtatutum vltimi Capit. Valentini, quo exigitur vt qui Lector Biblicus inſtituendus fuerit, priùs Artium, ac Theologiæ curſum legiſſe debeat, ita accipiendum eſſe, vt quoad prælectiones Theologicas ſaltim triennium expleuiſſe teneatur.*

3 Vt ſexdecim tantùm Prouinciæ Magiſtri eſſent, & Præſentati triginta ſex, ex quibus quatuor eſſent Prædicatores Generales, ſanci-

cum

tum fuerat Romæ 1580. conceſſione 4. tali pacto. *Concedimus eidem Prouinciæ* (ſcilicet Hiſpaniæ) *ad eius etiam petitionem, quia numerus Conuentuum illius Prouinciæ magnus eſt, & ſimiliter numerus Conuentuum, in quibus Studia Generalia extant, quod liceat plures Magiſtros, & Præſentatos creari in illa Prouincia, ita quod ſint ſexdecim Magiſtri, & non plures, & triginta ſex Præſentati, & non plures; & quod ex his Præſentaturis quatuor ſint aſſignatæ pro Prędicatoribus hac forma ſeruata, quod mortuo vno Predicatore occupante pręſentaturam ex illis quatuor ſignatis pro Prędicatoribus, alius Prędicatorum eligatur in illam pręſentaturam; Nullus tamen ex Prędicatoribus eligatur in aliquam pręſentaturam ex illis triginta duobus, quę pro Lectoribus debent eſſe aſſignatæ ſecundùm Acta huius Capituli Generalis.* Veruntamen in ſubſequenti Capitulo Romę 1583. ord. 16. ad eiuſdem Prouincię petitionem ſancitum fuit, Magiſtrorum numerum eſſe debere 12. & Pręſentorum 30. quod & in ordinatione 16. in qua taxatus fuerat numerus Graduatorum in ſingulis Prouincijs, fuit confirmatum hoc modo. *In Prouincia Hiſpanię Magiſtri erunt 12. Pręſentati 30. Prędicatores Generales, quot ſunt Conuentus.* At verò poſtea in ſequenti Capit. Romę 1589. conf. 29. fuit iterum redactus Graduatorum numerus iuxta prius ordinata Romę 1580. ita vt Magiſtri ſint ſexdecim, Pręſentati verò triginta ſex, ſub his verbis. *In Prouincia Hiſpanię Magiſtri erunt ſexdecim; Pręſentati triginta ſex; Prędicatores Generales tot, quot ſunt Conuentus.*

In Generali autem Capitulo Valentiæ. 1647. hàbito pręfatus numerus quaternarius Pręſentaturę titulo prędicationis, ad ſenerariũ fuit in hunc modum protractus. *Concedimus ad petitionem dictę Prouincię* (ſcilicet Hiſpaniæ) *vt numerus graduum Præſentaturæ titulo prædicationis, qui vſque adhuc fuit in numero quaternario, ſit in ſenario; & qui ad talem gradum promoti fuerunt, gaudeant omnibus priuilegijs, & gratijs, quibus gaudere ſolent qui Præſentaturæ gradu in prædicta Prouincia perfruuntur.*

4 Placentinum Studium, Generalium priuilegijs debet gaudere. Valentiæ 1647. *Concedimus quòd Studium Conuentus noſtri S. Vincentij Placentini prædicta noſtræ Prouincię Hiſpaniæ inter Studia Generalia computetur, ita vt in ipſo poſſint examinari Fratres ad audiendas confeſſiones, & ad verbum Dei prædicandum, ſicut in alijs Generalibus Studijs eiusdem Prouinciæ fieri conſueuit.*

5 Vt Priores Conuentuum de Atocha, & S. Thomę Matritenſis conuenire poſſent inter ſe, vt quilibet ipſorum cũ in alterius Cœnobio extiterit, omnes Priores, & Magiſtros, pręter Priorem dicti Conuentus, pręcederet, conceſsũ illis fuerat Tholoſæ 1628. quod ita fuit quoq; cõfirmatum Romę 1644. *Confirmamus, quod & aliàs eſt ordinatum in Capitulo Generali Tholoſæ 1628. ad ſubmouendas contentionum occaſiones, vt Priores Conuentuum de Atocha, & S. Thomæ Matritenſis inter ſe conuenire poſſint, vt quilibet ipſorum, cum alter in alterius Conuentu extiterit, omnes Priores, & Magiſtros præcedat, præter Priorem ipſius Conuentus.*

6 Arceantur ab omnibus Congregationibus intermedijs, & Capitulis qui non ſunt de corpore Capituli. Romæ 1629. *Ordinamus vt ab omnibus Capitulis, & Congregationibus intermedijs huius Prouinciæ arceantur omnes, qui non ſunt de corpore Capituli, præceptis, ſub pœna inhabilitatis ad omnia officia adhibitis, niſi adſit expreſſa licentia Prouincialis, ac Diffinitorum.* Et Toloſę 1628. de Congregationibus intermedijs ita mandatur etiam. *Congregationi intermediæ intèreſſe non poſſint niſi illi tantùm, ad quos iuxta diſpoſitionem Capitulorum Generalium de iure pertinet.*

7 Non poſſunt aliarum Prouinciarum Prouinciales Fratres ſibi ſubditos ad hanc mittere, exceptis Anglis, & Hibernis. Romę 1629. *Ordinamus, & omnino prohibemus omnibus Prouincialibus, & Vicarijs Prouinciarum, & Congregationum, ne impoſterum Fratrem aliquem ad hanc Prouinciam mittant, niſi de expreſſa licentia Magiſtri Ordinis, Anglis, & Hibernis exceptis.*

8 A Priore, & in eius abſentia à Confeſſario, ſunt Moniales, tam ad habitum, quam ad profeſſionem recipiendæ. Toloſę 1628. *Declaramus Moniales recipiendas eſſe ad habitum & profeſſionem à Priore tantùm Conuentus, & eo abſente, à Confeſſario ipſarum, non autem à Superiore, aut alio Pręſidente.*

9 Conuentus Palentinus in Studium Generale fuit erectus Tholoſę 1628. *Erigimus in Studium Generale ſeruatis ſeruandis Conuentum noſtrum S. Pauli de Palentia, qua in Vrbe S. Pater N. Dominicus ſtudijs operam dedit.*

10 Vt Socij non eligantur in Conuentibus pro electione Prioris Prouincialis, indultum fuit huic Prouincię, dummodo Apoſtolicum diploma de hac re cõſequeretur. Toloſę 1628. *Concedimus vt à Summo Pontifice indultum petat ne ſocij eligantur pro electione Prouincialis, quo obtento liberè vti poſſint.* Quod indultum Apoſtolicum, & obtinuit, & obſeruat, pro vt mihi nunciatum eſt.

11 Vt in Antiph. *Salue Regina* poſt Completorium dum cantantur illa verba *Eia ergo aduocata noſtra &c.* Fratres flecterent genua, incepit in hac Prouincia cõſuetudo, quæ Vlyſſiponę 1618. fuit ita approbata. *Approbamus piam huius Prouinciæ conſuetudinem, qua dum Antiph. Salue Regina. poſt Completorium cantatur, ad illa verba:* Eia ergo. *Omnes Frates genua flectant.* qui ritus pro toto Ordine fuit poſtea ſancitus Valentię 1647. vt in P. P. *De Salue Regina* dictum eſt.

12 Lectores Conuentus, & Studij Generalis S. Thomę Abulenſis ibidem gradus pro more illius Vniuerſitatis ſuſcipere poſſunt. Boniæ 1615. *Concedimus Patribus Lectoribus Conuentus, & Studij noſtri Generalis S. Thomæ Abulenſis, vt ibidem gradus pro more illius Vniuerſitatis iuxta formam eiuſdem ſuſcipere poſſint, quatenus eidem Vniuerſitati incorporati, priuilegijs eiuſdem gaudere, & gradus quoſcumque ſimiles in eadem Vniuerſitate alijs conferre valeant. Ad quos quidem gradus ſuſcipiendos deſtinamus quatuor Patres in eodem Conuentu pro tempore degentes, videlicet duos Lectores Theologiæ, Mag. Studentium, & pro quarto aliquem Patrem gradum in noſtro Ordine habentem; hac tamen lege, quòd ſi ſint duo, aut plures dicti Conuentus Patres graduati, illi qui iam in Prouincia ſunt acceptati, alijs præferri debent: & ſi multi fuerint, qui iam in Prouincia priuilegijs gaudeant, ex illis antiquior ad huiuſmodi gradus conferendos aſſumatur. Quòd ſi nulli ex graduatis inueniantur, aliquis ex Patribus doctioribus dicti Conuentus, qui officio lectoris functus fuerit, à Priore, de conſilio Lectorum, & Magiſtri Studentium eligatur. Approbamus inſuper omnes gradus hactenus à Fratribus noſtris in eadem Vniuerſitate Abulenſi ſuſceptos; declarantes quòd nullus ex tali promotione priuilegijs, vel titulis in Ordine noſtro gaudere poteſt.*

13 Alternatiua in electione Prioris Prouincialis Apoſtolica auct. Pauli V. P. M. ſancita fuit in hac Prouincia Pariſijs 1611. Hoc pacto. *Pro communi bono Religionis, pacis, & ſtudiorum, Auctoritate Apoſtolica à Sanctiſs. D. N. Paulo Papa V. ſuper hoc ſpecialiter conceſſa, & noſtra, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, vt in præfata noſtra Hiſpania Prouincia, Priorum Prouincialium electiones impoſterum alternatiuè fiant hoc modo, videlicet. Quòd cum modernus dictæ Prouinciæ Prior Prouincialis ſit ex filijs Conuentus S. Pauli Valliſoleti, in primo futuræ electionis Prouinciali Capitulo eligatur ex filijs Conuentus S. Stephani Salmanticenſis; in ſecundo, ex filijs reliquorum Conuentuum; in tertio ex filijs præfati Conuentus S. Pauli Valliſoletani, & ſic deinceps in perpetuum, dummodò ad id munus obeundum digni, ac habiles in dictis Conuentibus inueniantur, & non aliter. Quòd ſi ſecus factum fuerit, præſenti decreto, ex nunc pro tunc irritum, caſſum, & nullum fore decernimus, & declaramus.* Hæc autem alternatiua iuſtis de cauſis fuit poſt præfati Capituli celebrationem ab Illuſtriſs. Card. de Aracœli F. Auguſtino Galamino Apoſtol. auctoritate moderata, atque acceptata etiã Romæ 1612. hoc modo. *Acceptamus moderationem vltimò factam ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. de Aracœli dum eſſet Magiſter Ordinis qui auct. Apoſtolica, & ad petitionem grauiſſimorum virorum moderatus eſt alternatiuam factam in Capitulo Pariſienſi ann. 1611. videlicet, quòd electiones Priorum Prouincialium in illa Prouincia alternatiuè ſemper fierent; nempè vt in proximè futura electione eligeretur Prior Prouincialis, qui ſit filius S. Stephani Salmanticenſis; in ſecunda filius Prouinciæ; in tertia filius Conuentus S. Pauli Valliſoletani, quam ſic moderatus eſt; videlicet: Quòd cum modernus dictæ Prouinciæ Prior Prouincialis ſit ex filijs Conuentus S. Pauli Valliſoleti, in primo futuræ electionis Prouinciali Capitulo eligatur ex filijs Conuentus S. Stephani Salmanticenſis; in ſecundo ex filijs reliquorum Conuentuum; in tertio ex filijs præfati Conuentus S. Pauli Valliſoletani; in quarto ex filijs reliquorum Conuentuum; in quinto iterum ex filijs S. Stephani Salmanticenſis; & ſic deinceps in perpetuum modo, & ordine præfato. Quod ſi ſecus factum fuerit, dicta Auctoritate Apoſtolica totum irritum, caſſum, & nullum fore declarauit.* Antequam autem talis Alternatiua ſanciretur. Hæc fuerant de electione Prouincialis ordinata Romæ 1580. conceſs. 1. *Concedimus Prouinciæ Hiſpaniæ ad eius petitionem, quòd poſtquàm Prior aliquis Prouincialis illius Prouinciæ functus fuerit officio ſuo, tempuſque durationis officij fuerit tranſactum, vel non finito hoc tempore ipſum Priorem Prouincialem mori, vel amoueri contigerit, non poſſit alius in Priorem Prouincialem eligi, qui ſit filius legitimus, vel adoptatus eiuſdem domus, cuius erat præcedens Prior Prouincialis, vſque quo ex filijs aliorum Conuentuum, vel domorum alij duo ſint ſucceſſiuè electi in Priores Prouinciales, & confirmati, & ambo, & quilibet eorum per aliquod tempus ſint functi ſuis officijs in illa Prouincia.*

14 Magiſterij, Præſentaturæ, vel Prædicatoris Generalis gradus non dentur niſi habentibus requiſita iuxta Conſtitutiones noſtras. Romæ 1612. *Concedimus eidem Prouinciæ ad eius inſtantiam, quòd gradus Magiſterij, Præſentaturæ, vel Prędicatorum Generalium non dentur, niſi præhabita conſultatione, an illi, qui ad gradus prædictos promouentur, habeant requiſita iuxta Conſtitutiones, & ſint digni vt talibus honoribus ornentur.*

15 Collegio, & Studio Generali S. Gregorij Valliſoletani conceſſum eſt, vt in eo omnes gradus ſuſcipi valeant. Romæ 1608. quod fuit eiſdem prorſus verbis confirmatum Pariſijs 1611. ſub hoc tenore. *Confirmamus conceſſionem in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1608. factam Collegio, & Studio noſtro Generali S. Gregorij Valliſoletani, vt in eo poſſint ſuſcipi omnes gradus, tam Præſentaturæ, quam Magiſterij, ad eum prorſus modum, & formam, qua in alijs Studijs Generalibus Prouinciæ noſtræ Hiſpaniæ recipiuntur: Nec teneantur graduandi plures actus exercere, quàm in alijs Studijs Generalibus eiuſdem Prouinciæ fieri conſueuerit.*

16 Idem priuilegium fuit conceſſum Conuen-

nentui S. Mariæ de Atocha. Ita ſubditur in præfato Capitulo Pariſienſi 1611. *Eandem gratiam concedimus Conuentui S. Mariæ de Atocha, & Studio in eo conſtituto, quod erigimus in Studium Generale, ita vt in illo ſuſcipi poſſint omnes gradus cum eadem ſolemnitate, eiſdem, & non pluribus actibus, quibus ſuſcipiuntur in præfato Collegio Valliſoletano.*

17 Vt Patres vocati ad Congregationem loco Capituli intermedij poſſent eligere Diffinitorem Capituli Generalis conceſſum fuerat huic Prouinciæ. Pariſijs 1611. *Approbamus, & confirmamus declarationem factam à Reuerendiſs. P. N. Generali pro Prouincia Hiſpaniæ, quòd Patres vocati in Congregatione loco Capituli intermedij poſſint eligere Diffinitorem Capituli Generalis, quando non fuit electus in Capitulo Prouinciali, qui gaudeat loco, priuilegijs, & gratijs, quibus gaudere ſolent electi ad hoc officium in Capitulo Prouinciali.* Veruntamen oppoſitum fuit poſtea pro toto Ordine ſancitum Romę 1629. ord. 12. *Vide ſupra parte 1. De Congregat. Intermedijs.*

18 Studium Conuentus S. Pauli Valliſoletani fuit erectum in Vniuerſitatem Valliſoleti 1605. Conceſs. 2. *Concedimus in Prouincia Hiſpaniæ ſtudio noſtri Conuentus S. Pauli Valliſoleti, vt ſit Vniuerſitas, ſicut de facto in Vniuerſitatem erigimus, cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus aliæ Vniuerſitates eiuſdem Prouinciæ gaudere ſolent.*

19 Licentiæ à Reuerendiſs. Magiſtro Ordinis Fratribus huius Prouinciæ conceſſæ, exequutioni non mandentur, donec P. Prouinciali notificentur. Romæ 1601. Conceſs. 5. *Concedimus Prouinciæ Hiſpaniæ, vt licentię Fratrum à Reuerendiſs. P. Generali deriuatæ non mandentur exequutioni, donec Prouinciali illius Prouinciæ notificentur: prohibemus tamen quamcumque mutationem, innouationem, vel impedimentum circa prædictas licentias intentandam.*

20 Conuerſi obligent ſe Conuentui, in quo profitentur. Venetijs 1592. ordinat. 26. *Ordinamus in Prouincia Hiſpaniæ ad eius petitionem, quòd de cæterò Fratres Conuerſi in profeſſione obligent ſe Conuentui, in quo profitentur, ita vt eidem toto ſuæ vitæ tempore inſeruire teneantur; à quo nec amoueri poterunt, niſi alicuius notabilis ſcandali (quod abſit) cauſa, & idem optamus in reliquis noſtri Ordinis Prouincijs obſeruari, proſpicientes maximam inde ipſis Conuentibus vtilitatem ſubſequuturam.*

21 Habentes facultatem perducendi Fratres huius Prouinciæ ad Indos, illam abſque P. Prouincialis conſenſu non exequantur. Ita antedictæ ordinationi 26. Cap. Veneti. 1592. ſubditur. *Ad eius etiam petitionem* (ſcilicet ordinamus) *quòd Fratres facultatem habentes à Reuerendiſs. P. Generali, vel eius Vicario conducendi ad partes Indiarum Religioſos ex eadem Prouincia Hiſpaniæ, neminem conducere poſſint non habito R. P. Prouincialis conſenſu, vel ipſo longè exiſtente, Prioris, & Patrum à Conſilijs Conuentuum, à quibus aſſumuntur, quorum intererit eos tantum à tali itinere impedire, quos ad Dei ſeruitium peragendum in partibus illis minùs idoneos iudicauerint.*

22 Prouinciales poſſunt licentiam concedere Fratribus, vt ratione oppoſitionis habendæ pro obtinendis Cathedris in Vniuerſitatibus, poſſint ſuſcipere gradus Baccalaureatus, aut Magiſterij in talibus Vniuerſitatibus. Venetijs 1592. Conceſs. 1. *Concedimus Prouinciæ Hiſpaniæ ad eius petitionem, primò. Quòd R. P. Prouincialis qui fuerit pro tempore dare poſſit licentiam Fratribus ſuis, vt ratione oppoſitionis faciendæ pro aliqua Cathedra in aliqua Vniuerſitate, poſſint ſuſcipere gradus Baccalaureatus, aut Magiſterij reſpectiuè in eadem Vniuerſitate, vel alia iuxta exigentiam Cathedræ, ad quam oppoſitio eſt facienda; ſaluis tamen in alijs omnibus iuribus dictæ Prouinciæ.*

23 Studium Toletanum fuit erectum in Vniuerſitatem Romæ ann. 1583. Acceptat. 1. *In Prouincia Hiſpaniæ acceptamus Studium, & Collegium S. Petri Mart. Toletanum, & in Vniuerſitatem erigimus iuxta Acta Cap. Gen. Salmanticenſis, cum gratijs, & priuilegijs Vniuerſitatum ad curſum agendum, & recipiendum gradus vſque ad Magiſterium incluſiuè.*

24 Omnes quinque locum habentes in Diffinitorio Capituli Prouincialis ſint diſtinctorum Conuentuum filij. Romæ 1580. conceſs. 2. *Concedimus eidem Prouinciæ* (ſcilicet Hiſpaniæ) *ad eius etiam petitionem, ne in eodem Capitulo Prouinciali eiuſdem Prouincię poſſint eſſe duo Diffinitores filij legitimi, aut adoptati eiuſdem domus, vel Conuentus; & quòd nullus ex Diffinitoribus poſſit eſſe filius legitimus, aut adoptatus illius domus, aut Conuentus, cuius Prior Prouincialis, aut vices eius tenens eſt filius, ſed omnes quinque locum habentes in Diffinitorio differentium Conuentuum ſint filij.*

25 Non poſſunt ad legendum ſententias pro forma Magiſterij incluſiuè ex filijs eiuſdem Conuentus plures tribus aſſumi: Ex Conuentu autem Salmantino, quatuor. Romæ 1580. conceſs. 3. *Concedimus eidem Prouinciæ* (ſcilicet Hiſpaniæ) *ad eius petitionem, quòd non poſſint exponi ad legendum ſententias pro forma, & gradu Magiſterij incluſiuè ex filijs legitimis, aut adoptatis eiuſdem Conuentus plures quàm tres, præter quàm ex Conuentu Salmantino, ex cuius filijs propter maiorem eorum numerum poſſint exponi quatuor. Et ſimiliter quòd non poſſint exponi ad legendum ſententias pro gradu, & forma Magiſterij excluſiuè ex filijs legitimis, aut adoptatis eiuſdem Conuentus plures quàm ſex, præter quàm ex Conuen-*

tu Salmantino, ex cuius filijs propter illam cauſam poſſint exponi octo.

26 Neque poſſunt creari in Prædicatores Generales ex filijs eiuſdem Conuentus plùs quàm ſex, Ita ſubditur in præfata conceſs. 3. *Et ſimiliter, quòd non poſſint creari in Prædicatores Generales ex filijs alicuius domus legitimis, aut adoptatis plures quàm ſex, quod ſi nunc plures ſunt Magiſtri, vel Præſentati, aut Prædicatores Generales ex filijs legitimis, aut adoptatis alicuius Conuentus, non poſſint plures exponi, aut creari ex filijs talis Conuentus, quouſque ad dictum numerum redigantur: Et tunc ſic redacti, alij poſſint exponi, vel creari, dummodo dictus numerus non excedatur.*

27 Poſſunt Fratres huius Prouinciæ, vti proprio officio Viſitationis B. Virg. Barcinonæ 1564. conceſs. 1. *Concedimus Prouinciæ Hiſpaniæ, vt valeat publicè, & ſolemniter, nec non & priuatim vti officio edito per bonæ mem. Magiſtrum Ordinis P. Vincentium Bandellum, prout antea vti conſueuerunt de Viſitatione B.Virg.D.N.*

28 In cunctis huius Prouinciæ Conuentibus ex mandato Apoſtol. Gregorij XIII. Pont. Max. debent eſſe adminùs tredecim Fratres Clerici. Ita denunciatum fuit Barcinonę 1574. denunciat. 2. *Item denunciamus eundem Sanctiſs. D. P. P.* (ſcilicet Gregor. XIII.) *nobis per litteras Apoſtolicas demandaſſe, vt in omnibus Conuentibus Regni Hiſpaniarum debeant ad minus tredecim Fratres Clerici, vel de choro, ſeu officio (vt vocant) commorari. Quod obſeruari ſtrictiſſimè (vt par eſt) iubemus ſub pœna abſolutionis, & inhabilitationis ad prælaturam.*

29 Studium Theologiæ, & Artium in Conuentu Burgenſi collocatum, fuit acceptatum Bononiæ 1564. Approbat. 1. *Approbamus, & acceptamus ſtudium Theologiæ, & Artium nuper à Capitulo Prouinciali Hiſpaniæ Matricij celebrato inſtitutum in Conuentu S. Pauli Burgen.*

30 Baccalaureis legentibus in celebrioribus Vniuerſitatibus ſæcularium in Prouincijs Hiſpaniarum computentur lectiones pro gradu, & forma Magiſterij. Valentię 1596. Cōceſs. 1. *Concedimus Prouincijs Hiſpaniarum, quòd Baccalaureis legentibus in Vniuerſitatibus celebrioribus ſæcularium, lectiones computentur pro gradu, & forma Magiſterij, ac ſi legiſſent in Vniuerſitatibus Fratrum.*

31 Conuentus rationem Vniuerſitatis induentes, in quibus poſſunt Fratres pro gradu, & forma Magiſterij legere, declarati fuere Romę 1551. declarat. 1. his verbis. *Item in Prouincia Hiſpaniæ Conuentum Salmantinum, Valleoletanum, Segobienſem, & de Trianos.* Vide hanc declarationem totam, in qua ſingulis Prouincijs Vniuerſitates ad legēdum pro gradu, & forma Magiſterij determinantur, infra Pro Prouincia Toloſana num. 27.

32 Vt PP. Prouinciales poſſent inſtituere Vicarium ſuper Nationem Biſcaię, fuit illis conceſſum Venetijs 1592. conceſs. 1. *R.P. Prouincialis eiuſdem Prouinciæ* (ſcilicet Hiſpanię) *poſſit inſtituere Vicarium Prouincialem ſuper Conuentibus Nationis de Biſcaia.*

PRO PROVINCIA TOLOSANA. II.

PRouincię Prouinciæ à S. P. Dominico Anno Dom. MCCXXI. in Bononienſi Capitulo cum alijs ſeptem inſtituta, perſeuerauit in ſua vnitate vſque ad annum. MCCCI. quo congregati Patres in Generalibus comitijs apud Coloniam, per modum Inchoationis eandem Prouinciam diuidendam fore etiam in Toloſanam, remanente parte eiuſdem cum retentione primęui nominis, ſanxere. Quod fuit poſtea in ſubſequenti Capitulo Bononiæ celebrato approbatum ann. 1302. atque tandem apud Biſuntium ann. 1303. hoc modo confirmatum. *Confirmamus has Conſtitutiones. Primò hanc, quòd Prouincia Prouinciæ diuidatur, & diuidimus eam in duas, ita quòd Conuentus Toloſanus, Carcaſſonenſis, Appamienſis, Caſtrenſis, cum cæteris Conuentibus versùs Lemouicam, Burdegalam, & Baionam, cum Monaſterijs Sororum interclusis, ſint vna Prouincia, & vocetur Prouincia Toloſana, & teneat primum locum in Choro ſiniſtro: Conuentus verò Montiſpeſſulani cum Conuentibus Narbonenſi, Bitterrenſi, & tribus Conuentibus de dominio Regis Maioricarum, & Conuentibus Æmiliani, Podienſis, Albenacij, Marologij, Aleſtenſis, Nemauſenſis, & Conuentibus, qui ſunt vltra Rhodanum cum Monaſterijs Sororum incluſis ſint alia Prouincia, & Prouincia*

Pro-

Digitized by Google

Prouinciæ nominetur, & teneat locum in Choro dextro poſt Prouinciam Aragoniæ: & hoc habet tria Capitula.

Regularis obſeruantiæ paſſa eſt iacturam hęc cum cœteris Prouincia, quam tamen in eadem non ita celeriter, ſicut in quibuſdam alijs contigerat, reſtitutam inuenimus. Electus autem Romę in Magiſtrum Ordinis ann. Dom. 1474. die 28. Maij in Vigilia Pentecoſtes P. F. Leonardus Manſuetus de Peruſio ex Romana Prouincia, vt regularis obſeruantię illi reſtitueret nitorem, P. F. Chriſtoforum de Viterbio Romanę Prouincię Moderatorem, Virum pietate, & regularis diſciplinę zelo feruidum, Generalem illius Vicarium pleniſſima auctoritate ditatum in eandem tranſmiſit: Ita enim illius Regeſtis legitur. *Magiſter Chriſtophorus de Viterbio Prior Prouincialis Romanus fuit inſtitutus Vicarius Generalis ſuper Prouincia Toloſana in capitibus, & in membris, tam ſupra Conuentus, quam ſupra Monaſteria cum potaſtate corrigendi, capiendi, puniendi, incarcerandi, ligandi & excommunicandi, ſententiandi, iudicandi, abſoluendi, relaxandi, ac de electione Prioris Prouincialis cognoſcendi, ipſumque abſoluendi, ſi ſecundum formam Conſtitutionum veneris abſoluendus, & alium confirmandi; & habuit poteſtatem plenariam ſuper Monaſterio de Prulliano in puniendo rebelles, & corrigendo Fratres, etiam cum inuocatione brachij ſecularis, ſi opus fuerit, & fuit mandatum omnibus quod ſibi obediant. Bononiæ 5. Septemb.* 1474. Renuentibus autem aliquibus tantę ſe auctoritati ſubdi, fuit eidem tranſmiſſum à pręfato Magiſtro Ordinis pręceptum de puniendis Fratribus, & Sororibus dictę Prouincię rebellibus. Ita enim in eiſdem Regeſtis ſubditur. *Magiſter Chriſtophorus ſupradictus habuit præceptum quod puniat Fratres, & Sorores in Prouincia Toloſana rebelles, & inobedientes ſicut in Breui Apoſtolico ſibi miſſo continetur, & eidem data eſt omnis poteſtas iterum ſuper dictam Prouinciam, & delegata auctoritas quam Papa per Breue commiſit Reuerendiſſ. Magiſtro, & inſuper mandatur eidem quod miniſtret iuſtitiam Magiſtro Michaeli de Moriello: & iterū confirmantur omnes litterę alias eidem Magiſtro Chriſtoforo ſupradicto datæ, & quod faciat obſeruari litteras Martialis* (fuit hic P. Martialis Auribellus Auenionenſis Magiſter Ordinis eius prędeceſſor) *contra tales inobedientes dictæ Prouinciæ. Venetijs die penultima Septembris* 1474.

Electo autem in Prouincialem huius Prouincię moderatorem P. F. Guillielmo de Abbatia, atque à Generali Vicario ſupradicto confirmato, idem Magiſter Ordinis ſub abſolutionis pœna eidem, vt Burdegalenſem Conuentum ante Omnium Sanctorum feſtiuitatem reformaret, imperauit. Ita enim in eiſdem Regeſt. habetur. *Magiſtro Guillielmo de de Abbatia Prouinciali præcipitur ſub pœna abſolutionis ab officio quod ante feſtum proximum omnium Sanctorum reformet Conuentum Burdegalenſem. Dat. Peruſij 20. Maij 1478. poſt Capit. Generale.* Quod vt ſedulius conſequeretur hoc idem munus etiam Magiſtero Sanctio de Lubeſpera, prout in eiſdem Regeſtis imediatè ſubditur demandauit. *Magiſtro Sanctio de Lubeſpera Conuentus Toloſani datur facultas, quod ſi Prouincialis non reformauerit Conuentum Burdegalenſem ante feſtum Omnium Sanctorum quod ipſe reformet cum plena auctoritate. Dat. vt ſup.*

Eodem quoque die patentes litterę pro Conuentibus Agennen. & Montis Albani pariter reformandis ſupradicto P. Magiſtro Sanctio fuere directę. Ita enim in eiſdem Regeſt. ſubditur. *Magiſter Sanctius prædictus fuit factus Vicarius, & Commiſſarius ad reformandum Conuentus Aggennen. & Montis Albani cum plena auctoritate, etiam expellendi Fratres, & vndecumque aduenientes ſuſcipiendi. Dat. vt ſup.* Pręfati igitur Conuentus ante cęteros regularem obſeruantiam fuere amplexati, quę tandem in alios poſtea diuina cooperante gratia ſe ſe copioſè diffudit.

Pro illius igitur conſeruatione ſequentes in diuerſis Capitulis emanauere ordinationes.

1 Negotium vnionis huius Prouinciæ cum Conuentibus Congregationis S. Ludouici factę à Magiſtro Ordinis P. F. Thoma Turco, in Capitulo Generali Romę 1650. fuit Reuerendiſſ. Magiſtro Ordinis commiſſum pro deciſione, cui omnes obtemperare tenentur. Ita enim ibidem mandatur. *Denunciamus negotium vnionis Prouinciæ Toloſanæ cum Conuentibus Congregationis S. Ludouici facta à bonæ mem. Reuerendiſſ. P. F. Thoma Turco Magiſtro Ordinis pendens coram SS. D. N. Innocentio X. ob appellationem à Procuratoribus dictæ Toloſanæ Prouinciæ antiquæ interiectam, demum à ſua Sanctitate huic Capitulo remiſſum, & ab hoc commiſſum eſſe Magiſtro Ordinis, vt ipſe definiat ſicut pro pace, & bono eiuſdem Prouinciæ magis in domino viderit expedire. Proinde mandamus vniuerſis, & ſingulis Fratribus ad hanc Prouinciam pertinentibus ſub pœnis priuationis vtriuſque vocis, graduum, quorumcumque officiorum, & inhabilitatis ad ea impoſterum obtinenda ipſo facto incurrendis, vt Magiſtri Ord. futuræ ſuper hac re deciſioni humiliter pareant, & acquieſcant.*

2 Omnes Conuentus, tam antiqui, quàm moderni huius Prouincię ſubiecti fuere immediatè P. Prouinciali pro tempore, ſuppreſſo Vicarij eorum munere. Romę 1650. *Cum Vicarius à Reuerendiſſ. P. Mag. Generali F. Thoma Turco ſuper Conuentus antiquæ portionis iſtius Prouinciæ conſtitutus ſua auctoritate malè,*

nec

nec vt par erat in ædificationem, ſed in deſtructionem vſus fuerit, Fratres in Superiores, eorumque auctoritatem, vel concitarit, vel concitatos non compreſſerit, debitam ſuo Prouinciali obedientiam, & reſpectum, ne dum negauerit, verùm & indignè, contumelioſèque cum ſuis tractauerit, ideo in pœnam, & ad ſimiles ex dicti officij occaſione faciles exceſſus, atque defectus præuertendos, inhærentes decreto poſtremi Capituli Valentini, quo relinquitur arbitrio Magiſtri Ord. moderari conditiones prætactæ vnionis quantùm ad auctoritatem, & retentionem Vicarij Conuentuum, qui non ſunt deputati pro ſtrictiori obſeruantia, præmemoratum Vicarij officium ſupprimimus, & abolemus, omneſque Conuentus, tam antiquos, quàm modernos huius Prouinciæ æqualiter, & immediatè ſubijcimus. Ad. R. P. Prouinciali Toloſano pro tempore, declarantes ipſum promiſcuè, ac ſine diſcrimine in hos omnes, & ſingulos illam habere auctoritatem, quam cæteri Prouinciales de iure in ſuarum Prouinciarum Conuentus habere ſolent, ac debent: Ita tamen vt liceat P. Prouinciali aliquem prædictis antiquæ portionis Toloſanæ Conuentibus Vicarium, quaſi Nationalem ea, qua Vicarij Nationales in Ordine frui ſolent auctoritate inſtructum præficere, ſi ita ſibi bene videbitur in Domino expedire. Decretum autem præfacti Capituli Valentini 1647. tale eſt: *Confirmamus vnionem factam Conuentuum Congregationis S. Ludouici, qui ſunt cis Ligerim cum Prouincia Toloſana, cum cōditionibus contentis in decreto vnionis dato per Reuerendiſs. Magiſtrum Ord. Toloſæ ſub die 7. Nouemb. 1646. moderandis ad arbitrium eiuſdem Reuerendiſs. Magiſtri Ord. quantùm ad authoritatem, & retentionem Vicarij Conuentuum, qui non ſunt deputati pro ſtrictiori obſeruantia, & explicandis quoad alia hoc modo: Nullus poſſit eligi in Prouincialem niſi ex Patribus viuentibus, & aſſignatis in Conuentibus deſtinatis pro ſtrictiori obſeruantia, ſiuè iſti Patres fuerint ex Prouincia, ſiue ex Congregatione; & quòd recipiendi approbentur quidem à Patribus Conuentuum pro quibus ſuſcipere debent habitum, ſed tamen non induantur niſi in Conuentibus in quibus vigeat ſtricta obſeruantia, & pro ea deſtinatis, ibique maneant, nec ad Conuentus ſuos reuertantur, donec illi ad obſeruantiam ſtrictiorem fuerint deputati. Confirmamus item inſtitutionem Ad. R. P. F. Vicentij Boſſide in Prouincialem eiuſdem Prouinciæ Toloſanæ, volentes quòd ſuper Conuentibus ad ſtrictiorem obſeruantiam non deputatis habeat omnem auctoritatem, quæ ſtatutis prædicti decreti vnionis non contradicit; ordinantes quoque, quòd verba omnia ex decreto illo expungantur, quæ aliquod præiudicium honoris inferre videantur Patribus in Conuentibus non deputatis ad obſeruantiam ſtrictiorem manentibus, & quòd prædicti Patres vbique in tota Prouincia gaudeant priuilegijs competentibus illis gradibus, quos habent: & quòd, ſi voluerint tranſire ad Conuentus pro ſtrictiori obſeruantia deputatis, poſſint ſtatim aſſignari per ſolum Prouincialem, & non teneantur manere ſub cura Magiſtri Nouitiorum. Et ordinamus etiam, quòd tempore Capituli Socius Prouincialis, vel Diffinitoris ſumatur ex Patribus manentibus in Conuentibus non deputatis ad ſtrictiorem obſeruantiam.*

3 Conuentus Briuenſis, Appamienſis, & Bagnarianus ad ſtrictiorem obſeruantiam ſpectant. Romę 1650. *Declaramus, atque decernimus Conuentus Briuenſem, & Appamienſem vnitos, & aggregatos Conuentibus regulari obſeruantiæ deputatis, iuxta commiſſiones à Magiſtro Ordinis ad hunc effectum datas, eoſque quo ad opus eſt de nouo prædictis Conuentibus vnimus, & aggregamus. Similiter Conuentum Bagnarianum à Reuerendiſs. P. F. Thoma Turco obſeruantiæ deputatum, ſub regulari obſeruantia reponi, & Conuentibus obſeruantibus aggregari, atque à Patribus obſeruantiæ gubernari diſtrictè mandamus, ac præcipimus ſub pœnis grauioris culpæ ipſo facto per renitentes incurrendis.*

4 Vt ſingulis quartis ferijs de S. Thoma Aquinate officium celebrare poſſit, conceſſum fuit huic Prouinciæ Romæ 1644. *Concedimus Prouinciæ Toloſanæ, quòd poſſit ſingulis 4. ferijs, etiam vbi non ſunt ſtudia, celebrare Officium S. Thomæ Doct. Angelici.*

5 Prouinciales poſſunt confirmare Priores ante expletum interſtitij quadriennium, illoſque poſt triennium prorogare. Romæ 1644. *Concedimus facultatem R. Ad. P. Prouinciali pro tempore exiſtenti, vrgente neceſſitate, vt poſſit confirmare Priores ante expletum quadriennium requiſitum in noſtris Conſtitut., ſicuti prorogare illos expleto triennio, ſi à PP. Vocalibus fuerint reelecti; tenebitur tamen priùs monere Reuerendiſs. P. Generalem, illique neceſſitatem exponere.*

6 In Toloſano, ac Burdegalenſi Cœnobijs duodenarius Nouitiorum numerus pro hac Prouincia alatur. Romæ 1644. *Ordinamus, ſicut ordinatum fuit à Reuerendiſs. P. Rodulphio, vt duodecim Nouitij educentur pro dicta Prouincia in Conuentu Toloſano, & Burdegalenſi ad profeſſionem vſque, nec liceat Vicario Congregationis S. Ludouici eorum quempiam in ſua Congregatione retinere.* Quod iam de Conuentu Burdegalenſi fuerat ordinatum Toloſæ 1628. hoc modo: *Ad concordiam ineundam, & ſtabiliendam, concedimus, vt in Conuentu Burdegalenſi recipiantur ad habitum Nouitij nomine Conuentuum huius Prouinciæ, qui vſque ad Sacerdotium in arctiori obſeruantia ibi educentur.*

7 Huius Prouinciæ alumni charitatiuè recipiantur in Conuentibus Congregationis S. Ludouici. Romæ 1644. *Ordinamus Ad. R. P. Vicario prædictæ Congregationis* (ſcilicet S. Ludouici) *vt recipiat Syndicos Generales noſtræ Prouinciæ Toloſanæ in Conuentu Burdegalenſi*

lenſi abſque contributione. Volumuſque, vt curet, & efficiat, quòd Religioſi huius noſtræ Prouinciæ charitatiuè recipiantur in dicto, & alijs Conuentibus Congregationis, neque illis impediatur ingreſſus Chori, & Refectorij, eiſque aſſignentur Socij ad negotia peragenda. Vlyſſiponæ autem 1618. idem mandatum omnibus Prouincijs fuit. *Fratres Prouinciæ,* (ſcilicet huius) *qui cum debitis licentijs ad quemcumque Conuentum cuiuſuis Prouinciæ, vel Congregationis declinauerint, benignè recipiantur, & hoſpitali charitate tractentur.*

8 Vt in hac Prouincia Studium aliquod erigeretur pro conſequendis gradibus, fuerat ordinatum Toloſæ 1628. poſtea autem duo Generalia Studia in Conuẽtibus, ſcilicet Aginnenſi, & Petracorenſi fuere inſtituta. Romæ 1644. *Inſtituimus, & confirmamus Studia Generalia in Conuentibus Agginnenſi, & Petracorenſi, in quibus* PP. *Lectores legent pro gradu Baccalaureatus, & Magiſterij; & quia nulla eſt Vniuerſitas in qua poſſint promoti ad gradus dictę Prouinciæ graduari, Inſtituimus, & eligimus pro Vniuerſitate noſtræ Prouinciæ Toloſanæ Conuentum, & Collegium Aginnenſe, in quo omnes ritè promoti gradus recipient, à R.P.* Prouinciali *pro tempore exiſtente, vel à Commiſſario ab ipſo ad hunc effectum deputato.*

9 Nullus ad quemcumque promoueatur gradum, niſi conditiones habeat iuxta noſtrarum tenorem Conſtitutionum, requiſitas. Romæ 1644. *Ordinamus, & diſtrictè prohibemus vt nullus impoſterum ad quoslibet gradus promoueatur, neque ad Prædicaturas Generales, qui non habent requiſita iuxta noſtras Conſtitutiones, & ordinationes Capitulorum Generalium.* Et Romæ 1629. de Magiſtris ita ſancitur. *Ordinamus in hac Prouincia ſeruandam Conſtitutionem circa promouendos ad Magiſterium; vt videlicet priùs legerint, ac docuerint Sacram Theologiam toto integro tempore à noſtris Conſtitutionibus præſcripto: ſecus, ad Magiſterium non promoueantur, nec admittantur.* Antea verò Pariſijs 1611. ad petitionem eiuſdem Prouincię hæc pro graduandis fuerant ordinata. *Concedimus huic Prouinciæ ad ſui petitionem, vt nullus in ea promoueatur ad Baccalaureatum, qui ſaltem per tres annos non ſtuduerit Sac. Theologiæ. Et ne quis promoueatur ad Magiſterium, niſi legerit, & docuerit, & officio Regentis functus fuerit in ipſa Prouincia: Et vt nullus Baccalaureus Pariſienſis fruatur priuilegijs lecturæ ſententiarum illius Vniuerſitatis, ſi in alia Vniuerſitate lauream doctoralem ſuſceperit.* Quod eiſdem prorſus verbis fuit poſtea confirmatum Bononię 1615.

10 Priorisſæ de temporali adminiſtratione bonorum Monaſterij P. Prouinciali rationem reddere tenentur. Romæ 1629. *Committimus P. Prouinciali, vt nomine totius Religionis oret Chriſtianiſs. Regem, vt Prioriſſas Monaſteriorum noſtri Ord. in ſuo Regno exiſtentium liberè ſecundùm noſtras Conſtitut. eligi, ac triennio tantùm in officio durare permittat. Ipſis verò Prioriſſis omnino præcipitur, vt de temporalium bonorum adminiſtratione P. Prouinciali pro tempore rationem exactiſſimam tempore ſuæ viſitationis reddant.*

11 In Conuentibus numero ſenario Vocalium non gaudentibus, non eligantur Socij pro Capit. Prouinciali. Ita fuere huius Prouinciæ Patres moniti Toloſæ 1628. *Admonemus non eſſe eligendum Socium in illis Conuentibus, vbi non habentur ſex Vocales, iuxta ordinationem Capit. Generalis Pariſienſis 1611.*

12 Baccalaurei Pariſienſes ad hanc Prouinciam ſpectantes in Pariſienſi tantum Vniuerſitate lauream ſuſcipere debent. Mediolani 1622. *Statuimus ne liceat Baccalaureis Pariſienſibus ad hanc Prouinciam pertinentibus in alia Vniuerſitate, præter Pariſienſem, lauream Doctoralem ſuſcipere, ſecus totum irritum ſit, & inane.*

13 Monialium dotes in ſtabilia bona conuertantur. Mediolani 1622. *Mandamus, vt dotes Monialium in bona ſtabilia conuertantur; interim verò in commune depoſitum, tribus clauibus obſirmatum includantur, quarum vnam penes ſe habeat Prioriſſa, aliam Supprioriſſa, aliam verò Mater antiquior; de quibus dotibus, vt de alijs Monaſterij redditibus rationem reddant Superiori: Quod ſi obedire renuerint, nihilominus pœnis adhibitis compellantur.*

14 Earundem Monialium Confeſſarij omnes ſint Patres grauiores, & ſeniores. Vlyſſiponæ 1618. *Ordinamus, vt Confeſſarij Monialium, tam ordinarij, quàm extraordinarij (iuxta Sac. Concil. Trident. decreta concedendi) ſint Patres grauiores, & ſeniores, atque in caſibus conſcientiæ ſufficienter inſtructi.* Antea autem Bononiæ 1615. fuit Prouincialibus ſub pœna abſolutionis ab officio iniunctum, ne ignaros darent in earundem Monialium Confeſſarios. *Præcipimus P. Prouinciali, vel Præſidenti Prouinciæ ſub pœna abſolutionis ab officio, ne impoſterum ad Monaſteria Monialium ignaros Confeſſores mittant, ſed eos tantùm, qui ſciant competenter proponere verbum Dei, ſeruatiſque aliàs ſeruandis.*

15 Idonei filij huius Prouinciæ alijs in electionibus ad Prioratus præferantur. Vlyſſiponæ 1618. *Admonemus, vt filij huius Prouinciæ, qui verè apti, & idonei fuerint, alijs præferantur in electionibus ad Prioratus eiuſdem Prouinciæ.*

16 Vt tempus determinatum PP. Commiſſarijs ad hanc Prouinciam mittendis, in eorum litteris patentibus (quas oſtendere teneantur) apponatur à Magiſtro Ord. ſancitum fuit Vlyſſiponæ 1618. *Committimus, & ſimul*

ſo-

rogamus R. N. Magiſtrum Ord. vt cum vrgente aliqua neceſſitate Commiſſarios ad hanc Prouinciam deſtinare voluerit, tempus illis præſcribat, vltra quod ſuam commiſſionem protrahere non poſſint; qui etiam priuſquam aliquem ſuæ auctoritatis actum exerceant, patentes litteras in ingreſſu Prouinciæ oſtendere, & publicare teneantur.

17 Vt Iuuenes poſſent ad aliarum Prouinciarum ſtudia mitti, decretum fuerat Vlyſſiponæ 1618. *Declaramus, quòd Fratres Iuuenes huius Prouinciæ poſſunt mitti ad ſtudia generalia aliarum Prouinciarum, etiam ad Pariſienſe, donec fuerit in hac Prouincia erectum ſtudium:* Duo autem poſtea Generalia Studia fuere in hac Prouincia conſtituta Romæ 1644. vt ſupra numero 8. dictum eſt. Bononiæ verò 1615. mandatum iam fuerat, vt nullus extra Prouinciam ſtudiorum cauſa proficiſci valeret, niſi curſum Philoſophiæ, & Theologiæ in Burdegalenſi ſtudio perfeciſſet. *Præcipimus in Studio Generali Conuentus noſtri Burdegalen. cum omni diligentia Philoſophiæ, & Sac. Theogiæ operam dari; & vt conueniens Studentium numerus ibi non deſit, volumus, vt nulli Fratrum noſtræ Prouinciæ Toloſanæ liceat extra Prouinciam ſtudiorum cauſa proficiſci, niſi curſu Philoſophiæ, & Theologiæ ibi expleto.*

18 Priores ſunt biennales. Bononiæ 1615. *Declaramus omnes Priores expleto biennio ipſo facto ab officijs ſuis eſſe, & fore abſolutos;* Valliſoleti autem 1605. conceſſ. 3. conceſſum fuerat huic Prouinciæ, Theutoniæ, Boemiæ, & Prouinciæ, vt Priores etiam vltra triennium, propter indigentiam Patrum ad regimen aptorum, poſſent in ſuo munere perſeuerare.

19 Burdegalenſis Conuentus fuit pro regulari obſeruantia deſtinatus Bononiæ 1615. *Decernimus ad petitionem Prouinciæ Toloſanæ, conformiter ad alia multa Capitula Generalia, vt in ipſa Prouincia Toloſana ſint aliqui Conuentus, in quibus obſeruantia Regularis exactè, & ad vnguem obſeruetur iuxta tenorem Sac. noſtrarum Conſtitutionum, & ad hunc effectum deſtinamus Conuentum noſtrum Burdegalenſem.*

20 Idem Burdegalenſis Conuentus cum Bayonenſi, & Ruthenenſi, pro alendis Nouitijs fuit determinatus Bononię 1615. *Ordinamus, vt omnes Nouitij totius Prouinciæ mittantur ad vnum ex his Conuentibus propinquiorem, nempe Bayonenſem, & Ruthenenſem, in quibus, & Religioni, & ſtudijs vacent; ita quod nulli alteri Conuentui, præter Burdegalenſem, & duos prædictos, Nouitios, ſiuè ſimplices, ſiuè profeſſos detinere liceat; ſed cum ad habitum aliquem receperint (quod omnibus licebit etiam Briuenſi) ad præfatos Conuentus eos mittant:* Collegio *tamen Briuenſi, & Felletinenſi concedimus, vt ſuos Nouitios profeſſos tantùm, in litteris inſtruendos teneant.*

21 Studium Briuę inſtitutum, fuit approbatum Romę 1608. *Approbamus ſtudium, ſeu Collegium Briuæ inſtitutum, volumuſque, vt Studentes, quibus in eo ſtudio locus non erit, de licentia R. A.* P. *Prouincialis poſſint ad alias Prouincias ſtudiorum cauſa tranſmitti.* Vide ſupra numero 8. Valentię autem 1596. conceſſum fuerat huic, omnibuſque Galliarum Prouincijs, vt in Italiam, & Hiſpaniam poſſent Iuuenes in litteris, & moribus inſtruendos tranſmittere: Ita enim dicitur. conceſſ. 2. *Concedimus Prouincię noſtræ Toloſanæ, reliquiſque Galliarum* Prouincijs*, vt mittere poſſint Iuuens ad* Prouincias *Italiæ, & Hiſpaniarum, quatenus in litteris, & moribus inſtrui poſſint, & ſuas Prouincias poſtmodum à tot miſerijs, & calamitatibus ſubleuare: Animaduertant tamen ne ignaros grammaticæ mittant, quia nihil prorſus proficere poſſent.*

22 Titulares Priores nullo modo in hac Prouincia ſint. Romę 1601. declarat. 9. *Declaramus in* Prouincia *Toloſana* Priores *titulares, quotquot illi ſint, priuandos eſſe tali titulo; ſicut de facto eos nunc priuamus: decernentes nullo modo impoſterum huiuſmodi titulos eſſe dandos, vel admittendos.*

23 Prouinciales per quadriennium in ſuis muneribus perſeuerent. Barcinonę 1574. ord. 16. *Item Prouincijs Toloſanæ, Prouinciæ Prouinciæ, & Occitanæ petentibus concedimus quadriennium* Prouincialatus*, quod à die vniuſcuiuſque canonicè electi computari debet, qui ſimiliter electus ab ipſamet electione intelligatur, & habeatur Vicarius Prouinciæ in capite, ſublato quocunque alio Vicario.* Quantum autem ad hoc vltimũ quòd ſtatim tanquam Vicarij Prouinciam regant, fuit oppoſitum ſancitum poſtea Romę 1601. ord. 33. *Ordinamus in Prouincia Toloſana, vt nullo pacto ſuſcipiat regimen Prouinciæ Prouincialis de nouo electus, donec confirmationem à Reuerendiſſ. P. Generali acceperit; gubernabit autem Prouinciam Prouincialis præcedens, nomine Vicarij Generalis, donec confirmatio ad electum perueniat.*

24 Vt à Capitulis intermedijs abſtineret hęc Prouincia propter bella aſſidua, quæ tunc temporis in illis partibus vigebant, conceſſum fuerat illi Romę 1583. conceſſ. 2. in hunc modum. *Concedimus Prouinciæ Toloſanæ pro eius pace, ac tranquillitate; & vt euitentur pericula bellorum, & hæreticorum, ne habeantur Capitula intermedia: Quodque Diffinitor electus in Capitulo Prouinciali ſit Deſinitor Generalis Capituli ſequentis: Eidem concedimus, quòd iuxta Conſtitutiones duos Fratres poſſit mittere ad ſtudium Salmanticenſe, & totidem ad Bononienſe, & ſine excuſatione Moderatores ſtudij eos acceptare debeant.* Veruntamen poſtea Romę 1629. ord. 12. ſancitum eſt celebrandas eſſe Congreggtiones intermedias in omnibus

Pro-

Prouincijs, in quibus tamen Diffinitores non ſunt eligendi. Vide in p.p. de Congregat. Intermed.

25 Huius Prouinciæ Patres ſe veros S. P. Dominici filios debent exhibere, inculpatæ vitæ nitore, atque diuini verbi prædicatione hæreticos confundentes, Catholicoſque in fide ſolidantes. Ita fuerunt admoniti Barcinonæ 1574. Admonit. 5. *Item admonemus, & in Chriſti viſceribus adhortamur omnes PP. Magiſtros, Priores, Prædicatores in Prouincijs Franciæ, Toloſæ, Occitanæ, Prouinciæ, & Germaniæ Inferioris, & in reformata Congregatione Gallicana agentes, & alibi, vbi miſera hæreſum peſtis graſſatur, vt animaduertant quàm grandis ſibi ſit tributa occaſio æternæ gloriæ coronam comparandi. Veros, & non degeneres Dei, & D. P. Dominici filios ſe manifeſtent, & Canes Chriſti ouilis vigiles, & fidos, non mutos, non valentes latrare, & inculpatæ vitæ exemplo, & continua, atque conſtanti verbi Dei prædicatione infidos conuertere, imbecilles confirmare, toto animo ſtudeant, & ſanguinem fundere pro eo minimè dubitent, qui pro eiſdem totum iam priùs copioſiſſimè fudit, ſicuti magna animi lætitia eos feciſſe accepimus.*

26 Graduatorum numerus in hac Prouincia, ſicut & in Prouincia Franciæ, Lombardiæ, & Romana non eſt taxatus: cum enim Romæ 1583. ord. 16. ſingulis Prouincijs, fuerit Graduatorum numerus præſcriptus, de præfatis Prouincijs nihil fuit decretum; quod etiam in Capit. Romano 1589. contigit, ſic enim dicitur confirmat. 29. *Confirmamus pariter, ac ratam, & firmam haberi volumus ordinationem præcedentis Capituli, vt numerus Graduatorum in vnaquaque Prouincia præſcriptus inuiolabiliter obſeruetur, ita vt ſupra ipſum numerum Prouinciæ petere non debeant graduatos, & nunquam, niſi Reuerendiſs. P. Generali aliqua vrgenti de cauſa aliter diſponente, excedatur; quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.*

Numerus verò in qualibet Prouincia erit, vt infra.

In Prouincia Hiſpaniæ Magiſtri erunt ſexdecim. Præſentati triginta ſex, Prædicatores Generales quot ſunt Conuentus.

In Prouincia Toloſana, & Franciæ, & ſi nullus ſit numerus, nullus tamen promouebitur à Magiſtro Ord. niſi, quæ de more conſueto ſunt, obſeruentur; quod dicimus etiam de Prouincijs Lombardiæ, & Romana.

In Prouincia Regni erunt Magiſtri duodecim, Baccalaurei decem.

In Prouincia Poloniæ Magiſtri octo, Baccalaurei nouem. Prædicatores quot Conuentus.

In Prouincia Aragoniæ ad eius petitionem extendimus numerum Magiſtrorum ad numerum vigeſimum quintum (nam in antecedenti Capit. Romæ 1583. decretum fuerat eſſe tantùm viginti) *Præſentati verò erunt triginta, Prædicatores Generales iuxta numerum Conuentuum.*

In Prouincia Prouinciæ ad eius petitionem extendimus numerum Magiſtrorum ad numerum denarium, Baccalaureorum verò ad numerum octonarium. antea enim Romæ 1583. vt Magiſtri tantùm ſex, & Baccalaurei quinque, ſanctum fuerat.

In Prouincia Dalmatiæ Magiſtri ſex, Baccalaurei quatuor, Prædicatores Generales tres.

In Prouincia Trinacriæ Magiſtri quinque, Baccalaurei duodecim.

In Prouincia Portugalliæ Magiſtri quindecim, Præſentati decem, Prædicatores Generales, quot Conuentus.

In Prouincia Germaniæ inferioris Magiſtri duodecim, Præſentati duodecim, & Prædicatores Generales duodecim.

In Prouincia S. Thomæ Magiſtri viginti quinque, Baccalaurei duodecim, Prædicatores Generales ſex.

In Prouincia Calabriæ Magiſtri viginti, Baccalaurei ſex, Prædicatores Generales ſex.

In Prouincia S. Iacobi de Mexico, Magiſtri quatuor Præſentati ſex, Prædicatores Generales quatuor.

In Prouincia S. Io: Baptiſtæ del Però, Magiſtri ſex, Baccalaurei ſex, Prædicatores Generales quatuor.

In Prouincia S. Vincentij de Chiappa, Magiſtri erunt quatuor, Præſentati verò ſex eo modo, quo Reuerendiſs. P. Generalis præteritus (fuit P. F. Sixtus Fabri Lucenſis) *ad petitionem eiuſdem Prouinciæ diſpoſuit, & decreuit.*

In Prouincia S. Antonini de Nouo Regno, Magiſtri erunt quatuor, Præſentati ſex, Prædicatores Generales duo.

In Prouincia Occitana, Magiſtri quindecim, Baccalaurei octo.

In Prouincia S. Dominici, Magiſtri ſexdecim, Baccalaurei ſex, Prædicatores Generales decem.

In Prouincia S. Catherinæ del Quito, Magiſtri tres, Præſentati ſex, ex quibus duo erunt Præſentati ex Prædicatoribus, qui per decennium glorioſè prædicauerint.

27 Vniuerſitates autem ad legendum pro gradu, & forma, & conſequutione Magiſterij fuere in ſingulis Prouincijs determinatæ Romæ 1551. declarat. 1. in hunc modum. *Declaramus conformiter ad noſtras Conſtitutiones; neminem poſſe aſſumere gradum Magiſterij in Theologiæ, niſi priùs actus exercuerit pro forma, & gradu dicti Magiſterij per annos quatuor ad minus in aliqua Vniuerſitate; declarantes Conuentus Vniuerſitatum, in quibus dicti actus exerceri poſſunt, eſſe infraſcriptos, videlicet.*

In primis Conuentum noſtrum Pariſienſem.

In Prou. Hiſpaniæ Conuentum Salmantinum, Valleoletanum, Segobienſem, & de Trianos.

In Prou. Toloſana Conuentum Burdegalenſem.

In Prou. Franciæ Conuentum Bituricenſem.

In Prou. Vtriuſque Lombardiæ Conuentum Bononienſem.

In Prou. Romana Conuentum Peruſinum.

In Prou. Regni Conuentum Neapolitanum S. Dominici.

In Prou. Prouinciæ Conuentum Aquenſem.

In Prou. Aragoniæ Conuentum Barchinonenſem, & Valentinum.

In Prou. Trinacriæ Conuentum S. Dominici de Panormo.

In Prou. Portugalliæ Conuentum Vlyſſiponenſem, & de Bello.

In Prou. Bætica Conuentum Cordubenſem, & Hiſpalenſem.

In Prou. Inferioris Germaniæ Conuentum Louanienſem.

In Prou. S. Thomæ Conuentum Andrienſem.

In Prouincia Calabriæ Conuentum Cuſentinum.

In Congregatione Gallicana Conuentum Nauettenſem.

In Congregatione Franciæ Conuentum Toloſanum.

In Prou. S. Crucis Indiarum Conuentum Ciuitatis S. Dominici.

In Vicaria S. Dominici Conuentum Patauinum.

In Vicaria Romana Conuentum S. Mariæ Nouellæ de Florentia.

Proteſtamur autem actus Scholaſticos, ſiue lecturas ſententiarum extra hos Conuentus ſupradictos nullatenus impoſterum debere cuiquam pro ſuſcipiendo Magiſterio ſuffragari, ſalua tamen conceſſione Apoſtolica facta alijs Vniuerſitatibus Prouinciæ Franciæ. Quæ omnia in ſubſequenti Capitulo Romæ 1553. fuere, additis Vniuerſitatibus pro Prouincijs Theutoniæ, & Dalmatiæ ita confirmata. *Item confirmamus determinationem Conuentuum, & Vniuerſitatum ſtudij in eodem Capitulo* (ſcilicet Romæ 1553.) *decretum, vbi poſſint actus ſcholaſtici exerceri, addentes Conuentum Colonienſem in Prouincia Theutoniæ, extra quas Vniuerſitates nullus Frater Ordinis eoſdem actus ſcholaſticos exercere queat. In Prouincia Dalmatiæ Conuentum Iadrenſem ſtatuimus, in quo poſſint eiuſdem Prouinciæ Baccalaurei legere ſententias pro forma, & gradu Magiſterij per annos quatuor, ita tamen quod antequam ad ipſum Baccalaureatum promoueantur, legant in Artibus, vel in Theologia ad minus per annos octo.*

28 Pro hac autem Prouincia iam pluribus elapſis annis Burdegalenſis Conuentus in Vniuerſitatem fuerat erectus, quod & Romæ 1525. fuit approbatum, inſtituto eiuſdem Regente P. F. Ioanne de Finario viro doctiſſimo, qui poſtea ex Procuratore, & Ordinis Vicario, eiuſdem Generalis Magiſter anno Dom. 1532. in Generalibus Comitijs Romæ habitis fuit renuntiatus. Ita enim in præfati Capituli 1525. Actis dicitur. *Item approbamus ſtudium inſtitutum in Conuentu Burdegalenſi Prouinciæ Toloſanæ cum ſuo Regente Magiſtro Ioanne de Finario, pro vt fuit inſtitutum per Capitulum Prouinciale dictæ Prouinciæ, & auctoritate Reuerendiſſimi Magiſtri, tunc exiſtentis, confirmatum.*

PRO PROVINCIA FRANCIAE. III.

FRanciæ Prouincia à S. Patre Dominico in Generali Capitulo Bononiæ ann. M.C.C.XXI. habito cum alijs ſeptem fuit inſtituta, vt de Prouincia Hiſpaniæ ſupra dictum eſt, cui P. F. Matthæum Socium ſuum præfecit, vt ex M. S. Archiuuij Magiſtri Ord. apparet.

Regularem perdidit hæc cum alijs Prouincijs Obſeruantiam, quam vt in illa reſtitueret P. F. Leonardus de Peruſio Magiſt. Ordinis aliquos eiuſdem Conuentus, cum reformata Congregatione Hollandiæ copulauit, atque ſub illius Vicarij obedientia ſubegit. Vnde Camberiaci Conuentus, qui ad hanc ſpectabat Prouinciam fuit eidem ſubditus ann. 1474. prout in eiuſdem Regeſtis ita teſtatum emicat. *Conuentus Camberiaci fuit ſuppoſitus Vicario Congregationis Hollandiæ, & illi Congregationi adiunctus ad curam, ad inſtantiam Duciſſæ Sabaudiæ, non tamen fuit translatus de Prouincia ad Prouinciam, ſed ſolum poſſitus ſub cura dictæ Congregationis Hollandiæ ita quod Prouincialis Franciæ de dicto Conuentu, Præſidente, & Fratribus nullatenus ſe impediat*

pediat non obſtant. quibuſcumque litteris dicto Prouinciali conceſſis, quas reuocauis Reuerendiſs. Magiſter. Bononiæ 25. Septemb. 1474. Eodemque anno Magiſtrum Paganum Dollo idem Reuerendiſs. Vicarium Commiſſarium pro Conuentibus Diuionenſi, & Guerandiæ reformandis elegit: Ita enim ſubditur in eiſdem Regeſt. *Magiſter Paganus Dollo fuit factus Vicarius Commiſſarius ad reformandum Conuentum Diuionenſem, & Guerandiæ in dominio Ducis Britanniæ cum poteſtate reducendi dictos duos Conuentus ad obedientiam; & propterea poſſit rebelles incarcerare, etiam cum brachio ſeculari, ac punire, abſoluere, & relaxare, & aſſignare Fratres vitæ regularis in dictis Conuentibus, & eoſdem Conuentus ponere ſub Vicario Generali Congregationis Hollandiæ, & omnia facere, tam in capite, quam in membris, & tam in abſoluendo Priores, quam in confirmando, quæ poteſt facere Magiſter Reuerendiſſimus, qui ſibi in hac parte vices ſuas ſimpliciter commiſit; non obſtantibus litteris conceſſis Prouinciali Franciæ, vel alijs ſub quibuſcumque clauſulis, quibus omnibus derogauit: & nullus inferior ſe opponat. Ferrariæ 16. Septemb. 1474.*

Eodem quoque anno Yprenſis Conuentus fuit obſeruantiæ regulari reſtitutus. Ita enim in eodem Regeſt. habetur. *F. Ioanni ex Curia Vicario Congregat. Hollandiæ præcipitur quod ſi Prouincialis Franciæ ante feſtum Omnium Sanctorum non reformauerit Conuentum Yprenſem, illuc accedat, Conuentum reformet, abſoluendo, & inſtituendo, & puniendo, &c. & ſubmittat Conuentum Vicario Hollandiæ, nullis obſtantibus Contrarijs Romæ 10. Iunij 1474.* Præfatus autem P. F. Io: ex Curia fuerat ab eodem Magiſtro Ordinis inſtitutus Generalis Vicarius, tam in Congregatione Hollandiæ, quam in alijs reformandis Conuentibus in hac Prouincia Franciæ die 6. Iunij eiuſdem anni prout in dictis Regeſtis ita apparet. *F. Io: ex Curia licentiatus in Theologia de Conuentu Gandenſi fuit inſtitutus Vicarius Magiſtri ſuper Congregationem Hollandiæ Prouinciæ Saxoniæ in Conuentibus iſtis, videlicet Rotterdamenſi, Hagenſi, Harlomenſi, Calkerenſi, Sniſanienſi, Suallenſi, Magdeburgenſi, Hallenſi, Roſtoxenſi, VViſmarienſi, & Monaſterijs Sororum de Vaſteriora, & Leidenſi, Duacenſi, & Nannetenſi Prouinciæ Franciæ, & ſuper Sororibus de pœnitentia B. Dominici cum plena, & pleniſſima auctoritate Magiſtri ſuper Capita, & membris in ſpiritualibus, & temporalibus, & faciendi Congregationem. Die 6. Iunij 1474.*

Diuionenſis etiam Conuentus ſupradicto anno regularem fuit obſeruantiam amplexatus, eius reformatione P. Magiſtro F. Maturino Eſpiardi ita commiſſa, ex Regeſt. ſuprad. *Magiſter Maturinus Expiardi fuit inſtitutus Vicarius Generalis ſuper Conuentu Diuionenſi cum pleniſſima poteſtate ſuper membra, & Capita, inſtituendi, abſoluendi, & reformandi, & omnia faciendi, quæ poſſet facere Reuerendiſs. Magiſter; & fuit præceptum omnibus ſub pœnis, & cenſuris in Actis Capituli Generalis* (fuit Capitulum Romanum hoc eodem anno 1474. celebratum) *taxatis, & nullus inferior. &c. Romæ die 4. Iunij* 1474. Atque ita paulatim regularis candor fuit eidem temporis beneficio reſtitutus.

Pro huius ergò Prouinciæ fœlici gubernio ſequentes ex Generalibus Capitulis emanauere ordinationes.

1 In Prædicatores Generales aſſumendi, & attigiſſe ætatis annum trigeſimum primum, & profeſſionis tertiumdecimũ debent. In Magiſtros autem, niſi per quatuor annos Theologicos actus pro forma Magiſterij exercuerint, non aſſumantur, ſub nullitatis pœna. Romæ 1650. *In hac Prouincia nullus, niſi de facto conſtiterit eum attigiſſe ætatis annum trigeſimum primum, & profeſſionis tertiumdecimum, inſtitui poſſit Prædicator Generalis, nec donari titulo Magiſterij in Theologia, niſi per quatuor annos Theologicos actus pro forma, & gradu Magiſterij exercuerit, iuxta Conſtitutiones noſtras, fueritque à Prouinciali, & Diffinitoribus Capituli Prouincialis, & Patribus Prouinciæ ſecundùm ordinationem Capituli Romani 1629. de conſenſu Patrum ſui natiui Conuentus poſtulatus, litteris quoque, ac moribus idoneis ornatus. Quòd ſi ſecus factum fuerit, nullo iure gaudeat.* Romæ autem 1629. circa præfatos graduandos hæc habentur. *Ordinamus, vt Fratres in Capitulo Niuernenſi celebrato anno 1628. ad gradus Magiſterij, Baccalaureatus, & Licentiaturæ à P. Prouinciali, & Diffinitoribus nominati, & in poſterum nominandi, nullo modo ad præfatos gradus promoueri poſſint, niſi priùs à Magiſtro Ord. vel Generali Capitulo ad id licentiam obtinuerint; quòd ſi ſecus fiat, totum ſit irritum, & nullum.*

2 Præcedentia inter Magiſtros non ab antiquitate profeſſionis, ſed laureationis ſumenda eſt. Romæ 1650. *Ad ſtabiliendam perpetuis futuris temporibus pacem, & charitatem inter Magiſtros in Theologia huius Prouinciæ, nec non deuitandos proceſſus, componendas reclamationes, & præcauenda deinceps ſcandala, quæ nimis frequenter oriuntur circa ordinem, & loca ipſorum; dicimus, declaramus, & diffinitiuè pronunciamus debere intelligi ad litteram verba, quæ habentur in Conſtitut. noſtris diſt. 2. cap. 8. in gloſſa, videlicet, quòd Magiſtri, qui fuerunt laureati via iuridica in Ordine noſtro, præcedant priùs profeſſos, laureatos tamen poſtea, ita vt non habeatur reſpectus ad antiquitatem profeſſionis, ſed ad gradum primò iuridicè obtentum. Neque præualeat inſtantia eorum, qui exponunt ſe Principium, ſeu Tentatiuam Pariſijs iam ſuſtinuiſſe niſi ibidem*

In primis Conuentum noſtrum Pariſienſem.

In Prou. Hiſpaniæ Conuentum Salmantinum, Valleoletanum, Segobienſem, & de Trianos.

In Prou. Toloſana Conuentum Burdegalenſem.

In Prou. Franciæ Conuentum Bituricenſem.

In Prou. Vtriuſqae Lombardiæ Conuentum Bononienſem.

In Prou. Romana Conuentum Peruſinum.

In Prou. Regni Conuentum Neapolitanum S. Dominici.

In Prou. Prouinciæ Conuentum Aquenſem.

In Prou. Aragoniæ Conuentum Barchinonenſem, & Valentinum.

In Prou. Trinacriæ Conuentum S. Dominici de Panormo.

In Prou. Portugalliæ Conuentum Vlyſiponenſem, & de Bello.

In Prou. Bætica Conuentum Cordubenſem, & Hiſpalenſem.

In Prou. Inferioris Germaniæ Conuentum Louanienſem.

In Prou. S. Thomæ Conuentum Andrienſem.

In Prouincia Calabriæ Conuentum Cuſentinum.

In Congregatione Gallicana Conuentum Nannettenſem.

In Congregatione Franciæ Conuentum Toloſanum.

In Prou. S. Crucis Indiarum Conuentum Ciuitatis S. Dominici.

In Vicaria S. Dominici Conuentum Patauinum.

In Vicaria Romana Conuentum S. Mariæ Nouellæ de Florentia.

Proteſtamur autem actus Scholaſticos, ſiue lecturas ſententiarum extra hos Conuentus ſupradictos nullatenus impoſterum debere cuiquam pro ſuſcipiendo Magiſterio ſuffragari, ſalua tamen conceſſione Apoſtolica facta alijs Vniuerſitatibus Prouinciæ Franciæ. Quæ omnia in ſubſequenti Capitulo Romæ 1553. fuere, additis Vniuerſitatibus pro Prouincijs Theutoniæ, & Dalmatiæ ita confirmata. *Item confirmamus determinationem Conuentuum, & Vniuerſitatum ſtudij in eodem Capitulo* (ſcilicet Romæ 1553.) *decretum, vbi poſſint actus ſcholaſtici exerceri, addentes Conuentum Colonienſem in Prouincia Theutoniæ, extra quas Vniuerſitates nullus Frater Ordinis eoſdem actus ſcholaſticos exercere queat. In Prouincia Dalmatiæ Conuentum Iadrenſem ſtatuimus, in quo poſſint eiuſdem Prouinciæ Baccalaurei legere ſententias pro forma, & gradu Magiſterij per annos quatuor, ita tamen quòd antequam ad ipſum Baccalaureatum promoueantur, legant in Artibus, vel in Theologia ad minus per annos octo.*

28 Pro hac autem Prouincia iam pluribus elapſis annis Burdegalenſis Conuentus in Vniuerſitatem fuerat erectus, quod & Romæ 1525. fuit approbatum, inſtituto eiuſdem Regente P. F. Ioanne de Finario viro doctiſſimo, qui poſtea ex Procuratore, & Ordinis Vicario, eiuſdem Generalis Magiſter anno Dom. 1532. in Generalibus Comitijs Romæ habitis fuit renuntiatus. Ita enim in præfati Capituli 1525. Actis dicitur. *Item approbamus ſtudium inſtitutum in Conuentu Burdegalenſi Prouinciæ Toloſanæ cum ſuo Regente Magiſtro Ioanne de Finario, pro vt fuit inſtitutum per Capitulum Prouinciale dictæ Prouinciæ, & auctoritate Reuerendiſſimi Magiſtri, tunc exiſtentis, confirmatum.*

PRO PROVINCIA FRANCIAE. III.

FRanciæ Prouincia à S. Patre Dominico in Generali Capitulo Bonouiæ ann. M.C.C.XXI. habito cum alijs ſeptem fuit inſtituta, vt de Prouincia Hiſpaniæ ſupra dictum eſt, cui P. F. Matthæum Socium ſuum præfecit, vt ex M. S. Archiuuij Magiſtri Ord. apparet.

Regularem perdidit hæc cum alijs Prouincijs Obſeruantiam, quam vt in illa reſtitueret P.F. Leonardus de Peruſio Magiſt. Ordinis aliquos eiuſdem Conuentus, cum reformata Congregatione Hollandiæ copulauit, atque ſub illius Vicarij obedientia ſubegit. Vnde Camberiaci Conuentus, qui ad hanc ſpectabat Prouinciam fuit eidem ſubditus ann. 1474. prout in eiuſdem Regeſtis ita teſtatum emicat. *Conuentus Camberiaci fuit ſuppoſitus Vicario Congregationis Hollandiæ, & illi Congregationi adiunctus ad curam, ad inſtantiam Duciſſæ Sabaudiæ, non tamen fuit translatus de Prouincia ad Prouinciam, ſed ſolum poſitus ſub cura dictæ Congregationis Hollandiæ ita quod Prouincialis Franciæ de dicto Conuentu, Præſidente, & Fratribus nullatenus ſe impediat*

Digitized by Google

pediat non obſtant. quibuſcumque litteris dicto Prouinciali conceſſis, quas reuocauit Reuerendiſſ. Magiſter. Bononiæ 25. Septemb. 1474. Eodemque anno Magiſtrum Paganum Dollo idem Reuerendiſſ. Vicarium Commiſſarium pro Conuentibus Diuionenſi, & Guerandiæ reformandis elegit: Ita enim ſubditur in eiſdem Regeſt. *Magiſter Paganus Dollo fuit factus Vicarius Commiſſarius ad reformandum Conuentum Diuionenſem, & Guerandiæ in dominio Ducis Britanniæ cum poteſtate reducendi dictos duos Conuentus ad obedientiam; & propterea poſſit rebelles incarcerare, etiam cum brachio ſeculari, ac punire, abſoluere, & relaxare, & aſſignare Fratres vitæ regularis in dictis Conuentibus, & eoſdem Conuentus ponere ſub Vicario Generali Congregationis Hollandiæ, & omnia facere, tam in capite, quam in membris, & tam in abſoluendo Priores, quam in confirmando, quæ poteſt facere Magiſter Reuerendiſſimus, qui ſibi in hac parte vices ſuas ſimpliciter commiſſit; non obſtantibus litteris conceſſis Prouinciali Franciæ, vel alijs ſub quibuſcumque clauſulis, quibus omnibus derogauit: & nullus inferior ſe opponat. Ferrariæ 16. Septemb. 1474.*

Eodem quoque anno Yprenſis Conuentus fuit obſeruantiæ regulari reſtitutus. Ita enim in eodem Regeſt. habetur. *F. Ioanni ex Curia Vicario Congregat. Hollandiæ præcipitur quod ſi Prouincialis Franciæ ante feſtum Omnium Sanctorum non reformauerit Conuentum Yprenſem, illuc accedat, Conuentum reformet; abſoluendo, & inſtituendo, & puniendo, &c. & ſubmittat Conuentum Vicario Hollandiæ, nullis obſtantibus Contrarijs Romæ 10. Iunij 1474.* Præfatus autem P. F. Io: ex Curia fuerat ab eodem Magiſtro Ordinis inſtitutus Generalis Vicarius, tam in Congregatione Hollandiæ, quam in alijs reformandis Conuentibus in hac Prouincia Franciæ die 6. Iunij eiuſdem anni prout in dictis Regeſtis ita apparet. *F. Io: ex Curia licentiatus in Theologia de Conuentu Gandenſi fuit inſtitutus Vicarius Magiſtri ſuper Congregationem Hollandiæ Prouinciæ Saxoniæ in Conuentibus iſtis, videlicet Rotterdamenſi, Hagenſi, Harlomenſi, Calkerenſi, Sutfanienſi, Snallenſi, Magdeburgenſi, Hallenſi, Roſtoxenſi, VViſmarienſi, & Monaſterijs Sororum de Vaſteriora, & Leidenſi, Duacenſi, & Nannetenſi Prouinciæ Franciæ, & ſuper Sororibus de pœnitentia B. Dominici cum plena, & pleniſſima auctoritate Magiſtri ſuper Capita, & membris in ſpiritualibus, & temporalibus, & faciendi Congregationem. Die 6. Iunij 1474.*

Diuionenſis etiam Conuentus ſupradicto anno regularem fuit obſeruantiam amplexatus, eius reformatione P. Magiſtro F. Maturino Eſpiardi ita commiſſa, ex Regeſt. ſuprad. *Magiſter Maturinus Expiardi fuit inſtitutus Vicarius Generalis ſuper Conuentu Diuionenſi cum pleniſſima poteſtate ſuper membra, & Capita, inſtituendi, abſoluendi, & reformandi, & omnia faciendi, quæ poſſet facere Reuerendiſſ. Magiſter; & fuit præceptum omnibus ſub pœnis, & cenſuris in Actis Capituli Generalis* (fuit Capitulum Romanum hoc eodem anno 1474. celebratum) *taxatis, & nullus inferior, &c. Romæ die 4. Iunij* 1474. Atque ita paulatim regularis candor fuit eidem temporis beneficio reſtitutus.

Pro huius ergò Prouinciæ fœlici gubernio ſequentes ex Generalibus Capitulis emanauere ordinationes.

1 In Prædicatores Generales aſſumendi, & attigiſſe ætatis annum trigeſimum primum, & profeſſionis tertiumdecimũ debent. In Magiſtros autem, niſi per quatuor annos Theologicos actus pro forma Magiſterij exercuerint, non aſſumantur, ſub nullitatis pœna. Romæ 1650. *In hac Prouincia nullus, niſi de facto conſtiterit eum attigiſſe ætatis annum trigeſimum primum, & profeſſionis tertiumdecimum, inſtitui poſſit Prædicator Generalis, nec donari titulo Magiſterij in Theologia, niſi per quatuor annos Theologicos actus pro forma, & gradu Magiſterij exercuerit, iuxta Conſtitutiones noſtras, fueritque à Prouinciali, & Diffinitoribus Capituli Prouincialis, & Patribus Prouinciæ ſecundùm ordinationem Capituli Romani 1629. de conſenſu Patrum ſui natiui Conuentus poſtulatus; litteris quoque, ac moribus idoneis ornatus. Quòd ſi ſecus factum fuerit, nullo iure gaudeat.* Romæ autem 1629. circa præfatos graduandos hæc habentur. *Ordinamus, vt Fratres in Capitulo Niuernenſi celebrato anno 1628. ad gradus Magiſterij, Baccalaureatus, & Licentiaturæ à P. Prouinciali, & Diffinitoribus nominati, & impoſterum nominandi, nullo modo ad præfatos gradus promoueri poſſint, niſi priùs à Magiſtro Ord. vel Generali Capitulo ad id licentiam obtinuerint; quòd ſi ſecus fiat, totum ſit irritum, & nullum.*

2 Præcedentia inter Magiſtros non ab antiquitate profeſſionis, ſed laureationis ſumenda eſt. Romæ 1650. *Ad ſtabiliendam perpetuis futuris temporibus pacem, & charitatem inter Magiſtros in Theologia huius Prouinciæ, nec non deuitandos proceſſus, componendas reclamationes, & præcauenda deinceps ſcandala, quæ nimis frequenter oriuntur circa ordinem, & loca ipſorum; dicimus, declaramus, & diffinitiuè pronunciamus debere intelligi ad litteram verba, quæ habentur in Conſtitut. noſtris diſt. 2. cap. 8. in gloſſa, videlicet, quòd Magiſtri, qui fuerunt laureati via iuridica in Ordine noſtro, præcedant priùs profeſſos, laureatos tamen poſtea, ita vt non habeatur reſpectus ad antiquitatem profeſſionis, ſed ad gradum primò iuridicè obtentum. Neque præualeat inſtantia eorum, qui exponunt ſe Principium, ſeu Tentatiuam Pariſijs iam ſuſtinuiſſe niſi ibidem*

reliquos etiam actus peregerint, & fuerint laureati tempore præfixo ſuę licentię. Quę omnia intelligimus tam de Magiſtris iam laureatis, quàm laureandis impoſterum, obſeruantibus, non in contrarium quibuſcumque.

3 Patres ad Conſilia ſpectantes, & vocati, ſi ad illa accedere recuſauerint, pro qualibet vice per ſex menſes ſuſpenſionem à tali munere incurrunt; pertinaces autem omnino ſuſpendatur. Romæ 1650. *Statuimus quòd Patres à Conſilijs vocati in Conſilium, ſi venire recuſent, ſuſpenſionem à Conſilio per ſex menſes incurrant toties quoties, niſi conſtiterit de legitimo impedimento: Quod ſi pertinaces fuerint, ſuſpendantur omnino, & alijs inſuper pœnis afficiantur.*

4 Nouitij recipiantur in Conuentibus regulari obſeruantiæ deditis. Romæ 1650. *Ordinamus, quòd in Conuentibus, vbi Nouitij recipiuntur ad probationem, vigeat exactè regularis obſeruantia, ac Nouitij ſub ſpeciali Magiſtro notæ probitatis, & prudentiæ viro inſtituantur in rigida Ordinis diſciplina: Secus declaramus eorum receptionem ad habitum, & profeſſionem nullam, iuxta decretum fel. record. Vrbani VIII. ad inſtantiam Regis Chriſtianiſſimi emanatum.* In Capitulo autem antecedenti Valentiæ ann. 1647. celebrato circa recipiendos Nouitios ſequentia fuerunt ordinata. *Ordinamus, quòd per Prouincialem, & Diffinitores Capituli Prouincialis proximè futuri deputentur maiores Conuentus, in quibus Nouitij ſecundùm rigorem Conſtitutionum educentur; qui quidem Conuentus erunt Nouitiatus, dummodo ſex, aut ſaltem quatuor in eis ſint Nouitij.* In Capitulo verò Romano 1612. ſequentes Conuentus iuxta Nationum diuerſitates fuere pro Nouitijs alendis aſſumpti. *Deputamus, & inſtituimus quinque Conuentus ſecundùm præcipuas Nationes dictæ Prouinciæ, in quibus Nouitij recipiantur ad habitum, & educentur, ac in regulari obſeruantia inſtruantur. Pro natione Campaniæ, & Lotharingiæ, Conuentus Tullenſis. Pro Natione Burgundię, Conuentus Diuionenſis. Pro Natione Aquitaniæ, Conuentus Pictauienſis. Pro Natione Normandiæ Conuentus Cadomenſis.*

5 In omnibus Conuentibus ſufficienti Fratrũ numero ditatis, habeatur Caſuum Conſcientiæ lectio. Romæ 1650. *Lectio Caſuum Conſcientiæ habeatur in omnibus Conuentibus, vbi fuerit ſufficiens Fratrum numerus.*

6 In Conuentu Leodienſi Iuuenes non admittantur ad Philoſophiæ ſtudium, niſi prius in Vicariatu Hamſmurani humanioribus litteris operam nauauerint. Romæ 1650. *Approbamus, & confirmamus acceptationem Vicariatus Hamſmurani pro Conuentu Leodienſi, factam in Capitulo Prouinciali Xantonenſi 1649. curamque illius ſtrictiſſimè commendamus R. P. Priori dicti Conuentus pro tempore; Inſuper nolumus impoſterum Iuuenes illius mitti ad ſtudium Philoſophiæ, niſi priùs in dicto Vicariatu per duos annos, ſi opus fuerit, humaniores litteras docuerint.* Errorem in hoc vltimo verbo irrepſiſſe opinior, dum dicitur *docuerit* pro *didicerint*.

7 Gallicanæ Congregationis erectio in Prouinciam nullum deber afferre præiudicium huic Prouinciæ; ita fuit declaratum Valentiæ 1647. *Declaramus erectionem Congregationis Gallicanæ in Prouinciam ſub titulo Prouinciæ Pariſienſis nullo modo præiudicare iuribus Prouinciæ Franciæ in Conuentu Pariſienſi S. Iacobi, ita vt omnia iura, quæ dicta Prouincia Franciæ in dicto Conuentu habebat ante erectionem prædictam, illæſa prorſus, & intacta maneant.*

8 In Conuentu Pariſienſi S. Iacobi debet eſſe determinata camera pro hoſpitio P. Prouincialis huius Prouinciæ. Valentiæ 1647. *Cum Prouincia Franciæ nullum Pariſijs habeat Conuentum, aut Hoſpitium, ibique ſæpius immorari R. Ad. P. Prouinciali Franciæ pro gerendis ſuæ Prouinciæ negotijs neceſſe ſit; ordinamus iuxta antea ſtatutum per Reuerendiſſimum P. Generalem, vt in Conuentu S. Iacobi Pariſienſis ſpecialis deputetur camera pro hoſpitio R. Ad. P. Prouincialis Franciæ pro tempore, in qua nullus niſi ipſe habitare poſſit, & quæ ſibi ſit ſpecialiter affecta.*

9 Conuentus obſeruantię iuriſdictioni P. Prouincialis ſubſunt. Valentiæ 1647. *Confirmamus ordinationes, quas fecit Reuerendiſſ. P. Generalis* (erat P. F. Thomas Turcus) *in ſua Galliarum viſitatione pro bono ipſius Prouinciæ, vitæque regularis incremento; ita tamen quod omnes Conuentus Obſeruantiæ, & Patres, & Fratres in eis degentes ſub Vicario ad eos regendos deputato à Reuerendiſſ. Generali, pleniſſimè ſubſint auctoritati, & iuriſdictioni R. Ad. P. Prouincialis, vt fertur in Conſtitutionib. diſt. 2. cap. 1. in declarationibus.*

10 Conuentum Rupellenſem ad hanc Prouinciam ſpectare declaratum fuit Valentiæ 1647. *Declaramus Conuentum Rupellenſem ad dictam Franciæ Prouinciam pertinere, eidemque eſſe incorporatum, cum eiuſdem Prouinciæ ſit antiquum membrum, iamque per curam RR. PP. Prouincialium Franciæ ferè in priſtinum ſtatum ſit reſtitutus; idque iuxta declarationem à Reuerendiſſ. P. Generali factam, cui declarationi non obſtabit Capitulum Romanum ann. 1629. vbi inter Conuentus Congregationis S. Ludouici dictus Rupellenſis Conuentus per inaduertentiam eſt numeratus.*

11 In quolibet Prouinciali Capitulo vnus tantùm nominetur Baccalaureus pro qualibet facultate ad ſentẽtias legendas. Valentię 1647. *Ordinamus quod deinceps in quolibet Capitulo Prouinciali vnus tantum nominetur Baccalaureus ad lecturam ſententiarum, pro qualibet fa-*

cul-

Digitized by Google

cultate, & quod nullus ſit capax nominationis, qui examinatus rigoroſè non fuerit, & approbatus per quinque Magiſtros à RR. Add. PP. Prouinciali, & Diffinitoribus Capituli deputatos.

12 Doctorali laurea nullus inſigniatur, qui teſtimoniales litteras non exhibuerit Reuerendiſs. Magiſtro Ord. ſuarum Theologicarum actionum, ac probitatis vitæ. Valentiæ 1647. *Item* (ſcil. ordinamus) *quòd nullus poſſit laurea Doctorali inſigniri, qui non tranſmiſerit ad Reuerendiſs. Generalem litteras teſtimoniales facultatis Theologicæ, pro qua deputatus eſt, quibus conſtet eum omnes ex integro perfeciſſe actus in ea fieri ſolitos; & etiam litteras teſtimoniales iuratas R. Ad. P. Prouincialis, & P. Prioris Conuentus, in quo pro gradu eſt aſſignatus; in quibus litteris apertè conſtet eundem, & probatis ſplendere moribus, & eoſdem actus Vniuerſitatis ex integro parfeciſſe.* & Mediolani 1622. de hac re ita iam fuerat decretum. *Rogamus Reuerendiſs. P. N. Generalem ne diſſentiente P. Prouinciali nominationes Bacealaureorum huius Prouinciæ, quæ fiunt pro tempore in Conuentu Pariſienſi, confirmet; ſtatuimuſque ne impoſterum dictæ Prouinciæ Fratres ad Baccalaureatum nominentur, niſi prius bono teſtimonio P. Prouincialis fuerint commendati.*

13 Collegium humanarum litterarum, Theologiæ, & Philoſophiæ in Grationopolitano Cœnobio fundatum conſeruetur, atque in Baccalaureorum promotione habeatur eorum ratio, qui in dicto Collegio curſum perfecerint. Valentiæ 1647. *Præcipimus RR. PP. Magiſtro Priori, cæteriſque Magiſtris, & Patribus, & Fratribus Conuentus Grationopolitani, vt Collegium humanarum litterarum Philoſophiæ, & Theologiæ, quod huc uſque in prędicta Ciuitate fæliciter rexerunt, ardentiori deſiderio deinceps proſequantur; ipſiſque ſub formali pręcepto prohibemus ne dictum Collegium derelinquant, ſed in procuranda gloria Ordinis, ſecularium que educatione diligentiùs inuigilent; quod vt fructuoſiùs, & libentiùs fiat, ordinamus quòd in promotione Baccalaureorum habeatur ratio eorum, qui in dicto Collegio curſum perfecerint, & ita vt nullus filius dicti Conuentus promoueatur ad gradum Magiſterij, niſi priùs curſum Philoſophicum in eo perlegerit.* Idem fuerat ordinatum Romæ 1612.

14 In Conuentu Tullenſi Nouitij huius Prouinciæ nomine recipiantur. Toloſæ 1638. *Decernimus, vt in Conuentu Tullenſi, quem PP. Congregationis noſtrę Occitanę moderantur, ad habitum noſtri Ord. recipiantur, ſeruatis ſeruandis Nouitij nomine Conuentuum aliorum Prouincię Francię, qui vſque ad Sacerdotium ibi educentur, vt ſic ipſa Prouincia arctiorem obſeruantiam faciliùs amplectatur. Monemus autem Fratres noſtros, ne Conuentus à ſuis Prouincijs ſeparari procurent.* Hoc autem vltimum etiam in antecedenti Capitulo Mediolani in Conuentu S. Euſtorgij celebrato ann. 1622. ita fuerat mandatum. *Mandamus P. Prouinciali, vt iuxta pijſſimam Chriſtianiſſ.mi Regis mentem ad reformationem reſtituendam, & promouendam animum intendat; & ſtatuimus ne Conuentus (dum reformatio viguerit) à Prouincia, neque a iuriſdictione Prouincialis ſeparentur.* Et Vlyſſiponæ 1618. ita dicitur. *Committimus, & quantum poſſumus, obnixè rogamus Reuerendiſs. P. N. Generalem, quòd R. P. Prouinciali ſuper regulari obſeruantia, & reformatione diligenter, & cum fructu aduigilante Conuentus Prouincię ab ea nequaquam ſeparet.*

16 PP. Prouinciales Monialium clauſuram iuxta Apoſtolica decreta ſeruari omnino procurent. Mediolani 1622. *Item mandamus eidem P. Prouinciali, vt omnino curet inuiolatam ſeruari clauſuram Monialium iuxta decreta Pontificia, & S. Concil. Tridentini, ipſaſque Moniales ad hoc, ſi opus fuerit, pręceptis, & pœnis grauiſſimis iuxta eadem decreta compellat.*

17 Grauiores Patres ad Prioratus ſuſcipiendos poſſunt compelli. Vlyſſiponæ 1618. *Admonemus R. P. Prouincialem, quòd ſi PP. Magiſtri, ſeu grauiores in Priores, etiam miſerabilium Conuentuum electi, & confirmati fuerint, ipſos Patres grauioribus pœnis, & cenſuris Prioratus illos (niſi aliàs ſubſiſtentem, & legitimam cauſam pro ſe adduxerint) acceptare compellat.*

18 Neque etiam prætextu reformationis ſubeundæ debent Fratres ex hac ſua Prouincia egredi abſque licentia. Vlyſſiponæ 1618. *Declaramus quod Fratres non poſſunt ſine licentia legitima egredi propriam Prouinciam, nec etiam pretextu ſe transferendi reformationis gratia ad aliam Prouinciam, vel Congregationem.*

19 Omnes in Dormitorio communi quieſcant, nullique licet extra illud cellam habere. Bononię 1615. *Committimus eidem P. Prouinciali, ac Prioribus pręfatis, vt Patres, ac Fratres ſuos in dormitoria Conuentuum ſeſe recipere, & ibidem cellas ad manendum, & dormiendum iuxta pręſcriptum Conſtitutionum noſtrarum habere compellant, quod pręſertim Priori Conuentus noſtri Beluacenſis (quem Conuentum ſpecialiter pro reformatione, & exacta regulari obſeruantia deſignamus) nominatim committimus. Derelinquant autem Fratres Conuentuales alias cameras extra dormitorium pro vſu infirmariæ, atque aduentantium hoſpitium.*

20 Conſilia Patrum nullam ſupra Prouinciales, vel Priores auctoritatem habere præſumant. Bononiæ 1615. *Declaramus, Conſilium Patrum cuiuſcunque Conuentus nullam prorſus habere ſupra Priorem Conuentus, & multo minus ſupra Prouincialem eiuſdem Prouincię poteſtatem, vel auctoritatem aliquam; ne-*

neque aliquod decretum, ſeu determinationem contra auctoritatem prædictorum ſuorum Prælatorum facere poſſe, quacumque in contrarium conſuetudine, ſeu potiùs abuſu non obſtante. Præſertim verò damnamus, & reprobamus intollerabilem abuſum illorum paucorum Conuentuum; qui auſu temerario Prouincialem ſuum in eiſdem Conuentibus, excepto viſitationis tempore, tanquam Prouincialem recipere noluerint, & contra Prælatorum ſuorum mandata ad Conſilium Patrum eorundem Conuentuum appellauerint: Declarantes quòd quemadmodum Prior Prouincialis in Ordine noſtro caput eſt Prouinciæ, quæ eidem ſubijcitur, ita etiam Priorem Conuentualem caput eſſe ſui Conuentus, & omnium Patrum, tam à conſilijs, quàm aliorum: Vnde ſi Priores Conuentuales in aliquo defecerint, debebunt ſubditi eorum monere Prouincialem; ſed neque ipſi, neque Coſilium ipſorum Patrum ſupra, vel contra Priorem vllam prorſus poterunt exereere iuriſdictionem, aut poteſtatem; Contrafacientes autem volumus vt tanquam conſpiratores, contumaces, & alienæ poteſtatis vſurpatores pœna grauiſſima, tum à Sac. Canonibus, tum à noſtris Conſtitutionibus contra huiuſmodi delinquentes præſcripta, puniantur.

21 Omnia iura huius Prouinciæ circa Studium Pariſienſe fuere confirmata Romæ 1612. *Confirmamus omnia iura Prouinciæ noſtræ Franciæ in Conuentu Pariſienſi circa ſtudium, ad ius aſſignandi, & ad ordinem promotionum, in quibus filij Prouinciæ Franciæ ſunt æqualis conditionis filijs Congregationis Gallicanæ.* Ad prædictum autem ſtudium nullus mittatur, niſi ſit bene inſtructus in humanioribus literis. Romæ 1612. *Ordinamus vt imposterum ex dicta Prouincia Franciæ nullus mittatur ad ſtudium Pariſienſe niſi bene inſtructus ſit in humanioribus literis; & niſi fuerit aſſignatus à P. Prouinciali dictæ Prouinciæ, vel à Capitulo Prouinciali.*

22 Nullus ad ſententiarum lecturam promoueatur, qui Theologiæ per quatuor annos operam non dederit. Romæ 1612. *Ordinamus vt nullus nominetur ad lecturam ſententiarum, qui non ſtuduerit in Theologia per quatuos annos, & niſi approbatus fuerit à P. Prouintiali de licentia Reuerendiſſimi Magiſtri Ord.*

23 Inſtituantur Lectores vt legant. Romæ 1612. *Ordinamus inſuper vt non inſtituantur Lectores niſi ad hoc vt actu exerceant officium lectoratus; qui verò titulum Lectoratus ad hoc tantùm obtinuerunt, aut in futurum obtinebunt, vt Paternitatem conſequantur, titulo Lectoratus priuentur.*

24 Conuiuia, & recreationes non fiant ratione Lectoratus, vel Paternitatis &c. Romæ 1612. *Abrogamus, & tollimus omnia iura, quæ prætendunt Conuentus, & Patres ſibi deberi ab ijs, qui inſtituuntur in Patres à Conſilijs; ſimiliter prohibemus fieri experſas, conuiuia, & recreationes pro Lectoratu, Sublectoratu, Paternitate, & ſimilibus; imponimuſque omnibus, & ſingulis perpetuum ſilentium ſuper huiuſmodi prætenſionibus.*

25 Superiores, & Syndici terminato biennio, ipſo facto ſunt à ſuis muneribus abſoluti. Romæ 1612. *Declaramus Superiores, & Syndicos in dicta Prouincia iuxta ordinationes Capitulorum Generalium, & Prouincialium completo biennio abſque vlla declaratione ipſo facto eſſe abſolulos, nec poſſe ad idem officium in eodem Conuentu reaſſumi.*

26 Nouitij in ſeparato à communi dormitorio loco ſub proprio Magiſtro permaneant; nec ad particularia fratrum obſequia deputentur. Valliſoleti 1605. ord. 32. *In Prouincia Franciæ ad eius petitionem ordinamus, ne Nouitij commorentur in dormitorio Sacerdotum, ſed ſeparatum locum habeant, vbi ſimul religiosè ſub cura Magiſtri Nouitiorum educentur, nec recipiantur ad habitum niſi in certo numero determinato iuxta domus facultatem; nec liceat in omnibus Galliæ Prouincijs cuicumque Fratri, cuiuſuis ſit gradus, & conditionis eos, vel eorum aliquem in proprijs cameris retinere, & ab particularia obſequia deputare.*

27 Vt Prouinciales eſſent ſexennales, conceſſum fuerat huic Prouinciæ ad eius petitionem Romæ 1580. conceſſ. 5. hoc modo. *Concedimus Prouinciæ Franciæ ad eius petitionem quòd Prouinciales deinceps ſint ſexennales, & quòd Capitula de triennio dumtaxat in triennium futuris temporibus à celebratione futuri Capituli celebrentur.* Veruntamen Romæ 1629. Ord. 11 pro toto Ordine ſancitum fuit, iuxta diſpoſitionem Iulij Papæ II. Ne Prouinciales vltra quadriennium in officio ſuo perſeuerent, vt in prima parte de Prioribus Prouincialibus dictum eſt num. 60. Romæ etiam 1571. Ord. 18. ad petionem eiusdem Prouinciç pariter ordinatum fuerat vt Prouinciales eſſent quadriennales, & Romæ 1558. conceſſ. 1. conceſſum fuerat ad Prouinciç petitionem, quòd poſſit & debeat Prouincialis in ſuo munere vltra quadriennium perſeuerare, non obſtante ſtatuto Capituli Generalis Salmantini. Salamanticç autem 1551. declarat. vltima fuit determinatum, huius, & Germaniç inferioris Prouinciales poſt expletum quadriennium Prouincialatus ſtatim fore à ſuis officijs abſolutos iuxta Apoſtolicam determinationem Iulij Papç II. & tandem Romæ 1601. declar. 7. ita dicitur *Declaramus in Prouincia Franciæ non poſſe Prouincialem in ſuo perdurare officio pluſquã per quadriennium; quod etiam in Prouincia Inferioris Germaniæ omnino obſeruari volumus.*

28 Magiſtri in hac Prouincia electi in Priores Conuentuales tenentur tale munus ſubire, aliàs in ſimplices Fratres in eiſdem Cõuentibus, in quibus fuerunt electi, aſſignentur. ita fuit ordinatum Venetijs 1592. ord 35. pro Congregatione Gallicana. *Ordinamus pro Cõgregatione Gallicana, quòd Magiſtri in S. Theologia*

logia in Priores alicuius Conuentus electi, & confirmati, id manus acceptare omnino teneantur; aliter in eodem Conuentu in ſimplices Fratres aſſignentur, niſi rationabilem cauſam Ad. R. P. Vicarij Congregationis iudicio tale officium non acceptandi habuerint. quæ ordinatio etiam ad Fratres Magiſtros huius Prouinciȩ fuit extenſa Romæ 1601. decl. 8. *Declaramus ordinationem 35. Capituli Veneti pro Congregatione Gallicana extendendam eſſe ad Prouinciam Franciȩ, videlicet Magiſtros in Theologia electos in Priores aliquorum Conuentuum teneri acceptare prȩdictos Prioratus.*

29 Confeſſarij Monialium ad Prouincialis libitum ſunt amouibiles. Romæ 1580. ord. 14. *Ordinamus pro Prouincia Franciȩ ad eius petitionem, quòd Confeſſarij Monialium ad libitum Prouincialis remoueri poſſint ab officio Confeſſarij, reuocantes præſenti ſtatuto quaſcumque litteras huiuſmodi Confeſſarijs admodum conceſſas.*

30 Vt hæc Prouincia poſſet deſignare duos PP. Regentes pro Pariſienſi ſtudio, conceſſũ illi fuit, vt habeatur Neapoli 1600. conf. 2. *Confirmamus quod aliàs conceſſum fuit Prouinciȩ Franciæ; nempè quòd poſſit mittere, & deputare duos Patres idoneos, & doctos in Regentes in ſtudio Pariſienſi.*

31 Ambianenſem Conuentum ad hanc Prouinciam ſpectare declaratum fuit à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. P.F. Thoma Turco, & confirmatum Valentiæ 1647. hoc modo. *Confirmamus decretum, & ſententiam latam per Reuerendiſs. Magiſtrum Ord. pro reſtitutione Conuentus Ambianenſis eidem Prouinciæ Franciæ, cuius decreti tenor infra ſequitur.*

Nos F. Thomas Turcus Sac. Theol. Profeſſor ac totius Ord. Prædicat. humilis Magiſter Gen. & ſeruus.

Cum ex ſpeciali commiſſione Capituli Generaliſſimi Romæ celebrati ann. 1644. nobis fuerit demandatum, vt in noſtra Gallicana viſitatione decerneremus in cauſa vertente inter Prouincias, & Congregationem S. Ludouici circa repetundas aliquorum Conuentuum, nobiſque P. Prouincialis Prouinciæ Franciæ expoſuerit, Conuentum noſtrum Ambianenſem non eſſe à ſua Prouincia ſeparatum, ſed ſolum P. Vicario præfatæ Congregationis ad tempus commendatum; ac proinde petierit inſtanter huiuſmodi commendationem terminari, & ſibi præfatum Conuentum in præſenti reſtitui; Nos auditis priùs hinc inde vtriuſque partis, ſcilicet P. Prouincialis præfati, & P. Vicarij Congregationis S. Ludouici rationibus, viſiſque omnibus videndis, & maturè conſideratis, harum ſeriæ, noſtrique auctoritate officij declaramus, prȩfatum Conuentum Ambianenſem de iure pertinere ad præfatam noſtram Prouinciam Franciæ, ac proindè eidem eſſe incorporatum, & vnitum, & non niſi ad tempus fuiſſe commiſſum Patribus Congregationis noſtræ S. Ludouici; Ideoque vt ius reddatur dictæ noſtræ Prouinciæ, volumus, declaramus, & ordinamus hanc commiſſionem durare vſque ad quinquennium à datis præſentium computandum, & numerandum, quo elapſo decernimus finitam eſſe, ac terminatam huiuſmodi commiſſionem; & actualem dicti Conuentus curam, & diſpoſitionem plenè exercendam fore à P. Prouinciali præfatæ noſtræ Prouinciæ Franciæ, dummodo tamen in eadem Prouincia competens fuerit numerus Conuentuum, in quibus vera, & realis vigeat obſeruantia ſecundùm arbitrium noſtrum indicandus: Ordinantes interim, vt dicta noſtra Congregatio teneatur in compenſationem recipere, ſeu educare quatuor Fratres dictæ noſtræ Prouinciæ Franciæ, vt magis in eadem floreſcere valeat regularis obſeruantia; ita tamen, vt hȩc obligatio ſtatim ceſſet poſt redditam Prouinciȩ eidem poſſeſſionem præfati Conuentus. Vt autem pax inter præfatas Prouinciam, & Congregationem ſeruetur, & foueatur, inhȩrentes decreto Capituli Generaliſſimi Romæ ann. 1644. celebrati prohibemus, & prȩcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiȩ ſub formali prȩcepto, nec non ſub pœna excommunicationis latæ ſententiȩ hac vna pro trina canonica monitione prȩmiſſa, ne quis impoſterum aliquem, vel aliquos Conuentus dictȩ noſtrȩ Prouinciȩ ſub quocunque prȩtextu, etiam reformationis factȩ, aut faciendȩ præſumat ſine noſtra licentia inuadere, aut à iuriſdictione dicti P. Prouincialis pro tempore, ſeu à noſtra Prouincia ſeparare; ſicut neque ſub quouis prȩtextu Fratres dictȩ Prouinciȩ ab obedientia eiuſdem P. Prouincialis fugientes, & ſine licentia ad ipſorum recurrentes recipere, fouere, aut defendere; quibuſcumque in contrarium non obſtant. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus San. Amen. In quorum fidem his officij noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Dat. Pariſijs in noſtro Conuentu S. Iacobi die 17. menſis Iulij ann. Dom. 1646.

F. Thomas Turcus, qui ſupra

Reg. fol. 1x.

F. Petrus Maria de Sextula Mag. & Socius.

32 Graduatorum numerus in hac Prouincia non fuit præfixus cum alijs Prouincijs in Generalibus Capitulis Romæ 1583. & 1589 vt diximus ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26.

33 Bituricenſis Conuentus pro Vniuerſitate ad legendum pro gradu, & forma fuit declaratus Romæ 1551. decl. 1. *Vide ſupra Pro Prou. Toloſana num. 27.*

PRO PROVINCIA LOMBARDIAE.

IV.

Lombardiæ Prouincia, vna ex præſtantiſſimis Ord. à S. P. Dominico in Generali Bouonienſi Capitulo ann. MCCXXI. cum reliquis ſeptē (vt ſupra Pro Pronincia Hiſpaniæ diximus) inſtituta fuit, cui ab eodem S. Patre in primum Paſtorem, licet abſens, datus fuit dilectus Deus, & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt, B. Iordanus, qui poſt S. Patris in Cœlum aſſumptionem, Ordinem noſtrum ſummo zelo, & pietate rexit. Ita enim in eiuſdem Capituli Actis habetur: *In quo quidem Capitulo Generali F. Iordanis factus fuit Prior Prouincialis Lombardiæ, ſicut ipſemet in ſub libello præfato ſcribit; qui tamen præſens non ērat in Capitulo.* Quo poſt S. Patris in Cœlum aſſumptionem, in eius ad Ordinis regimen ſucceſſorem electo in Generalibus Comitijs Pariſijs ann. 1622. in feſto Pentecoſtes habitis, præfatæ Prouinciæ Prior Prouincialis fuit inſtitutus P.F. Ventura Veronenſis ex Bononienſis Conuentus Priore, qui ob egregias ſuas virtutes S.P. N. ſummopere charus extitit, eiuſque generalem confeſſionem inſtante mortis tempore excepit, vt in M. S. Acchiuij Ord. legitur.

Perſeuerauit vna vſque ad annum 1301. quo multiplicatis valde in ea Conuentibus, in Generali Capitulo Coloniæ congregato, per modum inchoationis ſanxere Patres, in Superiorem, & Inferiorem Lombardiam diuidendam fore, quod & in ſequentibus Generalibus Comitijs ann. 1302. Bononiæ habitis approbatum, etiam apud Biſuntium 1303. confirmatum hoc pacto fuit. *Item confirmamus hanc, quòd Prouincia Lombardiæ diuidatur, & diuidimus eam in duas, ita quòd Conuentus omnes Marchiæ Anconitanæ, & Romaniolæ cum Bononia, Mutina, Regio, Parma, & Ferraria, & omnes Conuentus Patriarchatus Aquileienſis, & Gradenſis, excepto Conuentu Cumano* (hoc eſt Nouocomenſi; ita enim talis Conuentus ſemper in antiquis Capitulis nominatur) *ſint vna Prouincia, & vocetur Lombardia Inferior, & teneat ſecundum locum in Choro ſiniſtro iuxta Prouinciam Toloſanam: Omnes autem Conuentus de Archiepiſcopatu Mediolanenſi, & Ianuenſi, cum Conuentibus Papienſi, Placentino, & Cumano ſint alia Prouincia, & Lombardia Superior nominetur, & teneat locum in Choro dextro poſt Prouinciam Prouinciæ, & hoc habet tria Capitula.*

Perſiſtit vtraque Prouincia ſub præfatis nominibus Lombardiæ Inferioris, & Superioris vſque ad ann. 1410. quo in Capit. Generali Bononiæ habito inter multas Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate ſancitas, prout in confirmatione vltima aſſeritur, decretum fuit, Inferiorem Lombardiam, Prouinciam S. Dominici; Superiorem verò, abſolutè Prouinciam Lombardiæ fore nuncupandam. Ita enim confirmat. 5. dicitur. *Item hanc* (ſcil. ordinationem confirmamus) *quòd Prouincia Lombardiæ Inferioris dicatur de cætero Prouincia S. Dominici, & Prouincia Lombardiæ Superioris dicatur, & vocetur Prouincia abſolutè Lombardia, & debet in Conſtitutionibus vbicumque fuerint prædicta nomina, vt præmittitur, commutari.*

Cum verò B. Raymundus de Capua Generalis Magiſter eliminatum regularis obſeruantiæ nitorem ob communia Eccleſiæ, atque Orbis mala noſtro Ordini reſtituere decreuiſſet, omnibus, & ſingulis Prouincijs, vt vnum Conuentum pro regularia obſeruantia exactè adimplenda eligerent, imperauit, datis de hoc litteris Romæ die 1. Nouemb. ann. 1390. In huius igitur decreti executionem aliqui PP. regularis obſeruantiæ amatores, inter quos recenſentur Io: Dominici de Florentia, Thomas Aiurami Chriſto de Piſis, Thomas de Senis, Hieronymus à Fulgineo, Marcolinus Foroliuienſis, Nicolaus de Rauenna, & Robertus de Neapoli eandem in Italia reſtituendam curauere, ac propterea aliqui ex ipſis in Conuentum S. Dominici de Venetijs Fratribus deſtitutum ſe recipientes ſub prædicto P.F. Thoma Aiutami Chriſto de Piſis (quē Magiſter Ord. Priorem inſtituit, vt in prima par. de Reformat. Ord. diximus) exactiſſimam viuendi formam iuxta Conſtitutionum noſtrarum tenorem amplexati fuere; ex quo loco poſtea, tanquam virtutum omnium vbertimo Seminario in plurimos Lombardiæ Conuentus ſeſe mirabiliter diuina cooperante gratia diffudit, ex quibus Congregatio Lombardiæ Vitæ Regularis (ita enim in Actis Capitulorum Generalium, & Regeſt. Magiſtrorum Ord. nuncupabatur) coaluit.

Cum

Cum verò temporis beneficio, & principaliora,& maiora numero in Prouincijs,Lombardiæ, & S.Dominici, ſibi ſubegiſſet Cœnobia, Clemens Papa VII. præfatam Congregationem in Prouinciam vtriuſque Lombardię Reformatam anno 1531. erexit; quod in Romano Capitulo ann.1532. denunc.1. fuit vniuerſo Ordini,ita denunciatum. *Denunciamus Sanctiſs. D.N. Clementem Papam VII. Congregationem Lombardiæ extinxiſſe, & erexiſſe in Prouinciam Vtriuſque Lombardiæ Reformatam.*

Erecta igitur in Prouinciam Congregatione prędicta, Conuentus illi, qui ad Prouinciam S.Dominici nuncupatam, ſeu aliàs Lombardię Inferioris ſpectabant, atque reformationem amplecti renuebant, ſub Vicaria particulari, S. Dominici retento ſibi antiquo nomine,perſeuerauere; qui verò ad Prouinciam Lombardię, ſeu aliàs Lombardię Superioris pertinebant, ſub Vicaria etiam particulari, S.Petri Martyris nuncupata,permanſere, donec vtraque in Prouinciam fuit erecta; prior quidem anno 1580. in Capitulo Romano, poſterior verò etiam Romę 1601. vt proprijs locis dicemus.

Pro vitę igitur regularis conſeruatione ſequentia fuere in diuerſis Generalibus Capitulis ordinata.

1 Ad Clericorum habitum, vt aliquis recipiatur, debet priùs à P. Prouinciali de Conſilio Patrum approbari. Valentię 1647. *Ordinamus, quòd impoſterum nullus ad habitum Clericorum recipiatur, qui à P.Prouinciali perſonaliter non fuerit de conſilio Patrum approbatus; nouitiatuſque ſimplicium quantum fieri poteſt non interrumpatur per nouas veſtitiones, ſed omnes ſimul in eodem Nouitiatu;recipiantur, omnibus profeſſis excluſis à dicto Nouitiatu, qui tamen non amoueantur à Conuentu, pro quo profeſſionem emiſerunt, quoaduſque totum curſum Philoſophicum expleuerint.*

2 Conuerſi ad profeſſionem non recipiatur, niſi per integrum annum in Conuentu, pro quo debent profeſſionem emittere, permanſerint. Valentię 1647. *Confirmamus ordinationem factam in Capit. Prouinciali 1645. quod nullus Conuerſus ad profeſſionem poſſit admitti, niſi actualiter manſerit per annum continuum in eo Conuentu, pro quo profiteri debet; numerus verò Conuerſorum excedere non poſſit taxam à S. Congregatione, & à noſtris Conſtitutionibus præfixam, irritates quidquid in contrarium factum fuerit; & volentes quòd reducatur ad praxim ordinatio Capituli Generaliſſimi Romæ ann. 1644. videlicet quod in ſingulis annis approbentur, ac examinentur de ſufficientia morum, ac vitæ Chriſtianæ à Patribus à Conſilijs, & qui inuenti fuerint deficientes puniantur, etiam priuatione ſcapularis.*

3 Ordinationes pro Lectoribus Prędicatoribus, & Studentibus factę à Reuerendiſs. Turco in viſitatione Conuentus Bononienſis fuere confirmatę Valentię 1647. in hunc modum. *Ordinationes à Reuerendiſs. P. Generali in viſitatione Conuentus Bononien. factas confirmantes, mandamus Priori Prouinciali, & P. Priori eiuſdem Conuentus Bononien. vt eos omnino ſeruari faciant; decernentes, quod ſi aliquis contra formam in præfatis ordinationibus ſtatutam in Studentem formalem, vel Lectorem, ſeu etiam Prædicatorem examinatus fuerit, & approbatus, totum ſit irritum, & nullum, ſicut de facto id irritum, & nullum eſſe decernimus, taleſque contra formam, vt ſupra examinatos, & approbatos, pro nō examinatis, & approbatis haberi volumus. Verum eaſdem ordinationes pro ea parte, in qua reſpiciunt ſtudium, extendentes ad Studentes, & Nouitios totius Prouinciæ; ordinamus quòd Studentes, qui ſunt extra ſtudium Bononienſe ſingulis annis examinentur, tam de moribus quàm de litteris, & quod nullus poſſit admitti ad examen ſtudentatus formalis, qui conferentias non frequentauerit, & qui concluſiones publicas de toto curſu Philoſophico laudabiliter non ſuſtinuerit. Et ſimiliter quod non poſſit aliquis in Lectorem promoueri, qui conferentijs non adfuerit, & annuale examen non ſubierit, & concluſiones de auditis in triennio ſui ſtudentatus laudabiliter non defenderit; de quibus omnibus litteras teſtimoniales iuratas examinandus deferre debebit; quod de graduandis gradu Prædicatoris intelligi volumus, ſaltem quantùm ad conferentias, & examen. Volentes inſuper quòd Studentes formales, quibus aſſignatus eſt Conuentus pro triennio ſui ſtudentatus extra Bononiam, non poſſint admitti ad examen Lectoratus, niſi de facto in eiſdem Conuentibus triennium expleuerint abſque interruptione. Conuentus autem, in quibus manere poterunt Studentes formales extra Bononiam erunt, Cremonenſis, Fauentinus, Neapolitanus, & Papienſis, vſque quo Boſchenſis ſit in meliori ſtatu, & abſque bellorum periculo poſſit Studentes admittere: & Examinatores ſtudentium extra Bononiam erunt Magiſtri in Tdeologia, & Lectores Theol. actu legentes, & ſi ex iſtis non completur numerus qninarius, qui fuerunt Lectores primi eiuſdem, vel alterius Conuentus, et in horum defectum Lectores Theologi, & his deficientibus actuales Lectores Artium: quòd ſi contra formam in hac ordinatione ſtatutam aliquis, vel in Studentem, vel in Lectorem, ſeu Prædicatorem fuerit examinatus, totum ſit irritum, & nullum, & vt pro irrito, & nullo habeatur præſenti decreto decernimus. Nouitij etiam non admittantur in ſtudio Bononien. niſi per litteras teſtimoniales oſtendant ſe pro ſua parte hic ordinata adimpleuiſſe.*

Quantum autem ad prędatos Conuentus extra Bonobiam pro ſtudijs deputatos, hęc fuerant iam antea Bononię 1615. ſancita. *Item ad petitionem eiuſdem Prouincię ſtatuimus,*

vt in Conuentibus noſtris Boſchenſi, Cremonenſi, & Fauentino ſtudia erigantur inſtar formalium; ita quòd ſi aliqui ſint, qui Bononię aſſignati manere non poſſint, in illis Conuentibus litteris operam dabunt. Cæterum pro Studentibus in dictis Conuentibus non recipiantur niſi priùs Bononię in Studio Generali, more, quo formales Studentes examinari ſolent, examinentur. Peracto verò examine ad dictos Conuentus mittantur, in quibus nullis priuilegÿs gaudeant, ſed omnino Chorum die, noctuque ſequantur: Singulis autem annis ſemel à Magiſtris, & Lectoribus Theologię examinabuntur per vota ſecreta, & ſi delinquentes fuerint, ab Ad.R.P. Prouinciali beneficio ſtudentatus priuentur; aliàs ſi in moribus religioſis, & litteris progreſſus fecerint, expleto in quolibet dictorum Conuentuum triennio in Studio Generali Bononien. pro examine comparebunt, quo pręmiſſo in Lectores creabuntur cum hac declaratione, vt ad examen pro Lectoratu non admittantur, niſi priùs teſtimonium Patrum Conuentus, in quo degebant, examinis facti per vota ſecreta, morum ſuorum, & eruditionis in ſcripto oſtendant. Quòd Toloſę 1628. fuit confirmatum ſequentibus additis. *Ad petitionem Ad.R.P. Diffinitorÿs confirmamus ſtudia inſtar formalium aliàs in Conuentibus Boſchenſi, Cremonenſi, & Fauentino erecta; cum eiſdem conditionibus in Capit. Bononienſi præſcriptis; addentes, vt in ſingulis prędictorum Conuentuum octo tantùm Studentes perpetuis temporibus manere poſſint; & declarantes irritam, & nullam ex nunc quamcumque licentiam loco intra dictum numerum actu non vacante, quomodolibet obtentam, & priuatos voce actiua, & paſſiua eos omnes Studentes, qui huiuſmodi licentias ante procurauerint. Qui verò diſpenſationem in triennio ſtudÿ formalis petierint, ſint eo ipſo, non tantùm ad officium Lectoris inhabiles, verum etiam actiua, & paſſiua voce priuati. Mandantes ſub formali pręcepto, & pœna excommunicationis latę ſententię Patribus à Conſilÿs, vt teſtimonium de vita, & moribus ipſorum ſtudentium in litteris teſtimonialibus, Bononiam pro examine ad Lectoratus officium deferendis pro veritate, ſecundùm Deum, & conſcientiam, omni ſemoto affectu, & reſpectu humano prębeant. Ipſis autem RR. Patribus Moderatoribus Studÿ Bononienſis, ſub eodem formali pręcepto, & pœna excommunicationis latę ſententię etiam in Capitulo Generali Bononienſi 1615. lata mandamus ne quemquam in Studentem formalem, aut Lectorem admittant, niſi idoneum, & ingenÿ acumine prędìtum; indignos verò, & ad legendum cum dignitate, ac diſcipulorum profectu ineptos repellant.* Antea verò Romę 1608. mandatum fuerat, nullum Studentem, extra Studium Bononienſe commorantem poſſe in Lectorem examinari, niſi per annum in Bononienſi ſtudio fuiſſet. *Ordinamus, vt Studentes extra Conuentum Bononien. commorantes non examinentur in Lectores, niſi per annum ſaltem Sacram Theologiam in eodem Conuentu Bononien. audierint.* In Capitulo autem Valliſoletano 1605. ordinatione 33. mandatum fuerat, vt quatuor annis in dictis ſtudÿs permanerent.

4 Non mittantur ad aliarum Prouinciarum ſtudia, niſi illarum, in quibus regularis floret obſeruantia. Bononię 1615. *Ordinamus ad petitionem Prouincię noſtrę Vtriuſque Lombardię, vt Fratres prędictę Prouincię ad ſtudia aliarum Prouinciarum (ÿs dumtaxat exceptis, in quibus regularis obſeruantia, & ipſa ſtudia vigent) non mittantur; quod quidem iudicio, ac prudentię Magiſtri Ord. committimus.*

5 Qui in aliarum Prouinciarum ſtudÿs in Lectores fuerint approbati, nec titulo, nec priuilegÿs Lectorum gaudebunt, niſi in hac fuerint approbati Prouincia. Romæ 1612. *Ordinamus, quòd de cætero Fratres eiuſdem Prouincię Vtriuſque Lombardię, qui in aliarum Prouinciarum ſtudÿs in Lectores fuerint examinati, & approbati, titulo & priuilegÿs Lectorum in eadem Prouincia Lombardię gaudere non poſſint, niſi priùs in ſtudio Conuentus S. Dominici de Bononia in Lectores examinati, & approbati fuerint.* Valliſoleti autem 1615. ord. 33. idem fuerat ordinatum etiam de Prędicatoribus. *In eadem Prouincia* (ſcil. Lombardię) *ordinamus, vt impoſterum Lectores, quicunque, ac Prędicatores extra ſtudium Bononienſe, ſiue in Conuentibus eiuſdem Prouincię, ſiue in Studÿs Generalibus aliarum Prouinciarum facti, nullis titulis, ac priuilegÿs gaudere poſſint, niſi priùs fuerint in ſtudio Bononienſi rigoroſè examinati, & approbati.*

6 Philoſophiæ Lectores ſuum tribus, vel ad ſummum, quatuor annis curſum compleãt. Valentię 1647. *Ordinamus, quod Lectores Philoſophi teneantur infra ſpatium ad minus trium, vel ad ſummum, quatuor annorum curſum expleuiſſe; nempe Logicam, Phyſicam, Animam, Metaphyſicam vſque ad ſeptimum librum incluſiuè, & legendo non ſolùm quęſtiones, verùm etiam tex. Ariſtotelis; nec poſſint celeriùs, nec tardiùs; ſi quis autem Lectorum inuentus fuerit ſpatio ſupradicto non perfeciſſe ſuum curſum, amoueatur ab officio Lecturę, & inhabilis ſit ad amplius legendum; nullus autem promoueri poſſit ad lecturam Theologiæ moralis, qui præfato modo non legerit; nec adhuc aliquis ex lectura morali ad primam eleuari poſſit, niſi per tres annos moralem docuerit, quacumque diſpenſatione non obſtante; irritantes & annullantes quaſcumque aſſignationes contra decretum huius ordinationis factas, quas præſenti ſtatuto defacto irritas, & nullas quantum ad omnia declaramus, & haberi volumus.*

7 Aſſignationes pro primo loco datę, ſubreptitię habeantur, niſi infra duos menſes P. Prouinciali notificentur. Valentię 1647.

Re-

Renoeamus omnes aſſignationes hactenus pro primo loco datas cuicumque, & à quocumque pro quibuſcumque officijs; quę verò impoſterum concedentur, ſubreptitiæ cenſeantur, niſi infra duos menſes notificentur Ad. R. P. Prouinciali.

8 Affiliationes ex Conuentu S. Catarinę de Formello ad alia eiuſdem Prouinciæ cęnobia nequaquam transferantur. Valentiæ 1647. *Ordinamus quòd nullę vnquam impoſterum transferantur affiliationes à Conuentu S. Catarinæ de Formello Neapoli ad alios Conuentus Prouintię; reuocantes licentias hactenus datas, & executioni non demandatas, & ſubreptitias declarantes, niſi in licentia, quæ dabitur, de hac noſtra prohibitione, expreſſa, & indiuidualis fiat mentio.*

9 Aliarum Prouinciarum filij voce in electionibus gaudeant; neutiquam verò Studentes formales Bononienſes. Valentię 1647. *Ordinamus quòd Fratres exſtranearum Prouinciarum ſi alia requiſita iuxta noſtras Conſtitutiones habeant, admittantur ad electiones canonicas, reuocantes quidquid aliàs in contrarium ordinatum eſt; exceptis tamen Studentibus formalibus Conuentus Bononienſis; quibus ex immemorabili conſuetudine, & ex conceſſione Apoſtolica facultas ferendi votum eſt denegata.* Veruntamen quantùm ad Studentes Bononienſes oppoſitum cum Apoſtolico beneplacito fuit ordinatum Romæ 1583. cap. *Reſtitutiones.* num. 1. *In Prouincia Vtriuſque Lombardiæ de ſcitu Sanctiſſ. D. N. Papæ reſtituimus vocem actiuam, & paſſiuam Fratribus, qui quomodocumque ex alienis Prouincijs aſſignati fuerint pro Studentibus in Gymnaſio Bononienſi in priſtinum eos reuocantes, & ad terminos Conſtitutionum, pro vt ſeruatur in alijs Studijs Generalibus, annullãtes quamcumque ordinationem aliàs factam in contrarium.*

10 Priores admoneant Patres à Conſilijs de ſigillo ſeruando, ſub pœna priuationis Paternitatis. Valentię 1647. *Renouamus quod aliàs fuit in pluribus Capitulis ordinatum; quòd Prior antequam proponat in Conſilio Patrum negotium pertractandum, inuocato Spiritu Sancto, admoneat Patres de ſigillo, & ſilentio obſeruando, ſub pæna priuationis Paternitatis; conſiliaque grauiora regiſtrentur à Secretario, non priuatim, ſed coram Priore, & Patribus, notatis eorum nominibus.*

11 Nouitij, ſeu ſtudentes ſub vno Lectore aſſignati, non amoueantur ab illius lectione. Valentię 1647. *Admonemus Ad. RR. PP. Prouinciales, eorumque conſcientias in diem Chriſti aggrauantes, vt poſt quam ſemel Nouitios, ſeu Studentes ſub vno Lectore aſſignauerint, eos non amoueant, niſi ex grauiſſima cauſa.*

12 Monialium Confeſſarij poſtquàm per quadriennium tali officio functi fuerint, per biennium à dicto munere ceſſabunt. Valentiæ 1647. *Ordinamus conformiter ad ea, quę in Capitulo Prouinciali 1645. ordinata ſunt, quòd pro iuſtitia diſtributiua ſeruanda nulli deinceps Monialium Confeſſarij, qui per quadriennium hoc munere perfuncti fuerint, poſſint in biennio ſequenti ad idem officium aſſumi, ſiue in eadem, ſiue in aliena Ciuitate; irritantes quidquid in oppoſitum factum fuerit: quòd ſi tempore interſtitij in officio Prioratus, vel Supprioratus, vel Syndicatus non fuerint occupati, non poſſunt ampliùs ad confeſſiones Monalium admitti; Magiſtris in Theologia exceptis.* Et Romę 1583. ordinatum fuit non eſſe reaſſumendos pro eodem Monaſterio in Confeſſores ante ſexennium. ita enim Ord. 11. habetur. *Ordinamus quod aliàs Capitulorum Generalium ordinationibus cautum eſt in omnibus Prouincijs, quòd Confeſſarij Monialium non maneant vltra biennium; in Lombardia autem non reſtituantur ante ſexennium in eodem Monaſterio.*

13 Prioriſſę expleto proprio officio, non niſi poſt completum quadriennium iterum ad dictum munus aſſumendę ſunt. Valentiæ 1596. ord. 16. *Ordinamus pro Prouincia Vtriuſque Lombardiæ ad eius petitionem, vt in Monaſterijs Monialium nulla Prioriſſa ſuo Prioratus officio expleto ad idem reeligi poſſit ante quadriennium completum.*

14 In eodem Monaſterio ex eodem Patre & Matre duæ tantùm Sorores recipiantur. Romę 1583. ord. 9. *Ordinamus in Prouincia Lombardiæ, quòd nullo pacto recipiantur in Monaſterijs Sororum, plures quàm duæ Sorores, ex eodem Patre, vel Matre.*

15 Qui Magiſtri, Baccalaurei, Prędicatoris, vel Lectoris titulo non gaudent, Monialium Confeſſarij eſſe non poſſunt. Bononię 1615. *Statuimus, vt impoſterum ad Confeſſiones Sacramentales Monialium noſtri Ord. excipiendas nulli admittantur, niſi ſint Lectores, Prædicatores, Baccalaurei, vel Magiſtri in Sac. Theologia, & habeant omnes conditiones iuxta ordinationem bonæ mem. Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Card. Alexandrini quondam Ord. noſtri Protectoris requiſitas.*

16 Moniales vocem in electionibus non conſequantur niſi completo duodecimo à profeſſione anno. Bononiæ 1615. *Confirmamus ordinationem in alijs Capitulis factam, vt Moniales vocem in electione non habeant, niſi à profeſſione annum duodecimum expleuerint.*

17 In Boſchenſi Conuentu à Sanctiſſ. Pontifice Pio V. ex Ordine noſtro aſſumpto à fundamentis conſtructo, ampliſque perpetuis redditibus ditato, loco miſſæ *de Requiem* pro anima eiuſdem celebrari ſolitę, celebretur de Sanctiſſ. Trinitate; & loco Pſal. *De profundis* dicatur pſ. *Domine quis habitabit. &c.* Romæ 1629. *Ordinamus vt in Conuentu Boſchenſi loco Miſſæ, quæ prima ſexta feria cuiuslibet menſis*

Digitized by Google

olim ſolemniter celebrabatur pro anima Pij V. celebretur impoſterum Miſſa Sanctiſs. Trinitatis, ſicut fit ex ordine Sac. Congregationis Rituum in eius Anniuerſario Romæ in Eccleſia S. Mariæ Maioris, vbi corpus eius requieſcit, & poſt Completorium loco pſal. De profundis, *dicatur pſal.* Dominę quis habitabit *cum collecta Sanctiſs. Trinitatis.*

18 Idem Conuentus fuit deputatus pro regulari obſeruantia Bononiæ 1615. *Deputamus ad petitionem eiuſdem Prouinciæ Conuentum noſtrum S. Crucis Boſchenſis pro ſtrictiori obſeruantia regulari ſecundùm rigorem noſtrarum Conſtitutionum, iuxta mentem S. memoriæ Pij Papæ V. in litteris Apoſtolicis fundationis, ac donationis eiuſdem Conuentus expreſſam.*

19 Firmi Carceres debent eſſe in hoc Conuentu pro diſcolis, & inquietis corrigendis, Neapoli 1600. Commiſſione vlt. *Item quòd quàmprimum* (ſcil. Prouincialis Lombardiæ) *curet ædificari, vel accommodari in Conuentu S. Crucis, & Omnium Sanctorum de Boſco tutos carceres, in quibus recludantur inſolentes, temerarij, qui multiplicatas ſpernunt correctiones Superiorum, & tanquam incorrigibiles iudicabuntur ibidem ad multos menſes, & annos reſpectiuè macerandi.*

20 Locorum Vicarij triennio in ſuo munere perſeuerent, Romę 1629. *Ordinamus, vt Vicarij locorum immediatè ſubiectorum* P. *Prouinciali durent triennio: ita tamen, vt ad Prouincialis libitum amoueri, & confirmari poſſint.*

21 Iuuenes, & Studentes materiales Bononienſis Studij examini annuali ſubijciantur, Neapoli 1600. ord. 13. *Ordinamus in Prouincia vtriuſque Lombardię, quòd Nouitij, Iuuenes, & Studentes materiales Conuentus Bononienſis debeant omnino per Priorem, & ſtudij Moderatores, Patres Prouinciæ, qui aderunt in Conuentu aſſignati, & ſuos Lectores reſpectiuè ſemel in anno coram Prouinciali (ſi adeſſe voluerit) examinari diligenter ſuper Lectionibus ſuis iam tranſactis, incipiendo à Logica vſque ad propriam lectionem vniuſcuiuſque, abſque eo quod ipſi ſciant ſuper quibus pręcisè ſint examinandi; & quos per vota ſecreta iudicauerint non profeciſſe, tam in litteris, quàm in moribus, ipſos tanquam indignos, & loca aliorum occupantes eijciant, & aſſignentur alij iam admiſſi per examen iuxta ordinationem Magiſtri Ord. aliàs factam. Quòd ſi aliqui propter infirmitatem, & malam aeris diſpoſitionem ſtudia ſua proſequi in pręd. ſtudio Bononien. minimè potuerint, ad ſuos Conuentus omnino remittantur, vt ſuę poſſint conſulere ſanitati, & alij eorum loco aſſignati ſubrogentur.* Quod fuit confirmatum Romę 1601. conf. 25. Romę 1629. & Mediolani 1622. impoſita abſolutionis pœna Moderatoribus eiuſdem ſtudij ſi tale examen non fecerint, *Mandamus AA. RR.* PP. *Moderatoribus Studij noſtri Bononienſis ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, vt certo anni tempore, à feſto videlicet S. Marię Magdalenę vſque ad feſtum Exaltationis S. Crucis omnes Studentes materiales (ſi qui erunt) & Nouitios examinare teneantur; ac ijs, quos profeciſſe nouerint admiſſis, cæteros eijciant.*

22 Nullus Lector ad legendum in Studio Bononien. aſſignetur, qui priùs alibi curſum Philoſophicum non compleuerit. Romę 1629. *Ordinamus, vt nullus Lector aſſignetur in ſtudio Bononien. niſi priùs in aliquo alio Conuentu curſum Philoſophię abſoluerit.*

23 Theologię, tam ſpeculatiuę, quàm Moralis Lectores, tribus annis ſuum compleant curſum, Romę 1629. *Item* (ſcil. ordinamus) *vt curſus Philoſophię non excedat tempus triennij* (vel ad ſummum quadriennij, vt ordinatum fuit Valentię 1647. prout dictum eſt ſupra num. 6.) *ſicut nec curſus Theologię ſpeculatiuę: Moralis verò Theologię etiam triennio abſoluatur, quo termino elapſo omnes præfati Lectores ipſo iure, & facto intelligantur in eodem Conuentu ſuum munus expleuiſſe, & Lectores, qui curſum Philoſophię expleuerint, Lectores Theologię moralis deputari pro habendis lectionibus Theologię ſpeculatiuæ, & vice verſa; dummodo ſtudioſè ſe geſſerint, & diligentes, ac eruditi fuerint iudicio, & arbitrio P. Prouincialis; qui etiam poterit Lectores magis egregios, cum in aliquo Conuentu ſuę lecturę terminum expleuerint, ad alium Conuentum pro eodem munere tranſmittere. Qui verò expleto dicto termino ad lectiones habendas, in eodem, vel alio Conuentu non fuerint deſtinati, de grauamine aliquo ſibi illato iure conqueri non poſſint.*

24 Lectorum actualium numerus in infraſcriptis Conuentibus ita fuit ſancitus Romę 1629. *Ordinamus numerum Lectorum, qui in ſingulis Conuentibus aſſignari debent, eſſe infraſcriptum ſcil. In Conuentu Bononien. prçter conſuctos PP. ſtudij Moderatores, & Lectorem Sac. Scripturæ ſint Artium, & Philoſophiæ Lectores tres. In Conuentibus Boſchenſi, Brixienſi S. Dominici, Cremonenſi, Ianuenſi S. Dominici, & S. Marię Caſtelli, Mantuano, Mediolanenſi S. Mariæ Gratiarum, Neapolitano S. Catarinę, Lectores Sac. Theologiæ, & Philoſophiæ duo. In Conuentibus Anconitano, Ariminenſi, Caſalenſi, Ceſenatenſi, Comenſi, Fauentino, Ferrarienſi S. Dominici, & S. Mariæ Angelorum, Firmano, Foroliuienſi, Mutinenſi, Papienſi, Parmenſi, Piſaurenſi, Placentino, Rauennatenſi, Regienſi, Soncinenſi, Veneto, Veronenſi, Vicentino, Viglcuanenſi, Lectores Theologiæ duo, & Philoſophiæ vnus. In Conuentibus Cremenſi, Laudenſi, Saonenſi, Dertonenſi, Sac. Theologiæ, & Philoſophiæ Lector vnus. In omnibus verò prædictis Conuentibus, in quibus conſueuerunt haberi in Eccleſijs lectiones Sac. Script. vel P. Prouincialis iudicauerit huiuſmodi lectiones impoſterum habendas eſſe, poterit etiam ad id munus vnus ex prædictis Lectoribus, vel*

alius

alius arbitrio P.*Prouincialis deſtinari*: *In cæteris verò Conuentibus Prouinciæ non aſſignetur niſi vnus pro Fratribus, iuxta præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum, qui etiam tenebitur habere lectiones Sac. Scripturæ in Eccleſia; niſi forte in iis tantum Conuentibus, in quibus degunt Nouitij, P. Prouincialis iudicauerit alium Lectorem Sac. Script. à Lectore Nouitiorum diſtinctum, fore deſtinandum.* atque ibidem immediatè hęc ſubduntur. *Ordinamus, vt ſi in dictis Conuentibus plures Lectores actuales aſſignati reperiuntur quam in præſcripta partitione continentur, in eiſdem P. Prouincialis nullum in Lectorem aſſignet præter Lectorem actualem, donec expleto termino ad præſcriptum iam numerum redigantur. Neque aſſignentur ampliùs Lectores actuales in Conuentibus, niſi actu ibi legant. Qui verò quacunque auctoritate pro primo loco vacante in eis aſſignati fuerint, à Chori ſequela, & hebdomadaria, cæteriſque Religionis conſuetis oneribus nullo pacto exempti ſint, nulloque Lectorum actualium priuilegio gaudeant, quouſque actu locum vacantem occupauerint.* Auriculares Socij examinandis non concedantur, neque Studentes fiant, qui Philoſophiæ curſum non audierint. Romæ 1629. *Ordinamus, vt nullus poſthac examinetur in Studentem formalem, niſi priùs totum Philoſophiæ curſum audierit. Neque alicui Studenti, ſiue Lectori, aut Prædicatori, dum actu examinatur, concedatur ampliùs Socius, qui dicitur auricularis: nec puncta examinandis aſſignentur, niſi certo horarum, vel dierum numero conſueto, ad eorum diſcuſſionem ipſis præfixo.*

25 Vt Nouitij à PP. Prouincialibus aſſignentur in Conuentu Bononienſi iuxta præſcriptum ordinationis D. Card. Alexandrini, & diſpoſitionem ſequentem, ordinatum fuit Toloſæ 1628. in hunc modum. *Concedimus A. R. P. Prouinciali, vt ſeruata iuſtitia diſtributiua, poſſit aſſignare Nouitios in Conuentu Bononienſi ad præſcriptum ordinationis Illuſtriſs. D. Card. Alexandrini, & iuxta diſtributionem infraſcriptam.*

Pro Conuentibus Regni Neapolitani, Ciuitate Veteri connumerata (qui tamen Conuentus poſtea ann. 1643. ex decreto Vrbani VIII. dato Apoſtolico diplomate ad Romanam Prouinciam tranſijt) *duo.*

Pro Conuentibus Nationis Marchiæ, quatuor.

Pro Conuentibus Nationis Romandiolæ, quatuor.

Pro Conuentu ditionis Mutinæ, Parmæ, Corrigij, & Ferrariæ, quatuor.

Pro Conuentu Status Veneti, quatuor.

Pro Conuentibus Mantuæ, Montisferrati, & Pedemontis, quatuor.

Pro Conuentibus ſtatus Mediolanenſis, octo.

Pro Conuentibus ſtatus Genuenſis, quatuor.

Pro Conuentu Bononienſi, duos.

Pro Conuentu Boſchenſi, duos.

Aſſignationes autem aliter, quam hic præſcriptum eſt, datæ, vel concedendæ, eo ipſo irritæ ſint, & nullæ.

26 Studentes Formales ſcandaloſi ex Bononienſi ſtudio expellantur. Mediolani 1622. *Studentes verò formales, qui à P. Prouinciali in viſitatione reperti fuerint ita irreligiosè viuentes, vt de conſilio Patrum ſine periculo grauis ſcandali in Bononienſi Conuentu tolerari non poſſint, ab ipſo P. Prouinciali ſecundum exigentiam culparum puniantur, & ex eodem Conuentu & ſtudio omnino expellantur.*

27 Aliarum Prouinciarum filij ad hanc Prouinciam ſuam transferre non poſſunt affiliarionem, niſi de ſuffragio Patrum Prouinciæ in Capitulo congregatorum. Mediolani 1622. *Statuimus ne Fratres aliarum Prouinciarum in filios huius Prouinciæ admittantur, niſi ſuffragantibus per vota ſecreta ipſiuſmet Prouinciæ Patribus in Capitulo Prouinciali congregatis.*

28 Agentes, ſeu Conuentuum Procuratores pro Prouinciali Capitulo, non eligantur, niſi ex cauſa vrgentiſſima. Mediolani 1622. *Ordinamus ne poſt hac eligantur Agentes, ſeu Procuratores Conuentuum pro Capitulo Prouinciali, niſi ex vrgentiſſima cauſa; Tum verò ab his tantùm eligi poſſint, qui in electione Socij Prioris pro eodem Capitulo votum habuerint.*

29 Conuentus Bonifatij in Corſica fuit commiſſus pro regimine PP. huius Prouinciæ Vlyſſiponę 1618. *Ad inſtantiam Prouinc. S. Petri Martyris commendamus Conuentum Bonifacij in Inſula Corſica R. A. P. Prouinciali huius noſtrę Prouinciæ Vtriuſque Lombardiæ, eiuſque curæ illum committimus, dummodo à Capitulo Prouinciali eiuſdem Prouinciæ Lombardiæ acceptetur.* Modo autem ſub eadem Prouincia S. Petri Mart. permanet; non enim fuit à Capitulo Prouinciali Lombardię receptus.

30 Magiſtri non acceptati in hac Prouincia in Conſilijs Patrum poſt Suppriores Conuentuum vocem, & locum habere debent. Bononię 1615. *Declaramus Magiſtros, qui in eadem Prouincia manent, nec ſunt Patres Prouinciæ, neque gaudent priuilegijs Magiſtrorum Prouinciæ, dum eoſdem Conſilijs Patrum intereſſe contigerit, locum, & vocem immediatè poſt Suppriorem Conuentus habere debere; interſe autem loca tenebunt ſecundum antiquitatem promotionis ſuorum Magiſteriorum, & non aliter.*

31 Iidem Magiſtri non acceptati exempti ſunt à munere hebdomadarię. Romę 1612. *Declaramus RR. PP. Magiſtros exemptos eſſe ab officio hebdomadariæ, etiam ſi non ſint Magiſtri acceptati in Prouincia.* (hoc eſt Lombardię.)

32 Conuentus S. Catarinę de Forme llo in Ciuitate Neapolitana ad hanc Prouinciam ſpectat. Romę 1608. quod ibidem 1612. fuit hoc

hoc modo confirmatum. *Confirmamus ordinationem tertiam factam in Capit. Generali Romæ celebrato 1608. quæ eſt infraſcript. tenoris, videlicet. Ordinamus, & ſub pœna excommunicationis mandamus FF. Conuentus noſtri S. Catarinæ de Formello in vrbe Neapoli, vt circa ſtatum, diſpoſitionē, & gubernationem Conuentus hactenus vſu, & conſuetudine ſeruatam nihil prorſus immutare, vel innouare audeant, aut quoquo modo ſeſe à Prouincia noſtra vtriuſque Lombardiæ diſiungere, aut ſeparare præſumant; Cum ſuper huiuſmodi rebus illis iam impoſitum fuerit ſilentium, vt conſtat ex litteris patentibus R. A. Patris Vicarij Generalis Ordinis præteriti.*

33 Lectores non actuales nullis diſpenſationibus gaudent: Veterani autem in ferialibus diebus à Matutinis deficere poſſunt. Romę 1608. *Item* (ſcil. ordinamus) *quòd Lectores non actuales nullis prorſus gaudeant Priuilegijs, & exemptionibus Lectorum, ſed teneantur ſequi chorum die, noctuque ſicut reliqui Fratres. Qui autem per integros duodecim annos legerint, ferialibus tantummodò diebus à Matutinis de nocte eximantur.*

34 Vt Conuentus Salutiarum P. Prouincialis S. Petri Mart. curę demandaretur, fuit ordinatum Valliſoleti 1605. commiſs. 4. *Committimus, & mandamus A. R. P. Prouinciali Vtriuſque Lombardiæ, vt termino trium menſium ab horum notitia conſignet A. R. P. Prouinciali Prouinciæ S. Petri Mart. Conuentuum Salutiarum, aut alium illi æqualem eidem Prouinciæ S. Petri Mart. commodum, loco Conuentus Burgi Vallis Tari, ſecundum diſpoſitionem litterarum P. Generalis bonę mem. Magiſtri Sixti Fabri Lucenſis.*

35 Baccalaurei Bononienſes ſint Biennales. Valliſoleti 1605. conceſs. 5. *Concedimus Prouinciæ Vtriuſque Lombardiæ ad eius petitionem, vt Baccalaurei Studij Bononien. poſſint eſſe biennales, dummodò eligantur hi, qui Sac. Theologiam ſex annos antea legerint, ſintque eruditiores, & in moribus, & religione magis conſpicui.*

36 Nullus autem in Baccalaureum aſſumatur, niſi vnum ſaltem actum in Bononienſi Studio adimpleuerit. Vlyſſipone 1618. *Ad petitionem Prouinciæ ſtatuimus, vt impoſterum admittendi ad Baccalaureatum iuxta conſuetudinem antiquam vnum ſaltem actum Baccalaurei in Studio Bononien. exercere debeant.*

37 Qui non completo Baccalaurei officio in Bononienſi Studio in Magiſtros Prouincię acceptantur, loco & voce non gaudeant, niſi completo tempore, quo tale munus exercere debebant. Vlyſſiponę 1618. *Item ad petitionem Prouinciæ ordinamus, vt qui deinceps acceptabuntur à PP. Prouinciæ in Magiſtros Prouincię non peracto in Studio Bononienſi Baccalaurei munere, loco non gaudeant, neque voce, niſi completo tempore, quo idem munus exercere debuiſſent computando à tempore acceptationis; quòd ſi contingat plures ſimul approbari in Magiſtros, biennium Baccalaureatus ſecundi approbati incipiat, ſeu incipere intelligatur poſt biennium expletum primi; biennium tertij, expleto biennio ſecundi, & ſic deinceps; ita tamen, vt qui actu in officio Baccalaureatus inſeruierint, cæteris omnibus loco, & voce præferantur, niſi Magiſter Ord. propter rationabiles cauſas aliter expedire iudicauerit.*

38 Studentes conciones ad populum habituri, examinentur priùs in Patrum Conſilio. Bononię 1615. *Ordinamus, vt ſi quando PP. Studentes ad conciones habendas coram populo ire oportuerit, priùs in Conſilio Patrum examinentur, & per vota ſecreta approbentur.*

39 Non ſolum in Prioratus, ſed neque in Supprioratus officio poſſunt duę Sorores, ſeu duo germani Fratres ſibi inuicem ſuccedere. Romę 1580. ord. 20. *Ordinamus in Prouincia Vtriuſque Lombardiæ ad eius petitionem, vt ſi fortè in eodem Conuentu fuerint plures Fratres germani ſecundùm carnem, vel duæ Moniales ſorores in eiſdem Conuentibus, ac Monaſterijs, non poſſint ſibi inuicem in Prouincialatu, & Prioratu, vel Supprioratu immediatè ſuccedere, ſed ſemper mediet aliquis alius, vel alia in huiuſmodi officijs.*

40 Circa Studentium numerum Bononiam mittendorum hęc fuere Romę 1583. ſancita ord. 10. *Ordinamus in eadem Prouincia* (ſcil. Lombardię) *quòd impoſterum non mittantur ad eam niſi quadraginta Fratres ex alienis Prouincijs, exceptis tamen Studentibus Studij Bononienſis; & mittantur à Diffinitorio cum litteris teſtimonialibus bonę vitæ, morum, & ætatis. Ab illis verò Prouincijs, in quibus non fiunt Capitula intermedia, fiant litteræ teſtimoniales à P. Prouinciali, & à quatuor Patribus ab illo eligendis; ſi tamen ſuperſtites non fuerint ij, qui Diffinitores fuerunt in pręcedenti Capitulo.* Quę ordinatio fuit Romę 1601. conf. 23. in hunc modum confirmata. *Confirmamus conceſſionem factam Prouinciæ Teutonicæ in Capitulo Romæ celebrato 1583. & eam ad omnes Prouincias extendimus, vt duo Studentes acceptentur in Conuentu Bononienſi, etiam ſi non fuerint aſſignati per Capitulum Prouinciale, dummodo habeant litteras à Reuerendiſſ. P. Generali, vel à ſuis Prouincialibus.*

41 Studium Bononienſe eſt ſicut Pariſienſe. Bononię 1410. denunc. 4. *Item denunciamus noſtro decreto, & rationabilibus cauſis auctoritate præſentium emanato, omnes, & ſingulos Fratres, tam Officiales, quàm Studentes in Conuentu Bononienſi pro forma conſueta Pariſienſi eaſdem conſequi gratias Lectoratus, & exemptionis, quas conſequerentur qui in Pariſienſi Studio ſimiliter fuiſſent deputati.* Dictum autem Bononienſe Studium fuit in Vniuerſitatem de-

cla-

claratum pro Graduum conſequutione Salmanticę 1551. vt ſupra Pro Prouincia Toloſana num.27.retulimus.

42 Vt nullus gratijs Magiſtrorum gauderet in hac Prouincia, qui Baccalaureatus officio expleto in ſtudio Bononienſi officium Regentis in eodem exercere non incepiſſet, ordinatum fuerat Valentię 1596. ord. 14. quod tamen fuit reuocatum Neapoli 1600. reuocat. 1. his verbis. *Reuocamus in Prouincia Vtriuſque Lombardię ordinationem factam in Capitulo Valentino proximè præterito; nempè quòd nullus poſſit gratijs, & priuilegijs Magiſtrorum in eadem potiri, qui Baccalaureatus officio expleto in ſtudio Bononienſi officium Regentis in eodem exercere non inceperit.*

43 Vt etiam nullus in Prouincię Magiſtrum acceptetur, qui ad Regentis munus ſubeundum non ſit aptus, ſancitum fuit Mediolani 1622. ita. *Admonemus omnes Patres, ad quos pertinet acceptare aliquos in Magiſtros Prouinciæ, ipſorumque conſcientias aggrauamus, ne quempiam admittant, qui verè non ſit aptus ad munus Regentis gerendum.*

44 Conuentus S. Sabinę de Vrbe eſt incapax affiliationum. Romę 1589. ord. 14. Ordinamus pro noſtra Prouincia Vtriuſq; Lombardię, vt nullus Conuentui S. Sabinę de Vrbe impoſterum affilietur; & qui modo eidem Conuentui affiliati fuit, & in alijs Prouincię Conuentibus reperiuntur, eiſdem, aut alijs ad arbitrium R. Ad. P. Prouincialis inſeruire teneantur; neque in prę fato Conuentu aſſignentur, niſi maxima vrgente neceſſitate.

45 Ad hoc vt Magiſtri loco, & voce gaudeant debent ab ipſa Prouincia acceptari iuxta priuilegium Apoſtolicum illi conceſſum. Ita aſſeritur Valentię 1647. *Committimus Reuerendiſs. P. Generali, vt curet omnino obſeruari priuilegium Apoſtolicum quod habet Prouincia in acceptandis Magiſtris in Theologia, & quod procuret apud Sanctiſſimum, vt dictum priuilegium confirmare dignetur.*

46 Moniales S. Sixti quę modo etiam S.Dominici nuncupantur, ſubduntur regimini Magiſtri Ord. ſicut aliorum Monaſteriorum Moniales, non obſtantibus quibuſcunq; Apoſtolicis litteris in contrarium, vnde Romę 1551. à Patribus Generalis Capituli fuit illis mandatum, vt ſupradictis Apoſtolicis litteris renunciarent, aliàs ab Ordinis cura eximerentur. Ita enim habetur denunc. vlt. *Item cum Monialium cura à principio Ordinis Reuerendiſs. Generali vnicè demandata fuiſſe noſcatur, denunciamus nos renunciaſſe, & ita renunciamus Moniales S.Xiſti de Vrbe, & eas omnibus gratijs, & beneficijs Ordinis noſtri priuamus, ſi ſtatim à notitia præſentis intimationis non renunciauerint litteris in forma Breuis, quibus volunt Prouinciali, & Priori vnius Conuentus ſubeſſe, non autem Generali; hoc enim tanquam monſtrum, & ſchiſma iudicamus prorſus à noſtro Ordine explodendum.*

47 Regentes Baccalaurei Magiſtri Studentium, atque Lectores, non iure antiquitatis, ſed maioris ſufficientiæ, aſſumuntur. Suppoſitis vero ęqualibus mariis antiquiores pręferantur. Romę 1589. cap. Ordinat. pro Stud. Reformat.num.1. *Vide in prima parte de Studijs General. num.8.*

48 Magiſtrorum numerus in Generalium Capitulorum Actis taxatus pro hac Prouincia non reperitur; & in Capit. Romanis 1583. & 1589. in quibus ſingulis Prouincijs Graduatorum numerus fuit pręfixus, de hac nulla habetur mentio, vt ſupra Pro Prou. Toloſana num. 26. apparet.

PRO PROVINCIA ROMANA.

V.

Refulget inter cœteras Romana Prouincia ob Viros ſanctitate, & doctrina præclariſſimos Ordini, & Orbi datos. Hæc enim Sanctorum fœcunda Mater inter alios, DD.Antoninum Florentiæ in Paſtorem exhibuit, Thomam Aquinatem in Angelicum Doctorem Eccleſiæ dedit, atque Seraphicam Catharinam Senenſem Chriſto Domino in Sponſam obtulit. Fuiſſe verò S. Doctorem Thomam huius noſtræ Prouinciæ nobile germen, ex his, quæ ſubduntur manifeſtè conſtabit.

A Beatiſſimo P. N. Dominico in Generalibus Comitijs Bononiæ anno MCCXXI. ha-

Digitized by Google

habitis ſua ſumpſit primordia;(vt ſupra Pro Prouinc.Hiſpaniæ retulimus) cui P.F.Clarum de Sexto Florentinum in primum præfecit Paſtorem, prout ex M.S. in Archiuio Ordinis aſſeruatis colligitur.

Amplos, latoſque habuit ſuæ extenſionis terminos; nam Romam, Tuſciam, Vmbriam, Latium, Maritimam, Campaniam Regnumq; vtriuſque Siciliæ amplectebatur, vnaque in tanta perſiſtit amplitudine vſque ad annum MCCLXXXXIV. quo petente Carolo II. Neapolitano Rege à S. Cæleſtino Papa V. fuit ita diuiſa, vt vtriuſque Siciliæ Regnum vnam Prouinciam, quæ Siciliæ nomiuaretur, conſtitueret; reliquæ verò Nationes ad Romanam Prouinciam pertinent, dato Aquilæ Kal. Septemb. in hunc modum Apoſtolico Breui,

CAELESTINVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Clara Ordinis Fratrum Prędicatorum Religio,virtutum fœcunditate referta, & tota per bonorum operũ ſtudia Domino ſtabilita, ex ſuæ inſtitutionis exordio ad robur, & monumentum erecta Fidei orthodoxæ, per inſignium gratia meritorum,& ſacræ Prædicationis doctrinam, vberes hactenus in vniuerſali Eccleſia, honeſtatis fructus protulit,ac ſalutis, & proferre non deſinit inceſſanter. Quarè Religionem tàm perinſignem, tàm ſanctam, & profeſſores ipſius ſincera diligentes in Domino charitate, in his, quæ ipſius Religionis fauorem, & profectum reſpiciunt, efficacis ſolicitudinis ſtudium, libenti animo adhibemus. Ex parte ſiquidem, & ſanioris partis, omnium Fratrum prædicti Ordinis in Siciliæ Regno morantium, fuit propoſitum coram nobis, quod ex diffuſione Romanæ Prouinciæ, quæ ſecundum diſtinctionem Prouinciarum facta in Ordine ſupradicto, Romam, Tuſciam, Campaniam, & Maritimam, totumque Regnum Siciliç comprehendere noſcebatur,Prior Prouincialis eiuſdem Ordinis, qui frequenter eligebatur de Tuſcia, vel de Vrbe viſitare totam ipſam Prouinciam omittebat, præſertim præfatum Regnum Siciliæ, quod cauſa viſitationis, rarò,aliquas verò partes ipſius Regni nunquam intrabat,& per hoc Fratres in dicto Regno morantes,quaſi Acephali, ob viſitationis defectum circa regulares obſeruantias, & alia,quę ſecundum Deum interdum per ipſum Priorem Prouincialem, iuxta officij ſui debitum ordinantur perficere non valebat,cum idem Prior dictorum Fratrum merita non agnoſcens, eos pro qualitate meritorum ipſorum Fratrum, ſalubriter non poſſet corrigere, ſeu etiam confouere, nec dictus Ordo in Fratrum,& Conuentuum numero poſſet ſuſcipere incrementa. Faticabantur etiam intollerabiliter dicti Fratres in præfato Regno manentes, in eundo ad Capitula ipſius Ordinis, quæ celebrabantur in locis remotis ab ipſis, multa quoque alia inde incongrua contingebant, ex quibus Fratres eiuſdem Regni grauia ſuſtinebant incommoda,& idem Ordini diſpendium imminebat. Nos igitur volentes ſuper præmiſſis eidem Ordini, & Fratribus per emendationis oportunę remedium, prout tenemur, ex paſtoralis officij debito,ſubuenire:Cariſſimi in Chriſto filij noſtri Caroli Regis Siciliæ illuſtris,nobis ſuper hoc,cũ inſtantia ſupplicantis, & eorundem Fratrum dicti Regni ſupplicationibus inclinati, præfatam Romanam Prouinciam, Auctoritate Apoſtolica in duas Prouincias diuidimus; ſtatuentes, vt eorum altera ſic diuiſa, totum Regnum Siciliæ vltrà, citraque Farum tantum contineat, & Prouincia Regni Siciliæ nominetur: Reliqua verò compræhendat totam Campaniam,Romam,& totam Tuſciam,& Romana Prouincia nuncupetur, & quod Prior Prouincialis, & Fratres ipſius Regni Siciliæ gaudeant, omnibus Priuilegijs,& indulgentijs, atque gratijs, tam in Studentibus mittendis cauſa ſtudij Pariſius,& ad alia ſtudia generalia extra ſuam Prouinciam, quàm omnibus alijs ſpectantibus ad communem ſtatum Prouinciarum,quę Prioribus Prouincialibus, & Fratribus aliarum Prouinciarum per Sedem Apoſtolicam, & per Conſtitutiones, & ordinationes dicti Ordinis conceſſa ſunt, & impoſterum concedentur. Et quod Prior Prouincialis eiuſdem Prouincię Regni, primum locum poſt Priorem Prouincialem Romanæ Prouinciæ teneat, tàm in Generalibus Capitulis eiuſdem Ordinis pro tempore celebrandis, quam aliàs vbique ipſos contingat conuenire. Volumus etiam quod prætextu diuiſionis huiuſmodi à nobis factæ, Dilectus Filius Frater Ioannes de Polo Prior Prouincialis Romanæ Prouinciæ ab adminiſtrationis officio exercendo, quoad dictam Romanam Prouinciam, ſic diuiſam ſe nequeat aliquatenus excuſare, ſed illud in ea tantum teneatur gerere, ſicut prius. Prohibemus inſuper,& diſtrictæ in virtute ſanctæ Obedientię, ſub pœna excommunicationis præcipimus,ne quis procurare audeat, quod ædem Prouinciæ per nos taliter ordinatæ, de cœtero quomodolibet vniantur, ſiue Fratres ipſius Ordinis, ſiue quoſlibet alios, qui dictam diuiſionem fieri poſtularunt, occaſione huiuſmodi moleſtare, ſeu ipſis aliquam pœnam, aut grauamen aliquod irrogare, quacunque occaſione, vel cauſa,aut vigore cuiuſuis Conſtitutionis, & ordinationis, ab ipſo Ordine promulgatæ. Quod ſi fortè à quoquam fuerit contrarium attemptatum illud decernimus irritum, & inane. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ diuiſionis, Conſtitutionis,prohibitionis, noſtrique præcepti infrin-

Digitized by Google

ſtringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. *Datum Aquilæ Kal. Septembris. Pontificatus noſtri. Anno primo.*

Prædictę igitur Romanę Prouincię diuiſione Apoſtolica auctoritate ita ſtabilita, idem S. Pontifex P. F. Petrum de Adria, qui tunc pro P. F. Io: de Polo Prouinciale Romano Vicarij partes in Neapolitano Regno exequebatur, Apoſtolicum Vicarium eiuſdem nouæ inſtitutę Prouincię Siciliæ per Apoſtolicum Breue, vſque ad futuri Prouincialis electionem in hunc modum inſtituit.

CAELESTINVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei. Dilecto Filio Fratri Petro de Adria Ordinis Fratrum Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum nos ex certis cauſis, Romanam Prouinciam tui Ordinis, quæ ſecundum diſtinctionem Prouinciarum in eodem Ordine dudum factam, totum Regnum Siciliæ continebat, in duas Prouincias duxerimus, auctoritate Apoſtolica diuidendam, ſtatuentes vt earum altera Regnum ipſum tantum, reliqua verò loca, quę erant Prioris Prouincię eandē compręhendant, prout in litteris noſtris ſuper huiuſmodi diuiſione cōfectis plenius continetur. Nos de tua circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinentes: Te Vicarium loco Prioris Prouincialis in eadem ipſius Regni Prouincia, tenore pręſentium, deputamus, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandāres, quatenus curam Fratrum eiuſdem Ordinis dicti Regni tamdiu gerere ſtudeas diligenter, prout ad Vicarij Prioris Prouincialis officium, ſecundum Conſtitutiones dicti Ordinis noſcitur pertinere, donec Prior Prouincialis in ipſa Prouincia dicti Regni, per Prouinciale Capitulum ipſius Ordinis, quod in proximo imminet celebrandum, electus, confirmatus, & etiam pręſens exiſterit in memorata Prouincia dicti Regni. Capitulum prędictum Aquilę in Feſto Exaltationis S. Crucis proximo venturo celebres, iuxta morem ipſius Ordinis, cum illis Fratribus de Regno ipſo, qui ad Capitulum Romanę Prouincię pertinebant per quos volumus electionem fieri Prioris Prouincialis Regni eiuſdem, ſecundum Conſtitutiones Ordinis memorati. Ad hęc tibi in virtute Sanctæ Obedientię diſtrictè præcipimus, quod quoslibet ipſius Ordinis oriundos in dicto Regno, per dictam Romanam Prouinciam diſperſos, ad ipſius Regni Prouinciam reuocare; Omnes autem Studentes Neapoli, qui de Regno ipſo originem non duxerunt, ad Romanam Prouinciam, vbi generale ponimus ſtudium deſtinare; Nec non, & alios de Regno non oriundos eodem, de quibus videris expedire, ad loca vnde traxerunt originem, remittere non poſtponas. Inſuper Apoſtolica tibi auctoritate committimus, vt iuxta ipſius Ordinis mores, & modos, Priorem, & Conuentum in loco S. Petri Martyris Neapolitani, per chariſſimum in Chriſto Filium Carolum Siciliæ Regem Illuſtrem, vt aſſertur, eidem Ordini denuò conceſſo inſtituas, atque ponas, non obſtantibus dicti Ordinis in contrarium editis Conſtitutionibus, ordinationibus, & ſtatutis. *Datum Aquilę 3. Nonas Septembris. Pontificatus noſtri anno 1.*

Cum autem Prouincialis electio nō fuiſſet poſtmodum ſubſequuta, neque talis diuiſio in effectu completa, Bonifacius Papa VIII. S. Cęleſtini ſucceſſor eandem diuiſionem ann. 1295. in hunc modum terminauit.

BONIFACIVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Attendentes abolim, dum minori fungeremur officio, virtutum merita grandia, quibus plantatus in agro Dominico Sacer Ordo Fr. Prędicat. noſcitur inſignitus, & conſiderantes ſolliciter fructus ſalutis innumeros, qui ex ipſo proueniunt fidelium animabus, eundem Ordinem, & profeſſores illius ſpeciali affectione dileximus, & diligere non ceſſamus, ſollicitum, & efficax ſtudium impendentes, vt idem Ordo fęlicibus augumentis proficiat, & Fratres ipſi, vt diuinis liberius inſiſtant obſequijs, pacifici ſtatu, & ſtabili plenitudine gratulentur. Sanè fide digna relatione didicimus, quod propter diffuſionem nimiam Romanę Prouincię, quę ſecundum diſtinctionem Prouinciarum in Ordine ipſo factam, Romam, Tuſciam, Campaniam, & Maritimam, totumque Regnum Sicilię compręhendit, Prior Prouincialis ipſius Ordinis, qui frequenter eligitur de Tuſcia, vel de Vrbe, omittit, ſeu nequit totam eandem Prouinciam viſitare, præſertim Regnum Siciliæ memoratum, ad quod rarò, imò rariſſimè, ad aliquas verò partes ipſius cauſa viſitationis aliquatenus non accedit; propter quod eiuſdem Ordinis Fratres in prædicti Regni partibus commorantes, proficere nequeunt circa obſeruantias regulares, & alia etiā, quæ ſecundū Deum per Prioris Prouincialis ſolertiam, plerumque iuxta ſui officij debitum ordinantur; nec idem Prior iam dictos Fratres, ipſorum merita non agnoſcens, ſalubri correctioni ſubijcere, ſeu condignis fauoribus confouere, neque præfatus Ordo in eodem poteſt Regno ſuſcipere incrementa. Nos igitur ad ſtatum tranquillum, & proſperum dictorum Fratrum, & Ordinis intendentes, ac volentes, prout ex debito paſtoralis tenemur officij, ſalubre ſuper pręmiſſis remedium adhibere, præfatam Romanam Prouinciam, auctoritate Apoſtolica in

duas Prouincias duximus diuidendam, firmiter ſtatuentes, vt eorum altera ſic diuiſa tantum Regnum prædictum, vltra citraque Farum dumtaxat contineat, & Prouincia Regni Siciliæ nominetur. Reliqua verò totam Campaniam, Maritimam, Romam, & Tuſciam comprehendat, & Romana Prouincia nuncupetur. *Datum Laterani Kal. Martij Pontif. noſtri Anno primo.*

Quæ diuiſio fuit poſtmodum in Generali Capitulo Argentinæ ann. 1296. celebrato acceptata, atque Ordini denunciata, vt cum de Prouincia Regni tractabimus, referemus. Cum igitur Sanctiſſimus Angelicus Doctor Thomas anno Dom. MCCLXXIV. in Cœlum euolauerit & præfatę Romanæ Prouinciæ diuiſio ann. MCCLXXXXV. fuerit ſubſequuta, eundem S. Doctorem noſtræ Romanæ Prouinciæ pretioſum germen extitiſſe, fateri neceſſe eſt.

Edidit quoque hæc Prouincia præſtantiſſimos Regularis obſeruantiæ ſectatores, inter quos effulſere PP. FF. Io: Dominici de Florētia, Thomas Aiutami Chriſto de Piſis, Thomas de Senis, Hieronymuſque de Fulgineo (quos refert P. F. Sigiſmundus Ferrarius in ſua nobili Hiſtoria de rebus Hungaricæ Prouinciæ noſtri Ord.) Hi eandem in Venetiarum Conuentu S. Dominici cum quibuſdam ex Lombardiæ Prouincia inſtituentes, atque ad alias poſtmodum Prouincias diuertētes, poſtquam illam in pluribus huius Prouinciæ Cœnobijs reſtituiſſent, erecta fuit noua Congregatio, quæ S. Marci, eo quod primus extiterit ex huius Prouinciæ Conuentibus, qui regularem amplexa tus fuiſſet obſeruantiam, nuncupabatur, cuius caput ſub Vicarij Generalis nomine eam moderabatur, vt ex Ordinis Archiuio liquet, in Regeſtis enim P. F. Leonardi de Manſuetis Peruſini ex hac Romana Prouincia aſſumpti, conſpicitur inſtitutum fuiſſe in Vicarium eiuſdem P. Mag. F. Matthiam de Viterbio, in hunc modum. *Magiſter Matthias de Viterbio fuit confirmatus in Vicarium Generalem Conuentuum reformatorum, & reformandorum in Prouincia Romana, cum poteſtate plenaria in capite, & in membris, & ſuper Monaſteria cum cura in ſpiritualibus, & temporalibus, & cum auctoritate exequendi vltimas voluntates, &c. Dat. Peruſij die 3. Auguſti* 1474. Cum hac diuiſione permanſit vſque ad Clementis VII. tempora, qui eandem Congregationem in Prouinciam erexit, reliquoſque Conuentus ad Romanam Prouinciam priùs ſpectantes in Vicariam colligauit, cuius caput Vicarius Generalis Vicariæ Romanæ nuncupabatur. Ita enim denunciatum fuit Romæ 1532. denunc. 3. *Item* (ſcil. denunciamus) *Congregationē olim S. Marci extinctā, & erectam eſſe in Prouinciam Romanam reformatam.* Mandatum quoq; fuit in eodem Capitulo cunctis Fratribus ad Conuentus dictæ Prouinciæ nouiter erectæ per affiliationem pertinētibus, vt ad ſuos redirent Conuentus, aliàs intelligerentur tranſlati de Romana, ad Lombardię Prouinciam; ita enim in declarat. 6. præfati Capituli dicitur. *Declaramus, quòd Fratres filij Conuentuum quondam Congregationis Lombardiæ, nunc verò per Breue Apoſtolicum Prouinciæ Romanæ reformatæ reſtitutorum, ſi infra ſpatium trium menſium ad proprios non fuerint reuerſi Conuentus, vt ibi ſub obedientia Prouincialis Romani (ſicut & cæteri faciunt) maneant, intelligantur eſſe tranſlati de Prouincia Romana ad Prouinciam Vtriuſque Lombardiæ, & proprijs priuati filiationibus.*

Paulatim defluxit poſtea temporis decurſu Romana Vicaria eius Conuentibus ad Prouinciam per regularem obſeruantiam accedentibus, donec in Capit. Romano 1569. annuente etiam Pio V. interdictum fuit eius Conuentibus, ſicut & cœteris Fratrum Clauſtralium Ordinis (hoc enim nomine, qui non erant ex Conuentibus vitæ regularis, appellabantur) ad habitum, ſeu profeſſionem aliquē recipere abſque ſpeciali Magiſtri Ord. licentia in ſcriptis obtenta; qua denegata, ex omnibus Tuſciæ, Vmbriæ, Patrimonij, & Latij Conuentibus factum eſt vnum ouile, & vnus Paſtor, vnaque Romana Prouincia coaluit.

Pro conſeruanda igitur regulari vita ſequentia in Cap. Generalib. fuere firmiter ordinata.

1 Lectores circulos habeant, & maximè diebus Sabbati. Romæ 1650. *Item* (ſcil. ordinamus) *quòd Lectores adminus ter in hebdomada circulos habeant, & circulus Sabbathinus nullatenus omnittatur.*

2 Lectores Caſuum Conſcientiæ adminus ſemel in ſeptimana legant. Romæ 1650. *Ordinamus, quod Lectores Caſuum Conſcientiæ, niſi ad minimum ſemel in hebdomada toto tempore, quo exercitia ſcholaſtica haberi ſolent, lectiones habeant, nullis priuilegijs, aut exemptionibus gaudeant; imò lectura caſuum priuentur.*

3 Qui Magiſterij Nouitiorum munus recuſauerint, per annum in Priores ſint ineligibiles. Romæ 1650. *Reuocamus in memoriam, & quoad opus eſt renouamus ſtatutum generale noſtrarum Conſtitutionum, quo decernitur ne per annum in Priores eligi poſſint, qui Magiſterium Nouitiorum recuſauerint acceptare; Magiſtris in Theologia, Lectoribus actualibus, & Patribus Prouinciæ dumtaxat exceptis.*

4 Soli per Ciuitates, & Terras non diſcurrant Fratres. Romæ 1650. *Prohibemus ſeueriſſimè ne Fratres noſtri diſcurrant ſoli per Ciuitates, ſiue terras, inculcantes omnibus obſeruantiam decreti à fæl. record. Clemente VIII. hac de re emanati, cuius hic eſt tenor.* Nullus è Conuentu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum Socio, licentiaque ſingulis vicibibus impetrata, ac

be-

Digitized by Google

benedictione accepta à Priore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa approbata, ſociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo: neque eundem ſæpius. Licentiæ verò generales exeundi nulli omnino concedantur: Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur.

5 Iuuenes tantum cum Patribus de Conſilijs exeant ex Conuentibus. Romæ 1650. *Ordinamus quòd Fratres Iuuenes non permittantur egredi à Conuentibus, niſi cum aliquo ex Patribus à Conſilio; habita etiam à Prioribus conſideratione cuius prudentiæ, & bonitatis ſint illi Patres, cum quibus emittuntur foras.*

6 In abſentia Prioris, & Confeſſarij Monialium, qui nam remanere debeant Vicarij. Vide ſupra de Vicarijs Monialium in prima parte num. 3. antea verò in Capitulo Romano 1644. earum cura Conuentuum Præſidentibus fuerat demandata, hoc pacto. *Declaramus quod ſi contigerit abſente Priore à Conuentu abſentem etiam eſſe Confeſſorem Monialium, curam ipſarum ſub titulo Vicarij pertinere ad Præſidentem Conuentus.* Modò autem ſeruanda eſt poſterior ordinatio facta Valentiæ 1647.

7 Nouitij non educentur in Conuentibus 24. Fratres non habentibus Romæ 1629. *Ordinamus, vt Nouitij ſimplices non educentur in Conuentibus, in quibus regulariter non ſunt adminus viginti quatuor Fratres.*

8 Lectores Artium completo triennio ipſo facto tali munere defunguntur. Romę 1629. *Ordinamus, & ſtatuimus vt omnis Lector Artium ſuum curſum triennio abſoluat, nec vltra illud prorogare poſſit, quo elapſo abſque vlla declaratione à lectione, & lectoratu, priuilegijſque omnibus actualis Lectoris excluſus, & priuatus omnino ſit, & habeatur.*

9 Nullus examinetur Romæ in Lectorem, niſi poſt completum biennium Collegij S. Marię ſuper Mineruam; nec ad hoc Collegium admittatur, niſi ex ſtudio Peruſino poſt completum etiam in illo biennium. Romæ 1629. *Ordinamus, vt nullus Frater Romanæ Prouinciæ poſſit in Collegium Romanum S. Thomæ admitti, niſi priùs in Studio Querquenſi* (quod poſtea ad Peruſinum Conuentum translatū fuit) *biennio permanſerit; nec vllus in dictū Collegium admiſſus à Prouinciali Lector inſtitui, aut ad Lectoratus gradum examinari poſſit, niſi integro biennio in præfato Collegio extiterit.* Vide infra num. 17.

10 Conuentus S. Marci de Florentia pro ſtrictiori obſeruantia conſtitutus eſt Romæ 1629. *Deſignamus Conuentum S. Marci de Florentia pro ſtrictiori obſeruantia.*

11 Qui à Romano Collegio S. Mariæ ſuper Mineruam excluduntur, ad Magiſterij gradum promoueri non poſſunt. Mediolani 1622. *Ordinamus pro noſtra Prouincia Romana ad inſtantiam P. Prouincialis, vt non poſſint promoueri ad gradum Magiſterij, etiam ſaluis eiuſdem Prouinciæ iuribus, qui in noſtro Collegio Romano S. Mariæ ſuper Mineruam pro Collegialibus, vel Lectoribus excluſi fuerint. Si verò litteras promotionis ad eundem gradum Magiſterij obtinuerint, quæ huius ordinationis expreſſè non meminerint, eique expreſſè non derogauerint, pro ſubreptitijs, & nullius roboris habeantur; neque vllo pacto exequutioni mandentur.*

12 Primarij tantùm Lectores vocem habeant in Conſilio Patrum. Mediolani 1622. *Declaramus illam ordinationem, qua decernitur Lectores Primarios Conuentuum debere potiri voto in Conſilio Patrum, etiam poſt abdicatum prælegendi munus in ijs Conuentibus, in quibus Lectoris primarij munus exercuerint; de ijs tantùm eſſe intelligendam, tam de præterito, quàm in futurum, qui ſaltem per integrum biennium Lectoris primarij munus in eiſdem Conuentibus exercuerint.*

13 In Conuentu S. Mariæ Nouellæ qui Primarius Lectorum eſt inſtituendus, debet per quadriennium Theologiam, vel Artes docuiſſe. Mediolani 1622. *Ordinamus, vt nullus fiat primarius Lector Sac. Theologiæ in noſtris Conuentibus S. Mariæ Nouellæ, & Peruſij* (tunc enim nondū fuerat Generale Studium Prouinciæ ex Conuentu Querquenſi illuc translatum) *niſi qui integro quadriennio Sacram Theologiam, vel Artes ſaltem perlegerint; neque ibidem fiat eiuſdem Sac. Theologiæ ſecundarius Lector, niſi integro triennio prædictas facultates docuerit.*

14 Vbi ſunt duo Theologiæ Lectores, vnus textum D. Thomæ, alter verò commentaria in eundem legant. Mediolani 1622. *Ordinamus, vt in omnibus Conuentibus, in quibus duæ prælectiones Sac. Theologiæ in dies habentur, alter Lectorum textum tantùm S. Thomæ doceat, altero magis exactam commentariorum rationem proſequente: Primario verò Lectore quam maluerit prælegendi rationem eligente, alter alteram proſequatur.*

15 Artium Lectores in principio Summulas Logicales P. Petronij prælegant oretenus. Bononiæ 1615. *Confirmamus ordinationem ab eadem Prouincia factam, vt videlicet Lectores Artium in principio curſus oretenus diſcipulis prælegant Summulas Logicales ab Ad. R. P. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro F. Hyacinto Petronio æditas; curentque vt diſcipuli peroptimè eas calleant, ſuper quibus etiam rigoroſè examinari debebunt antequam ad maiora ſtudia promoueantur. Præcipientes PP. Lectoribus ſub pœna abſolutionis ab eorum officijs, ne ſuis ſcriptis de Summulis Logicalibus diſcipulos onerent, ſed ſolùm ipſas Summulas ſic impreſſas oretenus, vt præfertur, prælegant.*

16 Qui in aliarum Prouinciarum ſtudijs in Lectores fuerint approbati, nec priuilegijs,

Digitized by Google

nec titulo Lectoris gaudere poſſunt, niſi in Collegio S. Mariæ ſuper Mineruam fuerint examinati, & approbati. Romæ 1612. *Ordinamus quod de cætero Fratres eiuſdem Romanæ Prouinc. qui in aliarum Prouinciarum ſtudijs in Lectores fuerint examinati & approbati, titulo & priuilegijs Lectoris in Romana Prouincia gaudere non poſſint, niſi priùs in Collegio Romano S. Mariæ ſuper Mineruam in Lectores examinati, & approbati fuerint.*

17 Pro præfato Romano Collegio ſequentes emanauere Pariſijs 1611. ordinationes, quæ etiam in Cap. Romano 1612. fuere cõfirmatæ. *Ordinamus, & diſtrictè præcipimus, vt ordinationes, quæ in Prouincia noſtra Romana hucuſque ſeruatæ, & à Reuerendiſs. P. noſtro Magiſtro Generali Ord. confirmatæ ſunt, inuiolabiliter obſeruentur: Videlicet quòd nullus vnquam in dicta Prouincia fiat Lector, nec Artium, nec ſacræ Theologiæ, neque hoc titulo gaudeat, niſi ante per totum tempus ab ordinationibus noſtri Romani Collegij S. Thomæ præſcriptum in eodem Collegio Collegialis extiterit, & à Moderatoribus eiuſdem iuxta formam ibidem præſcriptam examinatus, & approbatus fuerit, publicaſque concluſiones impreſſas ſuſtinuerit; ijs tantum exceptis, qui in ſtudijs noſtris Generalibus Prouinciarum Vtriuſque Lombardiæ, & Hiſpaniarum integro triennio Studentes formales Sac. Theologiæ extiterint, & à RR. PP. Moderatoribus dictorum ſtudiorum præmiſſo examine ad Lectoris munus obeundum idonei reperti, & approbati fuerint, ſuper quibus eorundem PP. Moderatorum conſcientias aggrauamus. Nec vllo pacto Lectores ex Studio noſtro Generali Peruſino educantur, neque ibidem ad Lectoratus officium examinentur. Item quòd nullus fiat Collegialis, neque admittatur in dicto Collegio, niſi Sacerdos, & priùs ſtudens formalis fuerit, & per tempus ab ordinationibus prædictis ſtatutum in dicto ſtudio noſtro Peruſino realiter permanſerit. Item quod examinatores, ad quos Collegialium, & Lectorum examina, nec non conſultatio negotiorum dicti Collegij pertineant, ſint Ad. R. P. Prouincialis Romanus, & R. R. PP. Regens Collegij, Prior Conuentus S. Mariæ ſuper Mineruam, Baccalaureus Ordinarius, Magiſter Studentium, Primus Lector Artium, & ij tantum PP. Magiſtri, qui per aliquot annos in eodem Collegio Sac. Theologiam prælegerint, & ſi Romanæ Prouinciæ fuerint, in eadem pro Magiſtris acceptati ſint. Quòd ſi ſecus factum fuerit, quàm in præfatis ordinationibus ſancitum eſt, totum irritum ſit, & inane. Et ne de cætero hæc eadem in controuerſiam vertantur præſenti decreto ſuper his omnibus, ac ſingulis perpetuum ſilentium imponimus.*

18 In ſtudio Peruſino, (quod pro Vniuerſitate huius Prouinciæ fuit determinatum Salmanticæ 1551. vt ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 27. retulimus) ex alienis Prouincijs quatuor ſtudentes adminus admittantur. Barcinonæ 1574. conf. 10. *Item confirmamus ordinationem illam, quòd in Generali Studio Peruſino adminus quatuor Fratres ex alienis Prouincijs ad ſtudium Theologiæ admittantur.*

19 Suppriores ſint tantum biennales. Romæ 1589. ord. 15. quod ita fuit confirmatum Neapoli 1600. conf. 4. *Confirmamus pro Prouincia Romana ordinationem Capituli Generalis Romæ 1589. celebrati, nempè quòd Suppriores ſint tantùm biennales, nec poſſint in eodem Conuentu iterum eodem munere fungi, niſi alio biennio priùs peracto.*

20 Monialium Confeſſarij vltra triennium in eodem Monaſterio permanere non poſſunt. Neapoli 1600. decl. vit. *Declaramus in Prou. Romana, quòd Confeſſores Monialium non poſſunt vltra triennium in eodem officio perdurare, ſed omnino ſunt mutandi.* Hoc autem eſt intelligendum iuxta ea, quæ diximus ſupra in prima parte de Confeſſorib. Monialium num. 4. & 5. nempè quod ſint biẽnales, & cum diſpenſatione Magiſtri Ord. vel eius Vicarij poſſunt tertio anno in eodem munere, & Monaſterio perſeuerare.

21 Magiſtri in hac Prouincia acceptati debent eſſe viginti: ita auctoritate Apoſtolica Vrbani VIII. petente ſupradicto P. F. Michael Mazzarino Cardinalis S. Cæciliæ nuncupato, dum adhuc munere Prioris Prouincialis huius noſtræ Prouinciæ fungeretur (quod contigit ab anno 1638. vſque ad 1642.) ſancitum eſt per Apoſtolicum Breue datum die XVII. Maij MDCXXXIX. qui Magiſtrorum numerus eſt tantummodò augendus ex multiplicatione PP. Regentium Generalis Studij Prouinciæ. Breue autem eſt ſequentis tenoris.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

In his Apoſtolici noſtri muneris partes libenter interponimus, per quæ fœlici Regularium perſonarum ſtatui opportunè conſuli iudicamus. Nuper ſiquidem prò parte dilecti filij Michaelis Mazarini Sac. Theologiæ Magiſtri, ac Romanæ Prouinciæ Fratrum Ordinis Prædicatorum Prioris Prouincialis nobis expoſitum fuit, quòd in non mediocre dictæ Prouinciæ bonum cederet, ſi quemadmodum in quibuſdam alijs dicti Ordinis Prouincijs ſancitum eſt, certus, ac determinatus Magiſtrorum in Sacra Theologia Ordinis huiuſmodi cum loco & voce, qui acceptati communiter nuncupari ſolent, numerus in dicta Rom. Prouincia per nos conſtitueretur: Nobis proptèrea dictus Michael Prior Prouincialis huiuſmodi humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè, vt infra, prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eiuſdem Prouinciæ fœlici regimini, & gubernio quantum cum Domino poſſumus benignè conſulere, ipſumque exponentem ſpecia-

cia-

Digitized by Google

cialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; Præfatis Magiſtris acceptatis in Prouincia Romana huiuſmodi numerum Vicenarium, qui nonniſi per eos, qui in Studio Generali dictæ Prouinciæ Regentis munere functi fuerint, excedi poſſit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præſcribimus, & præfinimus. Ac inſuper quòd de cœtero nullus niſi Regens, vt ſupra fuerit in eiuſdem Prouinciæ Magiſtrum acceptari valeat, donec & quoadusque Magiſtri, qui modo ſunt in dicta Prouincia acceptati, quibus per præſentes nullum præiudicium inferre intendimus, ad numerum viginti redacti fuerint, auctoritate & tenore præſentium interdicimus, & prohibemus; Decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Capitulorum Generalium dicti Ordinis decretis, ſi quæ præmiſſis aduerſentur, ac Ordinis, & Prouinciæ huiuſmodi, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus etiamſi pro ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenoribus præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cœteriſque contrarijs quibuſcumque. *Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die xvij. Maij MDCXXXIX. Pontificatus noſtri Anno decimoſexto.*

M.A. Maraldus.

Antea autem Valliſoleti 1605. ordinatum fuerat, vt decem tantùm Magiſtri in hac Prouincia eſſent, qui acceptari deberent à Patribus Prouinciæ vnà cum Diffinitoribus in Capit. Prouinciali, ſub pœna nullitatis; ita enim ſancitum fuit ordinat. 34. *In Prouincia Romana ad eius petitionem ordinamus, vt impoſterum numerus Magiſtrorum in Prouincia receptorum ſit denarius, & nunquam poſſit hic numerus augeri, niſi occaſione Magiſtrorum, qui in futurum fient in ſtudio Peruſino; ſecundùm conſuetos ſtudiorum gradus, & non aliter. Et hi omnes Magiſtri in Prouincia recipiendi, non recipiantur, niſi priùs per decennium perlegerint tam Artium curſus quam etiam Theologiam per quatuor annos in aliqua Vniuerſitate, computando in hoc decennio duos annos Magiſterij ſtudij. Et à maiori parte Diffinitorum, & Patrum Prouinciæ in Capitulo Prouinciali exiſtentium acceptari debeant. Et qui aliter quocunque modo directè, vel indirectè ad hunc gradum aſſumptus fuerit, niſi ſtatim renunciauerit, ſit ipſo facto priuatus omnibus gratijs, & officijs Ord. & ſit omnino inhabilis in perpetuum ad hunc gradum obtinendum.* Quod fuit confirmatum Pariſijs 1611. & Bononię 1615. vt ex num. 23. apparet.

22 Prouinciales ſint biennales. Ita ordinatum fuit Romæ 1608. *Ordinamus, vt in Prouincia Romana Capitula Prouincialia ſint biennalia iuxta noſtras Conſtitutiones.* Poſtea Romæ 1629. ordinatum eſt, vt in omnibus Prouincijs, in quibus non obſtaret Apoſtolicum indultum, Prouinciales eſſent quadriennales. Tandem Eminentiſſ. D. Frater Michael Mazzarinus Cardinalis S. Cæciliæ nuncupatus, Filius huius noſtri Conuentus S. Mariæ ſuper Mineruam dum Prioris Prouincialis Romanę noſtræ Prouinciæ officio fungeretur, ab Vrbano VIII. Apoſtolicum breue datū die XXVIII. Maij MDCXXXIX. obtinuit, vt Prouinciales in Romana Prouincia ſint tantum biennales, quod eſt ſequentis tenoris.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filij Michaelis Mazzarini, in Sacra Theologia Magiſtri, ac Romanæ Prouinciæ Fratrum Ordinis Prædicatorum Prioris Prouincialis Nobis expoſitum fuit, quòd dictæ Prouinciæ Priores Prouinciales ante Capitulum Generale eiuſdem Ordinis in Alma Vrbe noſtra nouiſſimè de Anno 1629. celebratum, biennales erant, in eo autem Capitulo Generali ſtatutum fuit, vt Priores Prouinciales abinde quadriennales forent, exceptis tamen Prouincijs ſpeciali quo ad hoc indulto Apoſtolico gaudentibus. Verum quia dubitari poteſt an in prædicta Prouincia Romana huiuſmodi indultum vigeat; ad omnem ſcrupulum è medio remouendum, ſtatutum etiam fuit in Dieta nuper in eadem Alma Vrbe in domo Regulari, ſeu Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam dicti Ordinis habita ſupplicandum eſſe, prout idem exponens nobis humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate

te

te Apoſtolica dignaremur. Nos igitur fœlici Prouinciç huiuſmodi gubernio quantum cum Domino poſſumus conſulere, ac eundem Michaelem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes,eumque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis,& interdicti,alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure,vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit,ad effectum pręſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; Quòd de cœtero perpetuis futuris temporibus dictę Prouinciæ Romanę Priores Preuinciales bienuales ſint, & eſſe debeant, nec vltra biennium in huiuſmodi Prouincialatus officio perdurare poſſint, & quidquid ſecus à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane exiſtat,Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium decernimus, ſtatuimus, & ordinamus reſpectiuè; Non obſtantibus prędicta Capituli Generalis ordinatione, ſeu ſtatuto, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,necnon Ordinis,& Prouinciç huiuſmodi, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque,indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium prçmiſſorum quomodolibet conceſſis,confirmatis,& innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenoribus pręſentibus pro pleuè,& ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad prçmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus,cœteriſque contrarijs quibuſcumque. *Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcat.die xxviij. Maij MDCXXXIX. Pontificatus noſtri Anno decimoſexto.*

M.A. Maraldus.

23 Vt Prędicatorum Generalium numerus duodenarius eſſet, ſancitum fuerat Pariſijs 1611. hoc modo. *Ordinamus ad ipſius petitionem, vt Prædicatorum Generalium vocem in Prouincia habentium numerus non excedat duodenarium in futurum: Et quòd imposterum prædicti Prædicatores Generales voce gaudentes acceptentur à maiori parte Patrum Prouinciæ, ſicut in Capit.Valliſoletano, ordinat.* 34. *ad petitionem ipſius Prouinciæ ſtatutum fuit de acceptatione Magiſtrorum.* quod fuit confirmatum Bononię his verbis. *Confirmamus ordinationem primam factam Pariſijs ann.* 1611. *circa duodenarium numerum, & acceptationem Prædicatorum Generalium à PP. eiuſdem Prouinciæ, & idem dicimus de acceptatione Graduatorum.* Romę autem 1629. ord.xv. conceſſum eſt vniuerſaliter Prędicatores Generales tot eſſe poſſe quot ſunt Conuentus in Prouincijs,hoc modo. *Prouinciales verò, ac Diffinitores prædicti inuiolabiliter obſeruabunt id, quod ſæpius iuxta Conſtitutiones ſancitum eſt; ne ſcilicet Prædicatorum Generalium numerus Conuentuum Prouinciæ numerum excedat.*

24 Pro futura lectione Lectores nec inſtituantur, nec aſſignentur. Valliſoleti 1605. ord. 34. *Nullo modo in eadem Prouincia* (ſcil. Romana) *imposterum inſtituantur,vel aſſignentur Lectores pro futura lectione (vt dicunt); etſi huiuſmodi aſſignationes fiant, ſint omnino inualidæ: fiant igitur Lectores qui adminus quatuor diſcipulos habeant,& non aliter.*

25 Conuentus S.Marię ſuper Mineruam fuit exemptus ab obligatione ſoluendi annuã contributionem ſcutorum quinquaginta monetę Ad. RR. PP. Procuratori Ordnis pro tempore, Romę 1580. declarat. 2. *Declaramus etiam Conuentum noſtrum S. Mariæ ſuper Mineruam exoneratum ab onere perſoluendi quotannis ducatos quinquaginta Ad. R.P.Procuratori Ord. pro tempore, niſi ſubſit aliqua iuſta cauſa, quæ huic noſtro decreto contradicat.*

PRO PROVINCIA REGNI. VI.

AB Ordinis primordijs vſque ad ann. MCCLXXXXIV. omnes vtriuſque Siciliç Conuentus ſub Prouinciç Romanę nomine,atq;regimine perſeuerauere, quo Carolo II. Neapolitano Rege petente à Romana Prouincia ſeiuncti, in peculiarem fuere erecti Prouinciam, ſub Prouinciç Regni Siciliç nomine à Cæleſtino Papa V. datis Apoſtolicis litteris Aquilæ 3. Nonas Septembris, Pontificatus ſui anno 1. quę diuiſio fuit poſtea per Apoſtolicas litteras Laterani Kal.Martij anno 1295. à Bonifacio Papa VIII. datas etiam confirmata, prout ſupra Pro Prouincia Romana fuſius retulimus:huius igitur nouę Prouin-

uinciæ inſtitutio in ſequentibus Generalibus Comitijs Argentinæ ann.1296. habitis fuit acceptata poſt Romanam Prouinciam immediatè loco eidem, prout ipſe Cæleſtinus mandauerat, attributo: ita enim in declaratione 1. eiuſdem Capituli habetur. *Item cum dictus Sanctiſs. Pater Romanam Prouinciã duxerit diuidendam, & mandauerit Prouinciam nouam, Prouinciam Regni Siciliæ nominari, & eam immediatè ordinari poſt Romanam Prouinciam, volentes ex nunc dictam ordinationem exequi, mandamus, quod in locis Conſtitutionum noſtrarum, videlicet in capit. de Elect. Magiſtri, & in cap. de Electione Diffinitorum Capituli, & alijs locis, ſi qua inuenirentur vbi ageretur de numero Prouinciarum, etiam vbi ſit mentio de Ordine, vbi dicitur 12. dicatur 13. & in ipſa nominatione, Prouinciarum vbique poſt Romanam Prouinciam immediatè Prouincia Regni Siciliæ nominetur.* Diuiſionem paſſa eſt poſtea pluribus decurſis annis; ab ipſa namque Regnum Siciliæ vltra Pharum ſibi propriam delegit Prouinciam, quæ Trinacriæ nuncupatur. Iterumque ſeparationem à Calabria primò, poſtea ab Apulia, & tandem ab Aprutio experta, nouiſſimè duæ Congregationes obſeruantiæ ex eadem prodiere, S. Mariæ Sanitatis ſcilicet, & S. Marci de Gauotis, vt cum de ipſis erit ſermo ſpecialis, enarrabimus. Sicut communia mala cum Chriſtiano orbe, atque reliquis Ordinis Prouincijs fuerat hæc experta, ita & cum eiſdem regularem poſtmodum obſeruantiam in omnibus ad ipſam ſpectantibus Nationibus fuit amplexata, vt cum de eiſdem, quæ in peculiares fuere erectæ Prouincias, tractabimus, referemus. Hic autem vnicum tantum de hac re adducemus teſtimonium ex Regeſtis Magiſtri Ord. P. F. Leonardi de Manſuetis depromptum, in quibus ita ſub die 6. Iunij 1474. emicat. *Prioribus, & Fratribus Prouinciæ Regni, etiam de Obſeruantia, præcipitur, quod ad Prouinciale Capitulum vadant, adminus Priores Conuentuũ reformatorum illius Nationis, in qua celebratur Prouinciale Capitulũ.*

Sequentes igitur pro regularis vitæ conſeruatione in diuerſis Generalibus Capitulis emanauere ordinationes.

1 In Generali Studio S. Dominici de Neapoli PP. Prouincialis, & Prior eiuſdem Conuentus ſunt Studentium examinatores. Romę 1650. *Ordinamus quod in Studio Generali S. Dominici de Neapoli A.R.P. Prouincialis, & P. Prior S. Dominici ſint ſimul examinatores Studentium formalium, non ſolùm tunc cum recipiuntur, verum etiam in alio quocunque annuali examine, quidquid aliter circa hoc diſpoſitum videatur in Capitulo Romano 1644. ord. 6.* hanc autem ordinationem vide intra num. 16. hic.

2 Tam Prouinciales, quàm Conuentuales Priores in ſuorum officiorum terminatione proprij regiminis rationem reddere tenentur. Ita pro toto Ordine ſancitum fuit Romæ 1629. ord. 24. quod ſpecialiter pro hac Prouincia confirmatum fuit Romæ 1650. *Confirmamus ordinationem Capituli Romani 1629. qua ſtatuitur, quòd Priores tum Conuentuales, tum Prouinciales in ſuorum officiorum termino rationem reddant ſui regiminis. Videlicet Prouinciales Diffinitoribus Capituli Prouincialis iuxta ſeriem noſtrarum Conſtitutionum; Priores autem Conuentuales, Patribus à Conſilio, ita nimirum, vt ex horum numero per ſuffragia tres deputentur, quibus Prior, & Officiales ſuæ adminiſtrationis rationem reddere teneantur.*

3 Graduandorum petitiones, ſtudiorumque prouiſiones, à Patribus Prouinciæ in Diffinitorio congregatis fiant. Romæ 1650. *Inhærentes decretis Capit. Romani 1629. admonemus, & in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ ſub formali præcepto mandamus Prouincialibus, Vicarijs, Diffinitoribus, Magiſtris, & Patribus Prouinciæ, quatenus petitiones Prouinciæ quoad gradus, & prouiſiones ſtudiorum fiant ſolùm in Capitulo Prouinciali ab Ad. R. P. Prouinciali, ſeu Vicario vnà cum Diffinitoribus, Magiſtris, & Patribus Prouinciæ in Diffinitorio ſimul congregatis, ac per vota ſecreta, non verò extra Diffinitorium diuiſim, aut priuatim. Huiuſmodi verò petitiones, non ſingillatim, ſed collectim omnes fiant in vno folio, & ſubſcribantur per dictos Ad. R. P. Prouincialem, vel Vicarium & PP. Magiſtros, nec non P.P. Prouinciæ, quorum conſcientias oneramus, ſi indignos, aut requiſita non habentes, poſtulent, aut exponant.*

4 Eadem veſtimentorum Prouiſio detur in tota Prouincia, quę datur in Conuentibus S. Dominici, & S. Petri Mart. de Neapoli. Romæ 1650. *Ordinamus quòd in omnibus Conuentibus extra Neapolim ſitis, Priores atque Vicarij eodem prorſus modo, inique, eadem quantitate, ac pretio dent ſuis Religioſis veſtiarium, ſicut datur in Conuentibus S. Dominici, & S. Petri Marty. intra Neapolim conſtitutis; ſi ſecus fecerint, in pœnam ab Ad. R. P. Prouinciali, tam Priores, quàm Vicarij, abſoluantur, atque ad huiuſmodi officia per biennium inhabiles declarentur.*

5 In publicis proceſſionibus, quæ Neapoli fieri cõtingunt, omnes Fratres cuiuſcũq; ſint Conuentus, inter ſe locum iuxta propriæ profeſſionis, ſeu gradus antiquitatẽ obtineant. Romę 1608. *Item* (ſcil. ordinamus) *vt in publicis & generalibus Proceſſionibus, in quibus omnes noſtri Ordinis Fratres Neapoli commorantes conueniunt, ſinguli loca ſuæ profeſſionis teneant, ita vt Tertiarij cum Tertiarijs, Conuerſi cum Conuerſis, & Nouitij cum Nouitijs, & eorum Magiſtris, & Iuuenes cum Iuuenibus, Sacerdotes cum Sacerdotibus, Suppriores cum Supprioribus, Priores cum Prioribus, & Magiſtri cum Magiſtris incedant: ſeruato tamen ſuo loco Prioribus S. Dominici,*

nici, & S. Petri Marty. de Neapoli ſuper omnes alios Priores,& Magiſtros. Quod fuit confirmatum Romæ 1644.

6 Omnes præfati Fratres in talibus Proceſſionibus ſubduntur P.Prouinciali Regni. Ita ſubditur in ſupradičto Capit. & ordinat. 1608. *Volumuſque ne in huiuſmodi Proceſſionibus aliqua ſuboriatur confuſio, vt quoties ſic conuenerint omnes Fratres Neapoli exiſtentes, vni tantùm Prouinciali Regni, vel eius Vicario obediant, in his dumtaxat, quæ ad Proceſſionem pertinent.* Quod fuit confirmatum Romæ 1644. & iterum Valentiæ 1647. his verbis. *Confirmamus quod in Capitulo Generaliſſimo, Romæ celebrato ſancitum eſt; quòd ſcilicet in Proceſſionibus generalibus, quæ in Ciuitate Neapolitana habentur, Prouincialis Prouinciæ Regni diſpoſitioni, omnes noſtri Religioſi, licet aliarum Prouinciarum, ſint ſubiecti.*

7 Quando Reliquię SS. Dominici P. N. & Thomę Aquinatis ad Eccleſiam S. Dominici deferuntur, omnes Fratres Conuentuum Neapolitanorum ad proceſſionem accedere debent. Valentię 1647. *Hortamur, & quantum opus eſt mandamus Prioribus noſtrorum Conuentuum in Ciuitate Neapolis exiſtentium, vt quando Reliquiæ SS. Patriarchæ noſtri Dominici, & S. Doctoris Thomæ Aquinatis ab Archiepiſcopatu ad noſtram Eccleſiam Conuentus S. Dominici Regalis aſportantur, Fratres ſuorum Conuentuum ad illas Proceſſiones conuenire faciant.*

8 Conciones in Quadrageſima habentibus Prioribus Prouincialibus, ſeu SS. Dominici,& Petri Mart.& Roſarij, dẽtur tantũ quinquaginta ſcuta Neapolitana à pręfatis Conuentibus. Valentię 1647. *Ordinamus, vt quando contigerit quòd Ad. R. P. Prouinciali, vel RR. PP. Priores Conuentuum S. Dominici S. Petri Mart. & Sanctiſs. Roſarij de Neapoli quadrageſimali tempore in Eccleſijs præfatorum Conuentuum conciones habeant, eiſdem pro eleemoſyna ſolùm quinquaginta ducati à præfatis Conuentibus concedantur; nec talis numerus quouiſmodo augeri poſſit ſub quocumque prætextu, aut colore, vel ſcil. titulo cibi, ſeu veſtimentorum, vel per quæſtus, aut capſulas à Confeſſarijs, villicis, alijſque Conuentuum officialibus, ſub pœna abſolutionis ab officio, & reſtitutionis pecuniarum.*

9 Officiales Conuentuum, qui de Patrum eorundem conſilio inſtitui ſolent, à PP. Prouincialibus non inſtituantur. Bononię 1615. quod fuit ita conf. Valentiæ 1647. *Confirmamus quod in Capit. Gener. Bononiæ an. 1615. celebrato pro Prou. Regni decretum eſt, quòd ſcil. Prouincialis pro tempore officiales Conuentuum eiuſdem Prouinciæ, qui non niſi de conſilio Patrum inſtitui ſolent, ſine tali conſilio illos inſtituere non valeat; & in caſu cõtrario, talis inſtitutio nulla ſit, et irrita, et hoc ſub pœna ſuſpiſionis per tres mẽſes.*

10 Nullus audeat Congregationes ſecularium cum impoſitione alicuius pecunię inſtituere. Valentię 1647. *Præſenti decreto præcipimus omnibus Prioribus, & Fratribus eiuſdem Prouinciæ, cuiuſcumque ſint conditionis, & auctoritatis, vt per illos nullæ erigantur Congregationes, aut conuentiones ſæcularium vtriuſque ſexus cum impoſitione alicuius pecuniæ, ſiuè implicita, ſiuè explicita ſit talis impoſitio, & exactio, & erectas præſenti ſtatuto anullamus, & caſſamus, ijs exceptis, quę per prędeceſſores noſtros ſunt firmatæ. Et vt hoc inuiolabiliter ſeruetur, huiuſmodi exequtionem committimus P. Prouinciali, vel Priori Conuentus, vbi hoc contigerit, ſub pœna abſolutionis ab eorum officijs.*

11 De Fratrum morte tam Prouincialis, quàm Conuentuum Pręſidentes admoneantur. Valentię 1647. *Ordinamus Conuentuum Prioribus, & Præſidentibus, vt de morte Fratris ſui Conuentus moneant P. Prouincialem, & omnes Prouinciæ Conuentus.*

12 In Conuentibus S.S. Dominici, Petri Mart. & Roſarij pręter Theologię Lectores, ſint tantùm duo Lectores Philoſophię. Valentię 1647. *Ordinamus quòd in Conuentibus S. Dominici S. Petri Mart. & SS. Roſarij de Neapoli vltra lectiones Theologiæ ordinarias non ſint niſi duæ aliæ, Phyſicæ ſcil. & Logicæ: caſſantes Lectores tituli, Lectores textus S. Thomæ, Controuerſiarum, & Caſuum Conſcientiæ, vt ſupra ordinatum.*

13 In viſitandis Conuentibus ſe expediant Prouinciales, quos per ſe ipſos viſitare tenentur. Valentię 1647. *Vt viſitatio ſit proficua Conuentibus, & minimè oneroſa, ordinamus, vt Prouincialis pro tempore per ſe ipſum viſitet Conuentus extra Neapolim, & quam citiùs poterit à viſitatione ſe expediat: In Conuentibus verò intra Ciuitatem Neapolim exiſtentibus, ad ſummum intra ſpatium viginti quinque dierum viſitationem claudat.* In Conuentu autem S.Petri Mart. eo quia ſingulis annis ſcuta aurea centum Reuerendiſs. Magiſtro Ordinis in contributionem perſoluere tenetur, non poſſunt Prouinciales huius Prouincię commorari niſi cauſa Viſitationis per dies quindecim tantùm; eſtque exemptus idem Conuentus ab omnibus alijs contributionibus extraordinarijs. Ita fuit ordinatum Venetijs 1592. ord. 9. quam vide in prima parte de Contributionibus num. 1.

14 Vt alternatiuam in electionibus Prouincialium, Diffinitorum, atque Conuentualium Priorum concederet huic Prouincię Mag. Ord. P.F.Nicol. Rodulphius, iniunctum illi fuerat Romę 1629. quę Apoſtolica auctor. Vrbani VIII. fuit confirmata, & Romę 1644. comprobata, addendo, vt in Neapolitanis Conuentibus Nouitij, etiam alternatiua ſeruata, recipiantur, in hunc modum. *Ordinamus,*

mus, vt alternatiuè inter huius Prouinciæ Patres, ex natione ſcilicet Neapolitana, & extera in Capit. Generali Romæ 1629. inſinuata, & iam inſtituta, inuiolabiliter obſeruetur, iuxta Breue SS. Dom. N. Vrbani Papæ VIII. ſub datis Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 17. Februarij 1640. ac proindè vt mutuus amor, & fraterna concordia inter eoſdem in dies augeatur, ordinamus, vt in Conuentibus Neapolitanis ad habitum Clericalem non admittantur, niſi ſeruata alternatiua, vt ſcilicet tot ex vna reperiantur, & tot itidem ex alia natione.

15 Vt Studentes formales S. Dominici de Neap. ex hac Prouincia eſſent tantùm decem, decretum fuerat Bascinonę 1574. *De Studior. Promot.* num. 12. Romę autem 1629. ordinatum fuit, vt extranei eſſent duodecim, & totidem ex hac Prouincia, ſuperaddito tamen vno ad Prouincialis arbitrium eligendo, in hunc modum. *Ordinamus, & ad petitionem Patrum Conuentus S. Dominici de Neapoli concedimus, vt numerus Studentium formalium dicti ſtudij non excedat numerum viginti quinque; ita ſcilicet, vt duodecim ſint ex alienis Prouincijs, inter quas alternatiua ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam ſeruetur, & duodecim ex Prouincia Regni, quibus ex antiquo priuilegio, & conſuetudine vnum ad libitum quilibet Prouincialis pro tempore ſuperaddere poſſit, ita tamen vt nunquam ſint plures tredecim.* Quod fuit confirmatum Romę 1644. & Romę 1650. vbi ita additur. *Neque Studentes in noſtro Gen. Stud. S. Domin. numerum duodenarium excedant* (& loquitur de Studentibus huius Prouinciæ) *quibus tamen pro quolibet expleto triennio poſſit P. Prouincialis addere vnum iuxta ſancita in alijs Capit. General.* Præfati autem Studentes ex alienis Prouincijs pro illis tantùm recipiantur quarum ſunt filij. Romæ 1629. *Item prohibemus omnino ne vllus pro aliena Prouincia, etiam deſolata, in Studentem formalem recipi poſſit, qui verè non ſit talis Prouinciæ filius: & ſi ſecus fiat, eius receptio nulla omnino ſit, & cenſeatur; & Regens pro tempore à ſuo officio ſuſpenſionem incurrat. Quod ſi ex externis Prouincijs, præcipuè diſſitis Fratres ad ſtudium venientes locum occupatum inuenerint, deſignetur illis à P. Prouinciali aliquis Conuentus ſtudij vbi commorentur, quouſque locus vacauerit.* Extra verò præfatum Studiũ Generale nullus pro formali ſtudio alibi deputetur. Romæ 1650. *Extra verò prædictum S. Dominici Generale ſtudium nemini deputetur Conuentus intra hanc Prouinciam pro ſtudio formali.*

16 Examinentur tam materiales, quàm formales Studentes ſingulis annis de ſufficientia, & morum honeſtate. Romæ 1612. quod fuit ita confirmatum Romæ 1629. *Ordinamus vt ſingulis annis fiat examen ſtudentium, tam formalium, quàm materialium de litteris, & moribus eorundem à ſolis PP. Moderatoribus ſtudij priuatim, & proficientes per vota ſecreta approbentur; deficientes verò reprobentur; qui ipſo facto ſtatim à ſtudio, & Conuentu S. Dominici excluſi, ac remoti ſint, & intelligantur; ſicuti etiam quicumque examini ſe ſubijcere recuſauerint, eodem prorſus modo excluſos, & remotos eſſe volumus, ac declaramus.* Idem fuit etiam confirmatum Romæ 1644. his verbis. *Item* (ſcilicet confirmamus ordinationem) *de examine habendo ſingulis annis de litteris, & moribus ſtudentium formalium per ſolos tres PP. Moderatores eiuſdem ſtudij, ita vt inepti à ſtudio, & Conuentu ſtatim eijciantur.* Quæ ordinatio nomine trium moderatorum non excludit Priorem Prouincialem, & S. Dominici, vt dictum eſt ſupra num. 1. Imò concordat cum alia ordinatione in eodem Capitulo Romano 1644. ſequentis tenoris. *Ordinamus, vt Lectores, & Studentes formales Generalis ſtudij S. Dominici de Neapoli examinentur tantùm per quinque examinatores iuxta decretum Breuis Apoſtolici Sanctiſs. Pij Papæ V. vt teſtatur Epiſtola Reuerendiſs. quondam P. Mag. Generalis F. Vincentij Iuſtiniani, qui fuit Eminentiſs. S. R. E. Card. cuius originale in Matricula eiuſdem ſtudij aſſeruatur.*

17 Quando conuocantur PP. a Conſilijs S. Dom. & S. Petri Mart. pro communibus Prouinciæ negotijs, vocandi ſunt quoque Magiſtri, & Prior Roſarij. Romæ 1644. *Ordinamus, vt quando conuocantur PP. à Conſilijs S. Dominici, & S. Petri Mart. de Neapoli pro communibus negotijs Prouinciæ huius pertractandis, vocari etiam debeant PP. Magiſtri in Theologia, & Prior pro tempore Conuentus Sanctiſs. Roſarij de Neapoli.*

18 PP. à Conſilijs in Conuentibus SS. Dominici, & Petri Mart. ſint tantum Graduati. Romæ 1629. *Ordinamus, vt iuxta præſcriptum noſtrarum Conſtitut. diſt. 1.* De Recipiendis cap. 13. ſub litt. A. in gloſſa, *Patres à Conſilijs in Conuentibus S. Dominici, & S. Petri Mart. de Neapoli non ſint niſi Graduati; videlicet Magiſtri, PP. Prouinciæ, Priores præteriti eiuſdem Conuentus, Baccalaurei, Prædicatores Generales, ac Lectores vſque ad numerum duodenarium, ita vt ſemper iſti cæteris alijs præferantur.* Quod fuit confirmatũ Romæ 1644. vbi ita ſubditur: *Quod idem omnino obſeruandum etiam in Conuentu Sanctiſs. Roſarij de Neapoli decernimus, & declaramus.*

19 Tam Vicarij Locorum, quàm Priores Conuentuum ſint tantùm biennales. Romæ 1644. *Ordinamus iuxta petitionem eiuſdem Prouinciæ factam in vltimo eius Capitulo Prouinciali celebrato ann. 1641. vt Vicarij Locorum non poſſint durare niſi tantùm per biennium, ſicut & Priores Conuentuum.* Romæ autem 1589. conceſs. 3. conceſſum erat vt pręfati Vicarij eſſent triennales.

20 Nullus in Studentem formalem huius Prou. aſſumatur, qui Theologiæ in Conuentu S. Dominici, vel S. Petri Mart. de Neapoli operam non dederit. Romæ 1644. *Ordinamus ne quis poſt expletum curſum Philoſophiæ ſtatim aſſignari valeat in Studentem formalem in Generali Studio S. Dominici de Neapoli, niſi prius in eodem Conuentu, vel in Conuentu S. Petri Mart. de Neapoli ſcholaſticę Theologiæ ad minus per biennium operam dederit.*

21. Qui in aliarum Prouinciarum ſtudijs aſſignantur, ſint prius ab huius Generalis Studij Moderatoribus rigoroſè examinandi, ſub pœna nullitatis. Romæ 1644. *Ordinamus, vt qui in Studentes formales in ſtudijs Generalibus aliarum Prouinciarum aſſignantur, debeant prius per Moderatores Generalis Studij S. Dominici de Neapoli rigoroſè examinari, ſine quorum atteſtatione de ſufficientia, eorum aſſignatio penitùs nulla ſit, ac inualida.*

22 Studentes prædicti ſingulis diebus pro pijs Conuentus oneribus celebrent. Romæ 1629. *Mandamus, & inuiolabiliter obſeruari volumus, vt Studentes quotidiè Sacrum perſoluant ad ſatisfaciendum oneribus Eccleſiæ. Quod ſi aliqui quater ſaltem in hebdomada non celebraſſe, tribus vicibus reperti fuerint, à Studio excluſi, & à Conuentu S. Dominici omnino remoti ſint, ſicut ex nunc, prout ex tunc ipſo facto eos excluſos, & remotos eſſe abſque vlla alia declaratione de nouo facienda, decernimus, & declaramus.*

23 Non admittantur ad legendum in Conuentibus Neapolitanis niſi præhabita lectura in aliquo Conuentu extra dictam Ciuitatem. Ita cum pluribus alijs ordinationibus ſanxit P. Magiſter Ord. P. F. Nicolaus Rodulphius, quę omnes Romæ 1644. fuere confirmatæ ſimul in hunc modum. *Confirmamus ordinationes factas in viſitatione huius Prouinciæ à Reuerendiſs. olim P. Magiſtro Generali F. Nicolao Rodulphio; nempe de Archiuio totius Prouinciæ inſtituendo in Conuentu S. Dominici de Neap. Item ne admittantur ad legendum in Conuentibus in Ciuitate Neapolitana, niſi prahabita lectura per aliquod tempus in aliquo Conuentu extra Neapolim. Item vt expleto triennio lecturæ, præſertim in Conuentibus Neapolitanis, alius Pater ad legendum inſtituatur, vt alijs locus detur. Item vt tempus triennij lecturæ non poſſit extendi vltra alios ſex menſes; & hoc niſi maxima vrgente neceſſitate. Item vt Baccalaurei, Lectores, & Prædicatores, qui aliquot annos Philoſophiam, aut Theologiam legendo, vel annuatim prędicando conſumpſerint, ſicut ij, qui deſtinati ſunt pro ſecularibus, ad ſolam Hebdomadariam, & lectiones in Choro legendas ſcribantur, non autem ad primam, ſecundam, tertiam, vel vltimam Miſſam.*

24 Factiones, ſeu Partitæ ab hac Prouincia ſunt penitus eliminandæ. Romæ 1629. *Ordinamus, omnibuſque Fratribus huius Prouinciæ cuiuſcunque gradus, ſtatus, & conditionis fuerint, omnino prohibemus, ne* Factiones, *ſeu* Partitas *ampliùs enutriant, vel ſchiſmata inter ſe foueant, ipſiſque quomodolibet, ſiue per ſe, ſiue per alios etiam extra obedientiam Ordinis conſtitutos, patrocinari audeant:* Atque ibidem ſubditur, vt nullus huius, ſeu illius partitæ ſe eſſe iactet, ſub pœna priuationis vtriuſque vocis, & eiectionis ex Neapoli. *Item omnino prohibemus ne quis palam, vel occultè opere, vel ſermone,* huius *vel* illius Partitæ ſe eſſe *profiteatur, & iactet; qui contrafecerint, vtraque voce ipſo facto priuati ſint; & ab Vrbe Neapolitana ad diſſitos aliarum Prouinciarum Conuentus à Magiſtro Ord. perpetuò relegentur. Quod ſi Conuerſi fuerint, præter has pœnas reſpectiuè Scapulari priuentur.*

25 Calumniatores ſecundùm noſtrarum tenorem Conſtitutionum puniantur. Romæ 1629. *Ordinamus P. Prouinciali pro tempore, vt aduersùs Fratres calumniatores, & impoſtores omnino procedat, & iuxta Conſtitutionum noſtrarum præſcriptum* diſt. 1. de Graui Culpa cap. 18. num. 5. *in eos animaduertat. Qui alios Fratres, et præcipuè Superiores ſuos verbo, vel ſcripto, tam inter Fratres, quàm apud Superiores, & perſonas extra Ord. obedientiam conſtitutas, ſiue voce, ſiue litteris, ſiue falſis memorialibus calumnia impetierint, vel diffamauerint, pœnis grauioris culpæ, ac talionis de plano, & ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, puniantur; publicoque decreto in omnibus Refectoriis Conuentuum Prouinciæ perpetuo infames, nullaque fide in omnibus, ac per omnia digni declarentur, iuxta præſcriptum Capitul. General. citat. in Gloſſ. noſt. Conſt. vbi ſupra* §. Si quis etiam. litt. Q. *& ſingulariter Capituli Romani* 1601. *vbi de mandato Clementis VIII. id ſtatuitur, & Valliſoleti* 1605. *confirmatur.*

26 Proprietarios Fratres pecunijs, cœteriſque bonis Prouinciales priuare tenentur. Romę 1629. *Ordinamus P. Prouinciali, & Prioribus Conuentualibus pro tempore, vt contra Fratres proprietarios procedant, eoſque pecunijs, alijſque bonis omnino ſpolient, Romamque per Collectorem ad huiuſmodi munus deſtinandum, in generali Religionis depoſito reponenda, fideliter tranſmittant. Qui verò in vitio proprietatis mortui eſſe reperti fuerint, Eccleſiaſtica ſepultura priuentur; & ſi Prouincialis, aut Prior hæc implere neglexerint, à ſuis officijs abſoluantur.*

27 Nullus audeat eleemoſynas pro pijs operibus exercendis abſque Patrum à conſilijs licentia petere, ſub pœna priuationis vtriuſque vocis. Romæ 1629. *Ordinamus & omnino prohibemus omnibus, ac ſingulis, tam Superioribus, quàm ſubditis, ne vllus abſque licentia Patrum à Conſilijs audeat pecuniam, ſiue quæcunque alia*

bona

bona à quibuſuis perſonis, ſiuè intra, ſiuè extra Ordinem conſtitutis titulo eleemoſynæ, vel alio titulo, pro aliqua fabrica, inſtauratione, vel alio opere pio, tam in Eccleſia, vel intra, vel extra faciendo, petere, vel exigere. Qui verò cum præfata licentia id fecerit, de pecunijs omnibus, boniſque exactis fidelem rationem præfatis Patribus reddere teneatur, earundem pecuniarum, ac bonorum in libro communis depoſiti quantitate, qualitate, nominibuſque perſonarum largientium deſcriptis. Qui verò in hoc deliquerint, vtraque voce priuentur.

28 Bona Fratrum defunctorum Præſidentes Conuentuum in proprios, ſeu amicorum vſus non conuertant, ſub pœna abſolutionis ab officijs. Romæ 1629. *Ordinamus, & ſub pœna abſolutionis ab officijs Prioribus, & Præſidentibus locorum omnino prohibemus, ne bona Fratrum defunctorum in propriam, ſeu ſolam amicorum vtilitatem conuertant, diſtrahant, aut vendant: ſed immediatè ante obitum, vel poſt obitum Fratris, Prior vnàcum Suppriore, & duobus Patribus ſenioribus à Conſilio dictorum bonorum inuentarium facere teneantur, ab ijſdem præſentibus ſubſcriptum. Quæ deinde bona vſui Conuentus, & Fratrum verè indigentium neceſſitatibus applicentur, iuſtitia diſtributiua in omnibus ſeruata, de dictorum PP. voto.*

29 Nouitijs ante profeſſionem conſuetæ proteſtationes fiant. Romæ 1629. *Ordinamus, & ſub pœna abſolutionis ab officio omnibus Prioribus, & Conuentuum Præſidentibus mandamus, vt Nouitijs, tam Clericis, quam Conuerſis, duobus menſibus ante tempus emittendæ profeſſionis conſuetas proteſtationes coram duobus Patribus à Conſilijs faciant; eoſque clarè moneant, ſe tacitam profeſſionem non incurſuros, donec à Patribus à Conſilijs, & Vocalibus Conuentus, pro quo habitum ſuſceperunt, fuerint acceptati ſeruatis ſeruandis. Si ſecus factum fuerit, ex nunc decernimus, ac declaramus huiuſmodi Nouitios tacitam profeſſionem non incurſuros, & expreſſam eorundem nullam fore.*

30 Ad Profeſſionem nullus acceptetur, niſi ab illo Conuentu, pro quo debet profiteri. Romæ 1629. *Item ſtatuimus, ac declaramus nullum Nouitium ſiuè Clericum, ſiue Conuerſum ad profeſſionem acceptari poſſe, niſi à Patribus ac Fratribus illius Conuentus pro quo habitum ſuſcepit. Si ſecus fiat, acceptatio huiuſmodi nulla prorſus ſit: & acceptantes, voce actiua per tres menſes ſint priuati.*

31. Quæſtuariorum numerus maior binario non ſit. Romæ 1629. *Ordinamus, & omnino prohibemus ne numerus Fratrum quæſtuariorum ſit maior binario. Conuerſi verò, vel Tertiarij ad id munus deſtinati ſint probatæ vitæ, & religioſi exempli. Qui verò in aliquo deliquerint, dicto officio priuentur, & ſeuerè iuxta grauitatem delicti à Patribus, & Præſidentibus puniantur.*

32 Fratres hoſpites cuiuſcumque Prouinciæ charitatiuè recipiantur, & pertractentur. Romę 1629. *Ordinamus, vt Fratres hoſpites, cuiuſcumque Prouinciæ fuerint, benignè, & charitatiuè à Superioribus recipiantur, & tractentur iuxta deſignationes, & partitiones Conuentuum à Mag. Ord. faciendas, ſub pœna abſolutionis ab eorum officijs.*

33 Conuentus Montis Dei de Neapoli Apoſtolica auctoritate fuit deſignatus pro Nouitijs alendis. Romę 1629. *Ordinamus, & auctorit. Apoſtolica deſignamus, & erigimus in domum Nouitiorum totius huius Prouinciæ Conuentum Montis Dei de Neapoli, in quo Nouitij tantùm pro quocumque Conuentu priuatim recepti, ſtatim immediatè ad educandum collocentur, & in eodem vſque ad Sacerdotium ſub obedientia, ac diſciplina Magiſtri Nouitiorum permanere teneantur.* Pro cuius optima conſeruatione ſequentia fuere in pręfato Capit. ordinata.

I. Omnino verò prohibemus, ne aliquis Frater, tam Prouinciæ, quàm extra, in præfato Conuentu Montis Dei aſſignari, deputari, vel collocari poſſit præter Magiſtrum Nouitiorum, eiuſque Coadiutorem, Artium Lectorem, Syndicum, & tres Conuerſos Nouitios. Præfati verò Magiſter, Coadiutor, Lector, & Syndicus, omnes ſint probatæ vitæ, & ex ſtrictiori obſeruantia, & à Magiſtro Ord. (cuius curæ immediatè dictum Conuentum, excluſiuè quoad alios Superiores, in omnibus, & per omnia ſubijcimus) eligantur, ibique aſſignentur.

II. Ipſe verò Magiſter Nouitiorum titulo Prioris, eiuſque Coadiutor, Supprioris titulo, gaudeat.

33 Quood victum, & veſtitum dictorum Nouitiorum donec in huiuſmodi domo permanſerint, prouideatur à Conuentibus pro quibus ad habitum fuerunt recepti.

III. Completo dicto temporis ſpatio P. Prouincialis (auctoritate ſibi à Magiſtro Ordinis toties quoties opus fuerit, petenda, & conferenda) poterit dictos Nouitios in Conuentibus, quorum erunt filij (ſi facultate habendi Nouitios gaudent) collocare: dummodò in domo Profeſſorum clauſi, ſub cura ſui Magiſtri viuant vſque ad Sacerdotium incluſiuè, & non aliter. Illi verò Nouitij, quorum Conuentus originales præfata facultate carent, in Conuentibus dictam facultatem, & Profeſſorium habentibus, reponantur.

34 Sanctiſs. Roſarium B. Virg. publicè, ac per Choros recitandi ritus, fuit Toloſæ 1628. approbatus. *Approbamus pijſſimum ritum recitandi Roſarium B. Virginis in Ciuitate Neapolitana, & hortamur RR. PP. ad hoc munus electos, vt eadem pietate illum tueri, ac propagare ſtudeant.*

35 Nullus inſtituatur Baccalaureus, niſi in Studio S. Dominici fuerit Magiſter Studen-

Digitized by Google

tium, neque Magiſter in Theologia, niſi Baccalaureus in dicto ſtudio extiterit. Mediolani 1622. *Statuimus ad petitionem Prouinciæ, ne vllus, ſiue ex Prouincia, ſiue ex Congregatione fiat Baccalaureus, qui in ſtudio S. Dominici non fuerit Magiſter Studentium: neque fiat aliquis Magiſter in Theologia, qui officium Baccalaurei ordinarij, ſaltem biennio in eodem Generali Studio non exercuerit.*

36 Lectores ad Baccalaureatus, vel Magiſterij Studentiũ munera, iuſtitia diſtributiua ſeruata, aſſumantur. Mediolani 1622. *Lectores autem ad munus Magiſtri Studentium, & Baccalaurei ordinarij aliquando promouendi, eo ordine admittantur, vt data paritate doctrinæ antiquior à profeſſione, iuxta præſcripta Capitulorum General. præferantur.*

37 In Lectorem nullus aſſumatur, qui ex Theologiæ curſu; neque in Studentem, qui ex vniuerſa Philoſophia, publicas Concluſiones non defenderit. Mediolani 1622. *Decernimus ne vllus fieri poſſit Studens formalis, niſi ex vniuerſa Philoſophia; neque titulo Lectoris inſigniri, niſi ex toto curſu Theologiæ publici Concluſiones defenderit.*

38 In Prouincialium electionibus ſcrutatores à Prouincialibus propoſiti, per ſecreta vota ſunt eligendi. Mediolani 1622. *Ordinamus vt in electione Prouincialis, Scrutatores, qui à P. Prouinciali proponuntur, per ſuffragia ſecreta eligantur.*

39 Prouinciales terminato proprio munere habent locum ſuper omnes Fratres Congregationis reſpectiuè. Vlyſſipone 1618. *Declaramus iuxta noſtras Conſtitutiones, quòd PP. Prouinciales expleto officio habent locum ſuper omnes alios Fratres Congregationis reſpectiuè.*

40 Vt à Magiſtro Ord. Conuentibus SS. Dominici, & Petri Mart. de Neapoli filiorum numerus præſcriberetur, mandatum fuit Bononiæ 1615. *Committimus Reuerendiſſ. Magiſtro Ord. vt Conuentibus noſtris SS. Dominici, & Petri Mart. de Neapoli præſcribat congruentem numerum filiorum pro vnoquoque ipſorum Conuentuum reſpectiuè, qui numerus abſque licentia Reuerendiſſimi excedi nunquam poſſit.*

41 Nouitij tam ſimplices, quam profeſſi habeant ſinguli peculiares in proprio dormitorio Cellas. Bononiæ 1615. *Statuimus, vt Nouitij, tam profeſſi, quàm ſimplices tot ſolummodo ad Conuentus aſſignati mittantur, quot Cellæ in eorum dormitorijs inueniuntur. Volumus autem, & Prioribus, vel Præſidentibus, ſub pœna abſolutionis ab officio præcipimus, vt ipſos Nouitios nulla ratione in quouis loco extra dormitorium, & eorum cellas dormire permittant.*

42 Pro grauioribus Prouinciæ negotijs pertractandis, omnes Magiſtri, & PP. Prouinciæ Neapoli exiſtentes, aduocentur. Bononiæ 1615. *Ordinamus, vt cum grauiora negotia eiuſdem Prouinciæ tractanda fuerint, pro quibus PP. Magiſtri è Conuentu etiam S. Petri Mart. ad Conſilium in Conuentu noſtro S. Dominici habendum conuocari ſolent; alij etiam omnes Magiſtri, & Patres dictæ Prouinciæ Neapoli exiſtentes eidem conſilio aſſiſtant.*

43 Exiſtente in Prouincia P. Prouinciali, aſſignationes Fratrum eius Vicarius facere non debet. Pariſijs 1611. *Declaramus Vicarium A. R. P. Prouincialis non poſſe aſſignationes Fratrum de vno Conuentu in alium facere, quàm diu ipſe Prouincialis eſt præſens in Prouincia.*

44 Quartus Scrutator in electionibus per publica vota eligatur. Pariſijs 1611. *Concedimus etiam, vt quando in electionibus Canonicis electores petunt quartum Scrutatorem, debeat eligi per vota publica, ſicut fit in alijs Prouincijs.*

45 Concionatorem annualem habeant infraſcripti Conuentus prout mandatum fuit Pariſijs 1611. *Præcipimus ſub pœna Reuerendiſſ. Magiſtro Ord. arbitraria, tam Prouinciali dictæ Prou. quàm Prioribus Conuentuum SS. Roſarij de Neap. Auerſæ, Capuæ, Sueſſæ, Caietæ, Pedemontis, Angriæ, S. Seuerini, Campaniæ, Salerni, Auellini, Atripaldæ, & Balneoli, vt cum Prædicatorem ordinarium alere poſſint, eundem de facto alant, qui ſingulis diebus feſtiuis per totum annum conciones habeat, vnuſquiſque in Eccleſijs ſuis, ne ſacro Prædicatorum nomine fruſtra gloriari videantur*, Romæ autem 1589. tale munus demandatum fuerat Prędicatoribus Generalibus, ita enim conceſs. 4. dicitur. *Concedimus etiam eidem Prouinciæ Regni ad eius petitionem, atque ſtatuimus, vt eius Prædicatores ſinguli in Conuentibus, vbi diebus Dominicis, & feſtiuitatibus Sanctorum infra annum conciones ad populum habeant, aſſignentur, ne turpiter otio langueant. Secus, (ſi vt præfertur) infra annum non prædicauerint, tali munere priuentur, & ad prædicandum in quadrageſima minimè admittantur.*

46 Graduatorum numerus fuit ita taxatus, vt Magiſtri ſint duodecim; Baccalaurei decem, & Prędicatores Generales quindecim; ita quantum ad Magiſtros fuit ordinatum Auenione 1561. ord. 14. ad eiuſdem Prouinciæ petitionem, quod fuit in ſubſequenti Capitulo Bononię 1564. habito conf. vlt. confirmatum: & Romę 1583. & 1589. mandatum fuit etiam, vt Magiſtri duodecim, Baccalaurei decem, & Prędicatores Generales quindecim eſſent, prout iam ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26. retulimus. Quoad Prędicatores Generales autem poſtea Pariſijs 1611. mandatum eſt ad eiuſdem Prouinciæ petitionem, vt ſint tot, quot Conuentus. *Ordinamus in eadem Prouincia ad ſui petitionem, vt numerus Prædicatorum Generalium non poſſit excedere numerum Conuentuum eiuſdem Prouinciæ.*

Fa-

47 Facta P. Prouincialis electione, præcedens remanet Prouinciæ Vicarius. Romæ 1608. *Ordinamus, vt facta electione noui Prouincialis, Prior Prouincialis præcedens remaneat Vicarius Prouinciæ, quouſque nouus Prouincialis electus, confirmatus fuerit.*

48 Studentes S.Dom. de Neap. (qui Conuentus fuit in Vniuerſitatē inſtitutus Salmanticæ 1551. vt ſupra Pro Prou. Toloſana retulimus num.27.) habeant lectionum collationes; ex Conuentu autem tunc non egrediantur, nec in Aduentu prædicent. Neapoli 1600. ord. 14. *Ordinamus in Prouincia Regni pro ſtudio Neapolitano, quod eo tempore, quo habentur lectiones, fiant lectionum collationes, ſaltem bis in hebdomada in publica ſchola, & totidem concluſiones diſputentur: Nec liceat tunc Studentibus foras pergere extra Ciuitatem, vel intra, niſi habita licentia, ne dum à Priore, ſed etiam à maiori parte Moderatorum ſtudij; quòd ſi in hoc contrauenerint ſemel, & iterum, ipſo facto priuati ſtudio intelligantur. Nec liceat ſtudentibus tempore Aduentus Domini concionari vſque ad tertium annum incluſiuè, ſuper quo neutiquam, niſi per Magiſtrum Ord. poterunt diſpenſari.*

49 Qui in Lectores examinati ſunt, in Studentium dormitorio non permaneant. Neapoli 1600. ord 14. *Item ordinamus, quòd nullus Studentium dicti ſtudij Neap. vbi fuerit in Lectorem promotus, poſſit in dormitorio Studentium commorari, ſed omnino abſque vlla excuſatione recedat.*

50 Defunctorum libri publicæ Librariæ concedantur. Neapoli 1600. ord. 14. *Item diſtrictè mandamus quòd libri ab aliquo Fratre demortuo relicti publicæ Librariæ applicentur, ſi in ipſa tales libri non erunt; ſin autem, in communi conſeruentur depoſito huic, vel illi ad tempus pro ſtudio accomodandi, quos in receſſu à Conuentu depoſitario conſignari omnino procurabunt Priores.*

51 Vt Studentes in triennij exordio poſſent in Lectores examinari, conceſſum fuerat huic Prouinciæ Romæ 1580. conceſs. 6. *Concedimus Prouinciæ Regni, vt Studentes formales ſtudij Neapolitani, qui compleuerunt, vel attigerunt triennium in eodem ſtudio, examinentur iuxta Breue Apoſtolicum conceſſum eidem Prouinciæ pro Lectoratus officio aquirendo.* Veruntamen Romæ 1650. ita mandatur. *Ordinamus quòd infra triennium ſtudentatus formalis non niſi ex vrgentiſſima cauſa diſpenſationes Studentium à P. Prouinciali, aut alijs petantur.*

PRO PROVINCIA VNGARIAE. VII.

VNgariæ Prouincia vna ex præſtantiſſimis Ordinis extitit; nunc verò ob bellorum incommoda, Turcarum tirannidem, atque hæreticorum virus pœnitus deſtructa, neque Prouinciæ nomen in Ordine retinet. A B.P.N. Dominico in Generali Capitulo Bononiæ ann. MCCXXI. congregato ſua ſumpſit exordia, vbi cum alijs ſeptem, præfecto eidem B. F. Paulo Vngaro, fuit inſtituta. Ita enim in M.S. Archiuij Ordinis teſtatum refulget. *Anno Dom. MCCXXI. celebratum fuit Bononiæ ſecundum Capitulum Generale à B. Dominico in quo fundatis iam per Orbem ſexaginta circiter Conuentibus, dicti Conuentus per octo Prouincias ſunt diſtincti, ſcilicet Hiſpaniam, Franciam, Lombardiam, Prouinciam Prouinciæ, Theutoniam, Vngariam, & Angliam; & hæc fuit prima diſtinctio Prouinciarum. Inſtituti ſunt autem tunc in præfatis Prouincijs Priores Prouinciales; & quidem in Prouinciæ Prouinciæ inſtitutus eſt Prior Frater Birrandus de Garriga B. Dominici Socius: In Prouincia Hiſpaniæ F. Suggerius: In Prouincia Angliæ F. Gilibertus: In Prouincia Franciæ F. Matthæus Gallicus B. Dominici ſimiliter Socius: In Prouincia Lombardiæ F. Iordanis Theutonicus, qui tunc abſens erat: In Prouincia Romana F. Clarus de Sexto Florentinus: In Prouincia Vngariæ F. Paulus Vngarus à B. Dominico in Vngariam miſſus.*

Fuit autem præfatus B. Paulus Canonici Iuris in celeberrima Bononienſi Academiâ Profeſſor, qui S.P. Noſtri prædicationibus, Apoſtolica vitâ, atque mirculis motus, ſacram noſtram togam ab eodem S. P. fuerat conſequutus. Ita enim ex F. Theodorico vetuſto, & diligenti rerum ab eodem S. Patre N. geſtarum deſcriptore, P. Mag. F. Sigiſmundus Ferrarius in ſua nobili, quam euulgauit, de Rebus Vngaricæ Prouinciæ hiſtoria, refert. *Eodem tempore, nempe anno 1221. Magiſter Paulus Vngarus Iuris Canonici publicus profeſſor ad Prædicatorum Sodalitatem ſe contulit, &c. Miſit etiam*

B.Do-

B. Dominicus Paulum, quem diximus, in Pannoniam ſecundam, quam Vngariam vocant, cum Socijs, è quibus vnus fuit F. Sadoc vir magnæ perfectionis. Fuit autem inſtitutus Prouincialis atque in Vngariam miſſus eodem, quo habitum Ordinis ſumpſerat, anno prout prædictus F. Theodoricus teſtatur. *Anno ſalutis 1221. Cum Magiſter Paulus, qui tunc publicus erat Bononiæ Profeſſor ad S. Dominici Sodalitatem ſe contuliſſet, eodem anno ab eodem S. Patre cum alijs quatuor Fratribus miſſus eſt in Vngariam.*

In Vngariam igitur profectus B. Paulus cum B. Sadoch, atque alijs tribus Socijs ſibi à S. Patre N. datis Iaurienſem, & Veſprimienſem primò, deinde alios, diuina aſſiſtente gratia, Conuentus fundauit: atque in Cumaniam poſtea tranſiens Brutum, ſeu Bruchum Cumanorum Ducem cum alijs ad Chriſti fidem conuertit. Ita enim ex eodem F. Theodorico refert Ferrarius ſuprad. *Baptizzatus eſt ante omnes Brutus Dux eorum cum quibuſdam de familia ſua, qui poſt aliquot annos in vera fidei confeſſione perſeuerans obdormiuit in domino.* Cum autem in regionibus illis B. Paulus multa hominum milia ſacro Baptiſmi lauacro purificaſſet, bonum certamen certaſſet, curſum conſumaſſet, fidemque ſeruaſſet, irruentibus anno Dom. 1240. in Cumaniam, Poloniam, atque Vngariam Tartaris, cum alijs nonaginta Fratribus per Martyrij palmam ad ſiderea Regna iuſtitiæ coronam à Deo conſequuturus migrauit.

Ex huius Prouinciæ fundatione maximam ſibi futuram ruinam callidus humani generis hoſtis præuidit. Cum enim Fratres ad ſupradictum Bononienſe Capitulum ann. 1221. properantes vidiſſet, quibuſdam ex ipſis ſe in ſimulata forma adiungens, num Fratres ex eodem Capitulo in Vngariam eſſent mittendi interrogauit, quibus annuentibus, ipſos propriæ ruinæ molitores futuros exclamans euanuit. Ita ex antiquis M.S. in Ordinis Archiuio cuſtoditis teſtatum reperitur. *Proficiſcentibus autem Fratribus ad dictum Capitulum celebrandum iunxit ſe eis quidam Curſor, Socius factus itineris dicens eis: Quo pergitis Domini Fratres? Reſponderunt, Bononiam ad Capitulum Generale. Quid, inquit, ille curſoris ſpeciem præſeferens, tractaturi eſtis? Reſponderunt Fratres: tractabitur de ſtudio, & prædicatione, & vt prædicetur Euangelium omni creaturæ. Tunc ille; mittentur ne aliqui, inquit, in Vngariam? Mittentur aiunt illi. Tunc ille exclamans in aerem exiliuit dicens: Ordo veſter confuſio noſtra; & mox euanuit: venientes autem dicti Fratres Bononiam narrauerunt omnia hæc B. P. Dominico, & alijs Fratribus ibidem in nomine Domini noſtri congregatis. Celebrato autem Capitulo Generali miſit B. Dominicus de Bononia Fratres in Vngariam, inter quos erat F. Paulus Vngarus, qui actu erat legens Bononiæ in iure Canonico quando ingreſſus eſt Ordinem, habitúmque ſumpſit à B. Dominico. Iuit etiam cum eo F. Sadoch, & tres alij Fratres, qui egreſſi, Patris benedictione percepta primò venerunt Iauriam Ciuitatem Vngariæ, & ibi prædicantes totam commouerunt Ciuitatem præ admiratione, non dum enim de hoc Ordine quippiam ſenſerant: ob ſuas autem prædicationes conuerſi ſunt tres ſcholares, & non de vulgaribus, & habitum receperunt. Egreſſi autem inde cum adhuc Conuentum illic Ordo non haberet nauigio venerunt Pannoniam, quò cum perueniſſent nocte quadam F. Sadoch, Viro magnæ perfectionis, apparuit innumerabilis dæmonum multitudo vlulantium, & clamantium alta voce: Veniſtis huc, vt auferatis vas noſtrum; & ad illos tres Nouitios conuerſi dicebant: Heu quod per tales paruulos confundimur,*

Floruit diu hæc Prouincia in regulari obſeruantia, & gentium conuerſione, donec ex communi totius Europæ peſtilentia communia mala, cœterarumque calamitates fuit experta. Deuorauerat illa maiorem Europæ partem, & inter alias Vngariam, quæ ita fuit depopulata, vt pauci fuerint ſuperſtites relicti. Cœmeteria Sacra, atque ipſi agri humandis deficiebant corporibus, quia ex veſtium contactu lues attrahebatur; vnde non erat qui defunctorum corpora traderet ſepulturæ. Maxima igitur inter cœteros mortales Religioſorum copia ſublata eſt, & cum Cœnobia deſolata conſpicerentur ex incauta receptorum multitudine ita paulatim regularis obſeruãtia fuit eliminata, vt illius veſtigia nõ apparerent in Ordine. Pro eadẽ igitur in Germania, alijſque adiacentibus Prouincijs reſtituend a ſtrenuam nauare operam non deſtitere PP. F.F. Corradus de Graſſis Prutenus, rerum mirabilium patrator, Franciſcus Rethza, Io: Nider, Iacobus de Aſſenſa, & Iacobus Stubach, (vt in prima parte de Reformatione Ordinis diximus) ſuumque tandem intentum, fauente Deo, fuere aſſecuti. Nam ann. Dom. 1488. iã erant plures Conuentus ſub regulari obſeruãtia cõſtituti, vt ex Regeſtis P. F. Ioachimi Turriani Magiſtri Ordinis cõſtat, in quibus ita habetur. *Mag. Iacobus Manſus Prior Prouincialis ſit Vicarius Generalis in tota Prouincia, tam ſuper Reformatis, quam non reformatis Fratribus, Monialibus, & Tertij Ordinis, cum poteſtate omnia faciendi, quæ Magiſter Ordinis, etiam ſi mandatum exigeretur ſpeciale: &c. non obſtantibus ordinationibus, litteris, alijſque contrarijs, etiam ſi de verbo ad verbum, &c. quibus derogatur pro hac vice: & abſoluantur omnes Inquiſitores in ſua Prouincia hactenus quomodolibet inſtituti; & datur illi poteſtas, vt prouideat tam de Generali Inquiſitore, quam de particularibus, & per ſe ipſum exercere officium, non*

ob-

abſunt, &c. Venetijs 11. Iunij 1488.

Multis fuit hæc Prouincia ditata Conuentibus, ita vt cum Prouincialibus in illis viſitandis difficilis nimis eſſet acceſſus, ex eiuſdem aliquibus, Dalmatiæ Prouincia fuerit inſtituta, vt ſuo loco referemus. Floruit igitur vſque ad annum 1526. quo vniuerſo nobilitatis flore ab irruentibus in Vngariam innumeris Turcarum millibus, Ludouico Rege fuga ſibi conſulente, in profunda paludis voragine vna cum equo demerſo, vniuerſa ſacra ab impijs fuere deuaſtata, ſacraque Templa, & Cœnobia in ſtabula conuerſa.

Nec minorem à perfidis Luteranis, Caluiniſtis, Anabaptiſtis, Arianiſque hæreticis paſſa eſt ſtragem, quippe qui cum Ordo noſter ob S. Inquiſitionis, & Prædicationis munus ſemper fuerit eiſdem infenſiſſimus, nullum prætermiſere perſequutionis actum, vt illum exterminarent, Fratreſque omnes ex illis partibus eliminarent; vnde deſolari hæc prouincia ſenſim, & extingui fuit coacta; vltimuſque huius Prouinciæ Prouincialis, cuius in Generalium Capitulorum Actis memoria habeatur, fuit P. Mag. F. Sebaſtianus Cataneus, qui in Generalibus Comitijs Romę ann. 1589. celebratis fuit in Prouincialem confirmatus. Ita enim in cofirmat. 20. habetur. *Confirmamus in Prouincialem noſtræ Prouinciæ Vngariæ R.P. Magiſtrum F. Sebaſtianum Cataneum Illuſtriſs. Archiepiſcopi Saliburgenſis Theologum, & quatenus opus eſſet de nouo creamus, & inſtituimus cum ſolita auctoritate, tum in ſpiritualibus, tum etiam in temporalibus vſque ad Capitulum Generale proximè celebrandum.* Et in eodem Capitulo recenſetur inter Diffinitores, huius quoque Prouinciæ Diffinitor ſub his verbis. *F. Ioacchino Pizzono Lectore Diff. Vngariæ.*

Antecedenter autem in Romano Capitulo 1569. Prouinciali Bohemiæ comiſſa fuerat cura Conuentus Tirnauij, & Monaſteriorum Monialium, & etiam ſuper reliquias, ſi quæ ſupererant, Conuentuum Vngariæ. Ita enim conf. 9. habetur. *Confirmamus in Priorem Prouincialem Prouinciæ Bohemiæ R.P.F. Michaelem de Aſt Genuenſem canonicè electum per ſexennium iuxta ordinat. Capituli Bononien.* (ſcil. 1564.) *de hac Prouincia factam, vna cum plena poteſtate, & auctoritate ſuper Congregationem Auſtriæ, quam eidem Prouinciæ Bohemiæ vnimus, & annectimus, & incorporamus: & etiam committimus auctoritatem ſuper Conuentum Tirnauiæ, & Monaſteria Sororum, ſi qua ſunt, & reliquias Prouinciæ Vngariæ cum plena auctoritate: Caſſantes quemcumque alium Vicarium Conuentus Tirnauiæ quomodolibet inſtitutum, & hac ad eorum Fratrum petitionem.*

Modò autem opera, & induſtria P. Magiſtri F. Sigiſmundi Ferrarij Viri, tum Doctrina, tum Regularis diſciplinæ zelo præſtantiſſimi (qui vt alibi diximus de Vngaricæ Prouinciæ nobilem hiſtoriam ſcripſit) Sabariæ Conuentum ſub nomine S. Martini, vbi aliquando eiuſdem Sancti Domus extitit, habemus, ab Epiſcopo eidem P. Magiſtro, atque Ordini præteritis annis conceſſum. Faxit Deus, vt aliorum Patrum Noſtrorum zelo, atque induſtria Religio noſtra maiora in eodem Vngariæ Regno ſumat incrementa.

PRO PROVINCIA THEVTONIAE. VIII.

Theutoniæ Prouincia vna ex illis octo eſt, quæ in Generali Capitulo Bononiæ ann. MCC.XXI. celebrato à S.P. Dominico fuere inſtitutæ, vt de Prouincia Hiſpaniæ diximus: Quis autem fuerit primus eiuſdem Prouincialis Prior, qui de aliarum Prouinciarum primis moderatoribus tractant, in hac illum ſilentij tenebris inuoluunt.

Ampliſſima fuit in Ord. noſtro hæc Prouincia, quę tanquam vitis fœcunda palmites ſuos in plura, & diuerſa Regna vſque ad annum M.CCC.I. extendit, quo multiplicatis copioſiſſimè in vaſtiſſimis illis ſeptentrionalibus Regionibus Conuentibus, cum Prouincialibus difficilis nimis foret ad illos acceſſus, Patres noſtri in Generalibus Comitijs Coloniæ ann. 1301. celebratis, eandem diuidendam in duas per modum inchoationis decreuere, ita vt Auſtria cum adiacentibus Conuentibus Bauariæ, Sueuia, Franconia, Renus vſque ad Coloniam incluſiuè, cum Brabantia, eſſet vna Prouincia, quæ Prouincia Theutoniæ nomen conſeruaret: Miſnia verò, Turingia, Haſſia, Saxonia, Marchia, Slauia, Friſia, Vveſphalia, Zelandia, & Holandia eſſent alia Prouincia, quę Saxonię Prouincia nuncuparetur,

retur, vt eum de Prouinciæ Saxoniæ tractabimus, referemus. Graſſante autem Luteri, & Caluini peſſima hæreſi, paulatim & omnes fuere Conuentus ab impijs occupati, & profanata Templa, ita vt, vel interfecti ab ipſis Fratres, vel exilio mulctati, fuerit hæc Prouincia ab Ordine ſublata; cuius reliquię ann. 1601. in Generali Capitulo Romæ congregaro fuere iterum cum hac Theutoniæ Prouincia vnitæ, prout aſſeritur ibidem denunç. 10. & nos infra referemus.

Reſtoruiſſe regularem obſeruantiam aliquando deperditam, in omnibus huius Prouinciæ Nationibus, ex citat. ſæpius Regeſtis Mag. Ord. in dubium verti nequaquã poteſt, in quibus relucet à Generali Ord. P. F. Leonardo de Manſuetis diuerſos fuiſſe Conuentuum reformatorum inſtitutos Vicarios ann. 1474. die 7. Iunij, & ſunt infraſcripti.

P. F. Gaſpar Manner fuit inſtitutus Vicarius Conuentuum Reformatorũ in Alſatia. Ita enim in eiuſdem Regeſtis reperitur. *F. Gaſpar Manner Mag. in Conuentu Baſilien. eſt inſtitutus Vicarius Conuentuum, & Monaſteriorum reformatorum in Natione Alſatiæ, incluſo Conuentu Aurienſi, cum auctoritate priuilegiorum Conuentibus reformatis conceſſorum.*

P. F. Petrus Kyrszlach Vicarius Nationis Bauariæ portionis inferioris, & Sueuiæ ita enim ibid. *F. Petrus Kyrszlach Lector Conuentus Nurembergenſis, eſt inſtitutus Vicarius Conuentuum reformatorum per Nationem Bauariæ portionis inferioris, & Conuentuum reformatorum Nationis Sueuiæ.*

P. F. Iacobus Sprenger Vicarius Nationis Brabantiæ. ita ibid. *Mag. Iacobus Sprenger Prior Conuentus Colonienſis eſt inſtitutus Vicarius Conuentuum reformatorum per Nationem Brabantiæ.*

P. F. Cryſoſtomus Vicarius Nationis Auſtriæ, ita enim ibid. ſubditur. *Mag. Chryſoſtomus Conuentus Viennenſis eſt inſtitutus Vicarius ſuper Conuentus reformatos in portione Superioris Bauarię, ſiue Auſtriæ.*

Et immediatè ibidem ſubditur. *Mag. Venzeslaus Prior Conuentus Franckfordenſis eſt inſtitutus Vicarius Generalis Prouinciæ Theutoniæ, donec tandem Prouincialem præſentem habere contingat.*

Ex quibus omnibus huius Prouinciæ amplitudinem mirari licet, in cuius ſingulis Nationibus regularis obſeruantia mirum in modum relucebat. Pro manutentione autem Regularis obſeruantiæ, quæ in hac Prouincia viget, fuerunt ſequentes ſancitę ordinationes.

1 Prouinciales quadriennales ſunt in hac Prouincia; & ideo Congregatio intermedia eſt facienda. Romę 1650. *Cum in hac Prouincia officium Prouincialatus duret per quadriennium, volumus iuxta ordinationem Capit. Romani 1629. celebrari in ea Congregationem intermediã, in qua fieri poſſit ſcrutinium ſuper retentione, vel amotione Prouincialis; eaque tractari, quæ ad commune Prouinciæ bonum, & quietem ſpectant.*

2 Nullus ex hac Prouincia abſque P. Prouincialis licentia diſcedat. Romæ 1650. *Ordinamus neminem, quàm maximè in officio conſtitutum, peregrinationis, vel quocumque alio quæſito titulo Prouinciam egredi poſſe, tametſi à noſtro Reuerendiſſimo P. Magiſtro Generali licentiam obtinuerit, niſi P. Prouincialem ante diſceſſum de obtenta licentia monuerit, idque ſub reuocatione, et nullitate datæ licentiæ ſtatuimus.* Quod etiam ordinatum fuerat Toloſæ 1628. cuius ordinationem vide infra num. 21.

3 Poteſt P. Prouincialis licentiam concedere Fratribus Doctoratus, & Baccalaureatus gradum in Vniuerſitate Viennenſi, pro conſequutione alicuius Cathedrę, aſſumendi. Venetijs 1592. conceſſ. 2. quod fuit confirmatum Romæ 1650. in hunc modum. *Confirmamus facultatem P. Prouinciali huius Prouinciæ Venetijs ann. 1592. conceſſam, qua poteſt Fratribus ſuis dare licentiam ſuſcipiendi gradus Baccalaureatus, & Doctoratus in Vniuerſitate Viennenſi, ad obtinendas Cathedras in dicta Vniuerſitate; ita tamen vt tales exinde non habeantur pro graduatis in Ordine.*

4 Graduatorum numerus à Reuerendiſs. P. F. Thoma Turco Mag. Ord. pręfixus, confirmatus fuit Romæ 1650. *Confirmamus id, quod circa numerum Magiſtrorum, Præſentatorum, & Prędicatorum Generalium à Reuerendiſs. P. F. Thoma Turco ſtatutum fuit.*

5 Vicariatus Rezenſis fuit ſeparatus à Conuentu Viennenſi Romę 1650. *Ad inſtantias tum Conuentus noſtri Viennenſis, tum Vicariatus Rezenſis in Auſtria, eundem Vicariatum à Conuentu Viennenſi ſeparamus, eique reſtituimus Prioralia, & Conuentuum iura.*

6 Prioratus triennium, tam Fratrum, quàm Sororum, à die acceptatę confirmationis incipit. Romę 1650. *Declaramus triennium Prioratus, tam in Cœnobijs Sororum, quàm Fratrum inchoari à die acceptatæ confirmationis, vel inſtitutionis.*

7 Conuentus duodenario Choralium Fratrum numero carentes, aut in hęreticorum terris degentes, non tenentur ad Matutinum media nocte dicendum. Romę 1650. *Declaramus ſub nomine Conuentuum, qui in hac Prouincia per vltimum Capit. Valentinum ordinat. 1. de Matutino media nocte perſoluendo excipiuntur, illos dumtaxat Conuentus eſſe intelligendos, qui duodenarium numerum Fratrum ad Chorum obligatorum non ſuſtentant, nec ſuſtentare poſſunt: Item quibus intra Ciuitates hæreticas media nocte campanam pulſare non conceditur: teneantur tamen hi omnes, etiam per hye-*

mem celebrare Matutinum hora quarta manè.

8 Pro recipiendis ad Ordinem ſufficit relatio examinatorum Priori, & Conſilio Patrum facienda. Romę 1650. *Declaramus pro obſeruantia ordinationis ſextæ eiuſdem Capit. Valentini in hac Prouincia ſat eſſe, quòd examen recipiendorum Priori, & Conſilio Patrum ab examinatoribus referatur.*

9 Prędicatores actu prędicantes nullam habent à Choro diſpenſationem. Romę 1644. *Ordinamus, quòd Prædicatores actu concionantes nullam prætendere poſſint exemptionem à Choro, præterquàm iuxta priſcum huius Prouinciæ morem; ne impè ut ij, qui ante prandium concionantur, pridie ſolùm liberi ſint à Matutino, & Prima; nentiquam tamen hac in parte reſtringere intendimus Facultatem, ac diſcretionem Ad. R. P. Prouincialis pro tempore, quin aliquibus in eodem prædicationis munere excellentioribus ampliorem aliquam à Choro exemptionem poſſit liberaliter indulgere.*

10 Qui negotia pertractanda habent cum Imperiali Curia, ea prius P. Priori Viennenſi exponant. Romæ 1644. *Ordinamus, ac diſtrictè in virtute Spiritus Sancti, ſubque S. Obedientiæ formali præcepto mandamus omnibus PP. ac Fratribus cuiuſcumque gradus, dignitatis, aut conditionis extiterint, qui Viennam ad negotia in Curia Auguſtiſs. Imperatoris pertractanda acceſſerint; vt ea Priori Conuentus noſtri ibidem, vel alteri, qui eo abſente præfuerit, integrè fideliterque exponant, nec quidquam citra eius conſilium ad prædictam Aulam deferant.*

11 Conuentus Rezenſis fuerat incorporatus cum Viennenſi. Romæ 1644. *Incorporamus Conuentui noſtro Viennenſi Conuentum Rezenſem inferioris Auſtriæ cum omnibus ſuis pertinentijs, atque oneribus; declarantes illum Conuentui Viennenſi prædicto impoſterum, tanquam Vicariatum annexum eſſe debere, quibuſcumque in cont. non obſtantibus.* At poſtea hoc fuit reuocatum. Vide ſupra num. 5.

12 Fratres Vicariatus Marienheidani habent vocem in electionibus Conuentus Coloniẽſis. Romæ 1644. *Declaramus, quòd cum Vicariatus Marienheidanus Conuentui noſtro Colonienſi Apoſtolica auctoritate nuper incorporatus ſit, idcirco Patres aliàs vocales in eo degentes, Coloniam toties, quoties ad quemcumque electionis actum aduocandi ſunt, non obſtante diſtantia nobis inſinuata, quæ licet non nihil incommoda ſit, non omnino tamen iter vnius diei, ſaltem æſtiui, excedere iudicatur.*

13 Fugitiui Fratres huius Prouinciæ, pœnis in Conſtitut. taxatis puniantur. Romæ 1629. *Ordinamus vt Fratres huius Prouinciæ ad alienas Prouincias abſque licentia fugientes, pœnis à noſtris legibus ſtatutis omnino puniantur, & à Prouincialibus illarum Prouinciarum, ad quas fugiunt, ad hanc Prouinciam ſtatim remittantur.*

14 Nullus huius Prouinciæ diuiſionem procurare audeat. Romæ 1629. *Omnino prohibemus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus huius Prouinciæ Fratribus, ne quis eius diuiſionem tentare audeat. Quòd ſi aliquando Superiorum auctoritate, & voluntate diuidenda iudicaretur, à ſeparatione Vicariatuum annexorum Auſtriæ, et Saxoniæ, huiuſmodi diuiſionis initium deſumatur.*

15 In confirmandis Prioribus, Prouincialis quatuor tantùm Fratres ad Conſilium vocare teneretur. Romæ 1629. *Declaramus P. Prouincialem huius Prouinciæ pro tempore exiſtentem in caſu magnæ diſtantiæ à maioribus Conuentibus Prouinciæ, non teneri in confirmandis Prioribus octo Patres ad Conſilium vocare, ſed quatuor ſaltem ſufficere.*

16 Conuentus Auguſtanus pro ſtrictiori obſeruantia fuit deſtinatus Romæ 1629. *Deſignamus pro ſtrictiori obſeruantia iuxta præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum* in gloſſ. diſt. 2. cap. 2. in fine. *Conuentum Auguſtanum, inſtantibus eiuſdem Conuentus Patribus.*

17 Priores, & Priorisſę ad idem munus reelegi poſſunt. Romæ 1629. *Denunciamus huic Prouinciæ auctoritate Apoſtolica conceſſum fuiſſe, vt Priores, & Priorissæ completo tempore ſuorum officiorum poſſint immediatè reeligi, toties quoties P. Prouinciali videbitur expedire, dummodo ſeruentur conditiones conceſſionis.*

18 Priores, etiamſi duodenarium numerũ Fratrum non habeant, voce in Capitulis Prou. fruuntur. Ita in prædicta ord. Romæ 1629. ſubditur. *Item* (ſcil. denunciamus) *vt Priores non habentes duodenarium numerum Fratrum poſſint habere votum in electione Prouincialis, cæteriſque actibus Prouincialibus Capituli, iuxta tenorem conceſſionis, ad quam nos referimus.*

19 Habentes octo annos à profeſſione completos vocem paſſiuam in electionibus habent. Ita in eadem ord. Capit. Romani 1629. ſubditur. *Item* (ſcil. declaramus) *vt Fratres habentes octo annos à profeſſione completos, voce paſſiua in Canonicis electionibus gaudeant.*

20 Prioratus titulus Conuentibus in Vveſtphalia reſtitutus eſt Toloſæ 1628. *Dominibus in Vveſtphalia conſtitutis reſtituimus titulum, & priuilegia Prioratus; modò ex certis redditibus, vel conſuetis eleemoſynis alere poſſint, actuque alant duodecim Fratres iuxta Conſtitutiones noſtras, & decreta Apoſtolica.*

21 PP. Prouinciales concedant idoneos Fratres pro communi Ord. bono PP. Prouincialibus Boemiæ, & aliarum Prouinciarum deſolatarum. Toloſæ 1628. *Fratres huius Prouinciæ nequeant ad alias Prouincias diuertere ſine licentia ſui P. Prouincialis: quem tamen monemus, & hortamur, vt pro bono communi totius Religionis aliquos Fratres idoneos concedat PP. Prouincialibus Prouinciarum deſolatarum, præ-*

ſertim Boemiæ, vt eorum opera, & auxilio faciliùs reſtaurentur.

22 Recitandi SS. Roſarij ritus alternatiuè per Choros fuit approbatus Mediolani 1622. *Approbamus ritum dicendi alternatim per choros Roſarium B. Mariæ Virg. tam in Conuentu Colonienſi, quàm in Monaſterijs Monialium, auctore Ad. R. P. Prouinciali Magiſtro F. Petro Baptiſta huius Capituli Diffinitore.*

23 Studia in Conuentibus Auguſtano Colonienſi, & Friburgenſi fuere Mediolani 1622. confirmata in hunc modum. *Confirmamus ſtudia in Conuentibus Auguſtano, Colonienſi, & Friburgenſi erecta, præcipientes PP. Prouincialibus, & eorundem Conuentuum pro tempore Prioribus ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, vt ea omnino tueantur, & promoueant.* Quantùm verò ad Studium Colonienſe idem fuerat iam confirmatum Bononiæ 1615. prout dicitur infra num. 27.

24 Præbendarij in Conuentibus Fratrum, vel Monialium non recipiantur. Mediolani 1622. *Statuimus ne in Conuentibus Fratrum, aut Monialium Præbendarij (quos vocant) vllo pacto recipiantur; irritum decernentes quidquid ſecus factum fuerit.*

25 Barbam, aut comas Fratres nequaquā nutriant. Mediolani 1622. *Monemus P. Prouincialem, vt omnino tollat abuſus contra noſtras Conſtitutiones circa Raſuram inuectos, efficiatque ne Fratres barbam, aut comas nutriant, ſed raſura fiat æqualis.*

26 Ordinationes, quæ ab Ad. R. P. Mag. F. Thoma de Marinis bon. mem. noſtri Reuerendiſſimi Magiſtri Ord. germano Fratre, fuere in Viſitatione huius Prouinciæ factæ, confirmatæ ſunt Vlyſſiponæ 1618. *Confirmamus ordinationes à prædicto Ad. R. P. Viſitatore* (ſcil. P. F. Thoma de Marinis, de quo antecedenter fit mentio) *factas pro iſtius Prouinciæ regulari obſeruantia, & regimine.*

27 Philoſophiæ ſtudium fuit in Viennenſi Conuentu approbatum. Bononiæ 1615. *Confirmamus ſtudia Sac. Theologiæ in Conuentu noſtro Colonienſi, & Philoſophiæ in noſtro Conuentu Viennenſi in proximè præterito Capit. Prouinciali Lantshutano erecta; & volumus, vt Studentes in præfato Theologico ſtudio perſeuerent per quadriennium, quatenus partim ſcholaſticis ſtudijs, partim verò controuerſijs fidei incumbere valeant.*

28 Nouitiatus Moguntiæ inſtitutus, fuit pariter in præfato Capit. Bononien. 1615. approbatus. *Approbamus in eadem Prouincia Nouitiatum Moguntiæ pro meliori iuuentutis educatione erectum.*

29 Prouinciales quadriennales, & Conuentuales, triennales, Priores ſint. Bononiæ 1615. *Ordinamus, inuiolabiliterque obſeruandum ſtatuimus, vt officium Prouincialatus vltra quadriennium, & officium Prioratus vltra triennium de cætero non ſe extendat, ſed deuoluto prædicto tempore, reſpectiuè, Prouincialis, & omnes Priores Prouinciæ ipſo facto à ſuis officijs ſint abſoluti.*

30 Cum in Romanis Capitulis 1580. & 1583. in quibus omnium Graduatorum Prouincijs fuit taxatus numerus (vt diximus ſupra Pro Prou. Toloſana num. 26.) & ibidem nullus de hac Prouincia habitus ſit ſermo, fuit tandem Romæ 1612. in hunc modum ſancitus. *Concedimus Prouinciæ Theutoniæ ad eius petitionem, vt numerus Magiſtrorum ſit denarius tantùm; Licentiatorum octonarius; Prædicatorum autem Generalium, ſecundùm numerum Conuentuum, & non ampliùs.*

31 Reſtitutio Conuentuum Auſtriæ huic Prouinciæ facta, approbata fuit Romæ 1612. *Confirmamus reſtitutionem Conuentuum Nationis Auſtriacæ, tam in ipſa Auſtria, quam in Stiria, & Carinthia exiſtentium factam dictæ Prouinciæ Theutoniæ; committimuſque Ad. R. P. Prouinciali eiuſdem Prouinciæ in meritum S. Obedientiæ, vt dictos Conuentus in regreſſu omnino viſitet, & ſub ſua cura ſuſcipiat.* Præfata autem facienda reſtitutio in antecedenti quoq; Cap. Pariſienſi 1611. enumeratis Conuentibus fuerat mādata in hunc modum. *Reſtimus Prouinciæ Theutoniæ omnes Conuentus ad Nationem Auſtriacam pertinentes, tam in Auſtria ipſa, quam in Stiria, & Carinthia; videlicet Viennenſem, Tulnenſem, Crembeſenſem, Retbcenſem in Auſtria: Friſacenſem in Carinthia, Leobnenſem, Pracenſem, Petrouienſem, & Nouimonaſterienſem in Stiria. Præcipientes in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ, Ad. R. P. Mag. F. Seruatio Prouinciali præfato, vt eoſdem Conuentus quam primum viſitet, & in ſuam curam ſuſcipiat; dantes eidem ſuper dictos Conuentus, & Fratres, tam in capitibus, quam in membris omnem auctoritatem, & facultatem huic negotio perficiendo neceſſariam.*

32 Ad Ordinis Prouincias, ſub regulari Obſeruantia vitam ducentes, mitti poſſunt duo Iuuenes pro Studijs perficiendis. Pariſijs 1611. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt ad ſingulas Prouincias Ord. in quibus viget cum obſeruantia regulari Studium litterarum, mittere poſſit duos Iuuenes in humanioribus competenter inſtructos, quos etiam commendamus AA. RR. PP. Prouincialib. vt eoſdem humaniter ſuſceptos in Conuentibus collocent vbi vigent ſtudia Philoſophiæ, & Theologiæ.*

33 Vt in Colonienſi Conuentu Nouitiatus pro Conuentibus, qui ad Prouinciam Saxoniæ prius ſpectabant, quæ cum hac fuit vnita, vt diximus ſupra in principio, mandatum fuit P. Prouinciali. Romæ 1608. *Iniungimus R. Ad. P. Prouinciali Theutoniæ, vt in Conuentu Colonienſi Nouitiatum inſtituat pro Prouincia Saxoniæ, quæ maximè eſt deſolata; eidemque*

No-

Nouitiatui pro illius conſeruatione applicare poſſit bona nonnulla, de quibus periculum ne in manus hæreticorum deueniant.

34 Vt duo alij etiam Nouitiatus vnus pro Superioribus alter verò pro Inferioribus Prouinciæ Conuentibus erigerentur, mandatum fuit Romæ 1608. *Iniungimus eidem A.R.P. Prouinciali, vt ad reſtituendam diſciplinam Regularē in Prou. Germania duos Nouitiatus inſtituas, alterum pro Superioribus, alterum pro Inferioribus Prouinciæ Conuentibus, vbi Nouitij ſanctè, & religiosè educentur.*

PRO PROVINCIA ANGLIAE.

IX.

ANgliæ Prouincia in Bononienſi Generali Capitulo ſub S. Patre N. anno MCCXXI. celebrato ſua ſumpſit exordia, cui P. F. Gilibertum in Pronincialem Priorem præfecit, vt ſuprà Pro Prouincia Vngariæ retulimus. Et poſt einſdem Capituli Acta ita ſubditur. *In ipſo quoque Capitulo Conuentus Fratrum in Angliam cum Fratre Giliberto Priore transſmiſſus eſt.*

Ad Scotiæ, atque Hiberniæ quoque Regna ſuæ extenſionis terminos hæc Prouincia protraxit, in quibus Nationales Vicarij inſtituebantur. Ita enim in Regeſt. P. F. Leonardi de Manſuetis Magiſtri Ordinis legitur. *F. Iacobus Gipſon Confeſſor Reginæ Scotiæ, & nunc Supprior Conuentus Edinburgi Nationis Scotiæ habuit licentiam diſpenſandi bona ſua ſibi ab Ordine collata prout voluerit dum vixerit, & poteſt confiteri cuicumque Fratri Ordinis de omnibus Conuentibus, quoties, &c. & ter in anno plenariè: & poteſt audire confeſſiones omnium, & recipere eleemoſynas, prout plene habetur in copia ſignata ℞ Dat. Romæ 3. Aprilis 1477.*

Inſtituebantur autem in huiuſmodi Nationibus ſub nomine Vicariorum Generalium prout ex prædictis Reg. colligitur. *F. Io: Murre Baccalarius Vicarius Generalis Conuentuum Nationis Scotiæ, ſi fortè propter mortem Magiſtri Marialis* (qui Ordinem ante eundem P. F. Leonardum de Manſuetis rexerat) *qui eum inſtituerat, diceretur abſolutus, fuit inſtitutus Vicarius Generalis dictæ Nationis cum poteſtate abſoluendi Priores, & confirmandi, puniendi, exequendi vltimas voluntates, exponendi, & priuandi, Fratres ad audientiam confeſſionum, nec non abſoluendi quater in anno Fratres, & diſpenſandi cum eis in omnibus caſibus, ſicut poteſt Reuerendiſs. Magiſter Ordinis. Nullus inferior, &c. Nullis obſtantibus, &c. 17. Iunij Romæ 1474.* Et de Natione Hiberniæ ita in eodem loco ſubditur. *F. Dionyſius Vvoite fuit factus Vicarius ſuper ſuo Conuentu de Archlo cum plenitudine poteſtatis in capite, & in membris; ita tamen quod ſit ſub Prouinciali, & Vicario Nationis Hiberniæ, vt ſi quando illi irent ad Conuentum, poſſint viſitare Conuentum; ſed nullus inferior poteſt eum abſoluere à Vicariatu ſub pœna transſgreſſoribus præcepti debita; nullis litteris, vel ſtatutis obſtantibus. Dat. Romę 3. Ianuarij hac copia ſignata † 1476.* Eędem autem Nationes fuere poſtea in peculiares Prouincias erectæ, vt proprio loco dicemus.

Floruit hæc Prouincia diu in Ordine vſque ad Henrici VIII. Angliæ Regis tempora, qui cum tanquam optimus Catholicus contra peſtifera impij Luteri dogmata eruditum librum ann. Dom. 1521. euulgaſſet, ac propterea *Defenſoris fidei* à Leone Papa X. nobile nomen fuiſſet conſequutus, tandem ann. 1532. Annæ, filiæ Thomæ Bulleynæ Vicecomitis Rochefordiæ, Reginæ Catherinæ Ancillæ amore captus, eadem Catharina Caroli V. Imperatoris Matertera, ex qua filiam, Mariam nomine, ſuſceperat, repudiata, ipſam Annam diuino, atque Eccleſiaſtico iure neglecto ſuperinduxit, & exinde Lutheri virus, quod idem Henricus ſcripto confutauerat, atque audiri, & recipi interdixerat, per idem Regnum ſerpere incepit, atq; ita Regem ſibi captauit, vt eiurata Pontificia auctoritate ſe Anglicanæ Eccleſiæ caput anno 1539. nominauerit, furenſque in Catholicos, qui Romanam Eccleſiam venerarentur, ſacris S. Thomæ Cantuarienſis, eo quod eccleſiaſticorum iurium defenſor accerrimus extitiſſet, oſſibus combuſtis, impias leges contra eoſdem promulgauerit. Eo autem ab Omnipotente Deo ad tantorum ſcelerum cauſam dicendam ann. Dom. 1547. euocato, atque poſt ſex annos Eduardo eius filio in Regno ſucceſſore adoleſcente vita functo, Maria Catherinæ legitimæ Henrici vxoris filia eiuſdem Regni domina ſucceſſit anno 1553. quæ in catholica fide educata, fugatis Lutheri miniſtris, eandem

dem in Anglia reſtituit. At cum annus 1558. Catholico Orbi ob Caroli V. Eleonoræ Reginæ Franciæ, & Mariæ Vngariæ Reginæ, eiuſdem Caroli Sororum mortem luctuoſus apparuiſſet, luctuoſior omnino Eccleſiæ, & Catholicæ Religioni longè damnoſior Mariæ Reginæ Angliæ, magnarum virtutum, ac pietatis fœminæ obitus extitit, qui 17. Nouembris contigit: ſucceſſit enim (eo quòd Maria nullos reliquiſſet liberos) in Regno perfida Eliſabetta Annæ Boleynæ filia, litteris quidem politioribus exculta, ſed hæreſi infecta, & quod deterius fuit, diem quoque cum eadem Maria Regina vidit extremum Cardinalis Reginaldus Polus è Regio ſanguine, vir pius, doctrina egregius, & vita ac moribus ſanctus. Quapropter extincta cum his pietate, ac religione ſepulta, cœpit Eliſabetta (poſt quam die 15. Ianuarij ſequentis anni Regina renunciata fuerat) prioribus in Catholicorum fauorem edictis abrogatis, hæreticos in Anglia reſtituere, atque in eoſdem Catholicos crudeliter inſeuire, neque vnquam ex eo tempore ceſſauit hactenus perſecutio. Ex quo factum eſt vt eliminatis ab Anglia omnibus Religioſis eorum Templa, & Cœnobia in ſtabula, alioſque profanos vſus fuerint conuerſa, ipſaque Prouincia ab Ordine ſublata, conſeruato tantum Prouincialis Angliæ nomine, quo alter ex titularibus Prouincialibus Reuerendiſs. Magiſtri Generalis Socijs decoratur. Nunquam autem fuiſſe in eadem deperditam regularem obſeruantiam reſtitutam, in Magiſtrorum Ordinis Regeſtis apparet.

PRO PROVINCIA POLONIAE.

X.

Poloniæ Prouincia in Generaliſſimo Capitulo à B. Iordano, ſecundo Ordinis Generali Magiſtro ann. MCCXXVIII. celebrato, cum alijs tribus, nempè Daciæ, Græciæ, & Terræ Sanctæ, fuit fundata, quæ alijs octo à S.P. Dominico ann. M.CCXXI. inſtitutis, fuere adiunctæ, ſicut P.F. Bernardus Guidonis in præfati Capituli Actis in hunc modum refert. *Anno Domini M.CC.XXVIII. celebratum fuit Pariſius à præfato Magiſtro Iordano primum Capitulum Generaliſſimum Ordinis, in quo Capitulo octo præfatis Prouincys per B. Dominicum inſtitutis, quatuor fuerunt ſuperadditæ, ſcilicet Polonia, Datia, Græcia, & Terra Sancta.*

Hæc S. Hiacintum ſui fundatorum, ac Patronum iure merito veneratur, à quo plantata, Deo autem incremento dante, ad plurima Regna ſuos extendit palmites, ex quibus innumeri ſanctitate, atque doctrina præſtantiſſimi prodiere Viri, qui in vaſtiſſimis illis Regionibus ſanguine ſuo Chriſtianam ſanxere diſciplinam.

Ampliſſima extitit diu hæc Prouincia, donec ann. Dom. MCCCC.I. Boemia, & Morauia ab illa ſeparatæ, in aliam erectæ fuere Prouinciam ſub Prouinciæ Boemiæ nomine in Generalibus Comitijs Coloniæ habitis, vt de Prouincia Boemiæ referemus.

Alteram paſſa eſt diuiſionem ſub Reuerendiſs. P.F. Leonardo Statio de Florentia Magiſtro Ord. qui ex aliquibus eiuſdem Prouinciæ Cœnobijs, quorum diſtincta mentio non habetur in Actis Capitulorum, nouam conſtruxit Prouinciam, Theutoniæ Inferioris nuncupatam, P. F. Nicolao Vrſi primo eiuſdem Prouinciali creato; quæ tamen diuiſio, reclamantibus Poloniæ Patribus, in Generali Capitulo Argentinæ 1417. ſub præfato Reuerendiſs. Magiſtro Ordinis celebrato, fuit reiecta, nullaque declarata, atque ſeiuncta Cœnobia iterum cum ſua Prouincia Poloniæ vnita. Ita enim in præfati Capituli Actis denunc. 1. habetur. *In primis denunciamus Fratribus noſtri Ord. vniuerſis quod viſis & auditis iuribus, & rationibus Prouin. Poloniæ ex vna parte; ſimiliter iuribus, & rationibus Prouinciæ, quæ dicitur Theutoniæ Inferioris ex alia, cum his, quæ contigerunt de facto, pluſquam de Iure ſuper diuiſione dictæ Prouinciæ Poloniæ, reſecatis ſuperfluitatibus Iuris, prout noſtræ Conſtitutiones demandant, quantum noſtra intereſt, declaramus, & iudicamus diuiſionem Prouinciæ Poloniæ in duas Prouincias, quarum vna diceretur Prouincia Poloniæ, & alia, Prouincia Theutoniæ Inferioris, per Reuerendiſs. Magiſtrum Ord. factam, eſſe, & fuiſſe inualidam, et nullam exiſtere de præſenti. Similiter F. Nicolaum Vrſi, Prouincialem dictæ Prouinciæ Theutoniæ Inferioris minimè exiſtere: Præcipientes omnibus Fratribus, & ſingulis dictæ Prouinciæ Inferioris, quatenus dicto F. Nicolao, tanquam ſuo Prouinciali legitimo vlterius non obediant, ſed ſimul cum* cæte-

cæteris Fratribus de Polonia ad electionem vnici Prouincialis procedere debeant ſub Vicario Prouinciæ Poloniæ per Reuerendiſs. Magiſtrum Ord. inſtituto ex vacatione Prouincialatus Officij propter reſignationem eiuſdem per Magiſtrum Ioannem Epiſcopi factam, & tempore, & loco per dictum Vicarium deſignandis.

Cum hac perſtitit vnitate vſque ad ann. MDLXXXXVI. quo Patres in Ruſſia conſtituti petentes ab eadem Poloniæ Prouincia ſeparari, nouamque Prouinciam inſtitui, S. Hyacinthi nuncupandam, in Generali Capitulo Valentiæ celebrato præfatam diuiſionem, & nouam fuere conſequuti Prouinciam; quam tamen Clemens Papa VIII. datis Apoſtolicis litteris in forma Breuis ann. 1601. caſſauit, & annullauit, nouamque Congregationem in Ruſſia inſtituit, vt denunciatum fuit Valliſoleti 1605. denunc. 3. prout ſuo loco referemus. Tandem Auctoritate Apoſtolica Pauli Papæ V. In Capitulo Romano 1612. fuit iterum in Prouinciam, ſub Prouinciæ Ruſſiæ nomine erecta. Et denique ex Conuentibus Magni Ducatus Lithuaniæ altera nouiſſimè inſtituta eſt Prouincia ſub nomine S. Angeli Cuſtodis Valentiæ 1647. vt ſuo loco dicemus.

Pro regularis igitur obſeruantiæ augumento ſequentia in diuerſis Capitulis fuere ſtabilita.

1 Prouinciale Capitulum in principalioribus Prouinciæ Conuentibus celebretur. Romæ 1650. *Ordinamus ad inſtantiam Prouinciæ quod deinceps Capitulum Prouinciale pro maiori, tum Patrum conſcriptorum, tum Cænobiorum commoditate, celebretur dumtaxat in grandioribus Conuentibus, videlicet Cracouienſi, Poſnanienſi, Lublinenſi, Præmislienſi, Varſauienſi, Gedanenſi, Luceorienſi.*

2 Qui in Studijs Præmislienſi, Varſouienſi, vel Gedanenſi Theologiam docent, ac ſi Magiſtri Studentium munus in Cracouienſi ſtudio compleuiſſent, admittantur. Romæ 1650. *Confirmamus priuilegium huic Prouinciæ à Reuerendiſs. P. F. Thoma Turco quondam conceſſum, nempè quod profeſſoribus, qui in noſtris ſtudijs Præmislienſi, Varſouienſi, vel Genadenſi per biennium fructuosè, et laudabiliter ſpeculatiuam Theologiam prælegerint cum diſputationibus, & publicis actibus ſcholaſticis, dicta lectio valeat, ac ſuffragetur, acſi Magiſterio Studentium in Generali Studio Cracouienſi fuiſſent perfuncti.*

3 Iuuenum, & Syndicorum receptio per fabas, ſeu ſecreta vota fiat. Romę 1650. *Quoad ea omnia, quæ in Conuentibus per fabas, vel calculos tractanda occurrunt, præcipuè in receptione Iuuenum ad habitum, vel profeſſionem, & in creatione Syndici, ſpecialiter huic Prouinciæ iniungimus, vt omni alio abuſu remoto conformet ſe vbique noſtræ ordinationi 4. ſuperius præſcriptæ,* quam vide in p. p. de Conſilio Patrum num. 12.

4 Approbati in Lectores in Studijs extraneis, ſunt iterum in Studio Generali Cracouienſi examinandi, & approbandi, vt Lectorum priuilegia conſequantur. Romæ 1629. & 1650. *Renouamus, & confirmamus ordinationem Capituli Romani 1629. de reexaminandis in Generali Studio Cracouienſi Lectoribus, qui pro illo gradu in quacunque alia Prouincia, vel exotico ſtudio fuere examinati, & approbati; nec non diſpoſitionem, & præceptum ſuper eadem re emanatum à Reuerendiſs. P. F. Thoma Turco per litteras peculiares ad Moderatores Studij Cracouienſis Romæ 7. Iunij 1644. datas, quibus etiam Studentes fundationis Bzonianæ expreſsè comprehenduntur; ſolique eximuntur illi, qui coram ipſomet Generali Ord. Magiſtro examinati fuerint, & approbati.*

5 Alternatiua in electione Prouincialis ita eſt ſeruanda in hac Prouincia, vt vno confirmato, in caſu mortis eiuſdem, ex altera parte alius eligatur. Valentiæ 1647. *Cum in Capitulo intermedio Climontouienſi ann. Dom. 1636. celebrato pro manutenenda pace, & concordia iurata ſtatutum fuerit in caſu mortis, vel amotionis Prouincialis, ſequens rata deuoluatur ad aliam partem, quantumuis Prouincialis mortuus, vel amotus dimidium ſui officij non attigerit, quantumcumque etiam breuiſſimo tempore poſt confirmationem, & poſſeſſionem acceptam mortuus, vel amotus fuerit: Declaramus, vt id in caſu non confirmationis minimè obſeruetur; ſed quotieſcumque contigerit Prouincialem ex aliqua parte non confirmari, ſiuè id fiat propter errorem electionis, ſiue ob defectum electi, vel quacumque alia de cauſa, electio deuoluatur ad eandem ratam, ex qua non confirmatus aſſumptus fuerat.*

6 P. Prouincialis poteſt Fratribus ſibi ſubditis, imprimendi minutiora opuſcula, licentiam ex ſe impartiri. Valentiæ 1647. *Concedimus licentiam Ad. R. P. Prouinciali pro tempore exiſtenti, quatenus Fratribus minutiora opuſcula imprimere, & prælo mandare cupientibus; præcipuè verò ſermones varios, & funebres, & alia huiuſmodi deuotionem excitantia, & quæ vulgari lingua imprimuntur, facultatem dare poſſit, ſeruatis ſeruandis, & ſalua confirmatione 3. præſentis Capituli, & ordinatis ſemper in ea.* Quam vide in p. p. de Libris imprimendis num. 2.

7 Prouinciale Capitulum celebretur Dominica *Deus, qui errantibus, &c.* Ita fuit ſancitum Valentiæ 1647. *Vt autem commodius in hac Prouincia Capitulum Prouinciale celebrari poſſit, ſtatuimus vt in futurum dictum Prouinciale Capitulum celebretur Dominica*: Deus, qui errantibus; *ac propterea decernimus quod præſens P. Prior Prouincialis poſt expletum ſuum tempus duret in gubernio eiuſdem Prouinciæ vſquequo Prouincialis in Capitulo, vt ſupra tempore* Dominicæ, qui errantibus *celebrato electus,*

&

Digitized by Google

& confirmatus fuerit, & præſens in Prouincia extiterit. Quod etiam fuerat ordinatum Toloſæ 1628. vt dicetur num. 17.

8 Lectores non actuales ad Chori ſequelam tenentur; Studium autem Cracouienſe cum ſuis Studentibus foueatur. Valentiæ 1647. *Monemus Ad. RR. PP. huius Prouinciæ quatenus vnicum Studium Generale Cracouienſe manuteneant, & foueant; Priori verò Prouinciali eiuſdem Prouinciæ pro tempore exiſtenti feriò præcipimus, vt PP. Lectores actu non legentes ad ſequelam Chori, & ad Hebdomadariam cogat, & contrafacientes pœnis ſtatutis puniat. Similiter RR. PP. Conuentus Cracouienſis hortamur in Domino, & ſi opus eſt mandamus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ, vt Patres, & Fratres aliorum Conuentuum filios in ſuo Studio aſſignatos charitatiuè recipiant, amore proſequantur, nec eos ſine cauſa perturbent, ne ſcil. ob turbationes, ac moleſtias ab ipſis illatas ſtudia ſua relinquere compellantur.*

9 Magiſtri in Theologia in Cracouienſi Conuentu exiſtentes votum in examinibus, ſicut cæteri ſtudij Moderatores, obtinent. Romæ 1644. *Ad petitionem Prouinciæ ordinamus, vt præter quatuor principales Moderatores Generalis Studij noſtri Cracouienſis, videlicet, Regentem, Priorem, Baccalaureum, & Magiſtrum Studentium in omni ad quoſcumque gradus examine, Magiſtri etiam in Theologia, qui adſunt, ad ſcholam inuitentur, examinent, & votum deciſiuum, tam quoad approbationem in moribus, quam ſtudijs habeant, non autem Lectores.*

10 Concordia à P. Mag. F. Damiano Fonſeca Apoſtolico Commiſſario ſtabilita inter filios Cracouienſes, atque alios, tam circa graduandos, quam circa alternatiuam Officialium fuit confirmata Romæ 1644. *Ad petitionem eiuſdem Prouinciæ confirmamus Concordiam ab A. R. P. Mag. F. Damiano à Fonſeca Commiſſario Apoſtolico inter Conuentum Cracouienſem ex vna, & filios aliorum Conuentuum ex altera parte factam, eamque inuiolabiliter obſeruari mandamus, tam quoad alternatiuam Officialium, quam etiam quoad Graduandos.*

11 Prouinciales ſint trriennales. Romæ 1644. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt deinceps Prouinciales illius durent per triennium; facto tamen Capitulo intermedio, & Scrutinio Prouinciali*. Antea verò erant quadriennales, vt ordinatum fuerat Romæ 1608. antecedenter quoque erant ſexennales.

12 Nullus diuiſionem in hac Prouincia procurare audeat. Romæ 1644. *Quandoquidem iam à Prouincia Natio Lithuanica abſceſſit, & in ſuam erecta eſt Congregationem, ne prædicta Prouincia ſucceſſu temporis in alias vadat ſciſſuras, ac minutias, vnitatem ipſius ſedulo, ac ſtrictiſſimè confirmandam eſſe duximus, prout præſentibus confirmamus; prohibentes omnibus, & ſingulis dictæ Prou. Patribus, ac Fratribus in virt. Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ, necnon ſub formali præcepto, ac pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, alijſque pœnis, in concordia per præſens Capitulum confirmata, deſcriptis, ne vllus quouis colore, & prætextu diuiſionem huius Prouinciæ attentet, aliamque Congregationem, vel Conuentuum vnius Nationis ab altera ſeparationem moliatur, & procuret; ſed in vinculo charitatis, ac mutuæ dilectionis permanentes, Deo, qui charitas eſt, deuotè ſeruire ſtudeant.*

13 In Monaſterio S. Mariæ ad Niues Cracouien. ſint tantum triginta Moniales, donec ad conſuetam Ordinis formam fuerit reductum. Romæ 1629. *Prohibemus ne in Monaſt. S. Mariæ ad Niues Cracouien. pluſquam triginta Moniales recipiantur, donec prædictum Monaſterium ad formam Ordinis conſuetam deductum, & conſtructum fuerit.*

14 Magiſtrorum Studij Cracouien. prouiſio per P. Prouincialem de Prouinciæ Patrum conſilio fiat. Romæ 1629. *Concedimus huic Prouinciæ, vt prouiſio Magiſtrorum Studij in Generali Studio Cracouienſi iuxta antiquam conſuetudinem Prouinciæ per P. Prouincialem de conſilio Patrum Prouinciæ fiat.*

15 Primi Theologiæ Lectores Conuentuum Poſnanien. & Lublinen. biennio legentes, pro Magiſtris Studentium acceptentur. Romæ 1629. *Item concedimus, vt Lectores primi in Conuentibus Poſnanienſi, & Lublinenſi biennio actu Theologiam legentes, pro Magiſtris Studentium acceptentur.*

16 Sororibus noſtris Tertiarijs Locauicen. & Petricouien. habitus Sororum de Obſeruantia cum clauſura fuit conceſſus Romæ 1629. *Concedimus, vt Sorores Tertiariæ Locauicenſis, & Petricouienſis Monaſteriorum ad habitum Sororum de Obſeruantia, & Clauſura, ſeruatis ſeruandis transferatur.*

17 Prouincialis electus tanquam Prouinciæ Vicarius ſtatim Prouinciam regat. Toloſæ 1628. *Confirmamus decretum aliàs ſæpe factum, vt Prouinciale Capitulum celebretur* Dominica, qui errantibus, *& conceſſionem huic Prouinciæ datam, vt nouus Prouincialis ſtatim à ſua electione Prouinciam tanquam Vicarius Generalis eiuſdem adminiſtrare, ac moderari incipiat.*

18 Conuerſi poſt biennium à ſuſceptione habitus, profeſſionem emittant. Toloſæ 1628. *Concedimus ſic petente Prouincia, vt Fratres Conuerſi poſt biennium à ſuſceptione habitus, profeſſionem, ſeruatis ſeruandis, emittere poſſint.*

19 Obſeruantiam in Conuentibus introductam P. Prouincialis foueat. Mediolani 1622. *Monemus P. Prouincialem pro tempore, ei præcipientes, vt rigoroſam obſeruantiam in quoſdam huius Prouinciæ Conuentus inductam,*

fo-

Digitized by Google

foueat, & promoueat, obſiſtentes puniat, eamque in maioribus Conuentibus inſtituere conetur.

20 In promouendis ad Gradus Patribus ad prædicationem incumbentibus, lecturæ Theologiæ ſtricta ratio non habeatur. Bononiæ 1615. *Quoniam in Prouincia noſtra Poloniæ Lectoribus interdum prædicationis munus (quo ſummopere Regnum illud ob hæreſes opus habet) imponitur; Ideo ad petitionem ipſius Prouinciæ ſtatuimus, vt in proponendis ad gradus Patribus, lecturæ Sac. Theologiæ ſtricta ratio non habeatur; Volumus tamen, vt tales Lectores, aut Baccalaurei, antequam prædicationis officio fungantur, ſint primò ſufficientiſſimè in Sac. Theologia, tam morali, quam ſcholaſtica, inſtructi, ita vt poſſint eſſe idonei, quibus, vel lectiones Theologicæ, vel primariæ cathedræ ordinariæ, vt puta Cracouien. Præmislien. Vatislauien. Thorunen. & Petricouien. (præſertim tempore iudiciorum Regni) tum demum, & omnes Cathedræ Collegiatæ meritò committi poſſint.*

21 PP. qui fuere Prouinciales, locum ſecundum noſtrarum tenorem Conſtitutionem vbique habeant. Bononiæ 1615. *Circa præcedentiam Magiſtrorum cum ijs Patribus, qui Prouinciales fuerunt, perpetuum ſilentium imponimus, & Conſtitutiones noſtras quoad locum, quem inter ſe tenere debent, volumus obſeruari. Inſuper omnes locorum conceſſiones, quæ hactenus factæ fuerunt, irritamus; & ne de cætero fiant, ſtrictiſſimè omnibus Patribus, & Fratribus noſtræ dictę Prouinciæ prohibemus. Declarantes, quod nullus Frater priuata auctoritate communibus noſtrarum Conſtitutionum legibus, quacunque ceſſione ſui iuris derogare poteſt.*

22 Capitula omnia Dominica *Deus, qui errãtibus* celebrentur. Bononię 1615. *Quoniã circa feſtũ S. Michaelis in partibus Poloniæ peſtis graſſari ſolet, ex quo in Congregandis Fratribus pro Capitulo Prouinciali maximæ ſuboriuntur difficultates, ideo ad petitionem ipſius Prouinciæ ordinamus, vt deinceps Capitula tam Prouincialia quam intermedia Dominica*, Deus, qui errantibus, *iuxta conſuetudinem omnium ferè aliarum Prouinciarum Ord. noſtri, & ordinationes, aliàs pro hac ipſa Prouincia Poloniæ Valliſoleti 1605. factas celebrentur.*

23 Scrutatores Vocum Cap. Prouincialis ſint PP. Prouincię, & Vicarij Nationum. Bononię 1615. *Confirmamus antiquam Prouinciæ conſuetudinem de Scrutatoribus vocum in Capitulis Prouincialibus, vt ſint omnes PP. Prouinciæ, & Vicarij Nationum, cum hac declaratione, vt ipſi vna cum P. Prouinciali, & Vicario Generali pro tempore omnia quæcumque obueniant dubia determinare, & decidere poſſint. Quod ſi in partes æquales diuiſi fuerint, ex corpore Capituli vnum eligant, & pro voto illius partis, cui iſte adhæſerit, omnia fiant.*

24 Studentes huius Prouincię per triennium in ſtudio maneant. Bononię 1615. *Studentes formales Prouinciæ Poloniæ, qui in Studijs Generalibus per triennium non permanſerint, ad Lectoratum non promoueantur, niſi de licentia Magiſtri Ord. P. Prouinciali Poloniæ conceſſa.* & Romę 1612. Ita fuerat antea mandatum. *Statuimus vt in quouis Studio Generali nullus Frater eiuſdem Prouinciæ admittatur ad officium Lectoratus ante completum triennium ſtudij ſacræ Theologiæ, niſi forte cum aliquo ex euidenti neceſſitate, & præuia informatione à Magiſtro Ord. fuerit diſpenſatum.*

25 Circa Prouincialium, & Diffinitorum, tam Generalis, quam Prouincialis Capituli, hęc fuerat alternatiua mandata Pariſijs 1611. *Concedimus eidem Prouinciæ* (ſcilicet Polonię) *& ordinamus, vt nunquam eligantur duo Prouinciales immediatè ſibi ſuccedentes ex vno Conuentu, ſed ſi hac vice habet Prouincialem ex vno Conuentu; ſequenti vice eligatur aliquis, qui ſit filius alterius Conuentus. Idem dicimus quoad Diffinitorem, & Socium ad Capitulum Generale, vt videlicet nunquam fiant duo Diffinitores, aut Socij immediatè ſibi ſuccedentes in dictis officijs, qui ſint ex vno Conuentu, ſed ſi in hoc Capitulo Gen. Diffinitor eſt ex vno Conuentu, pro ſequenti Cap. Gener. eligatur ex alio. Idem ſeruetur circa Socium Diffinitoris euntis ad Capitulum Generale. In Capitulo autem Prouinciali eiuſdem Prouinciæ Diffinitores eligantur ſinguli ex ſingulis Conuentibus, ita quod nullo modo poſſint eſſe duo Diffinitores ex eodem Conuentu, alioquin totum ſit irritum, & inane.* Quę ordinatio poſtea Romę 1612. in hunc modum fuit moderata, & ſancita. *Denunciamus poſt conceſſionem factam in Capit. Generali Pariſien. proximè præterito Prouinciæ noſtræ Poloniæ ad ſui petitionem circa electionem, & durationem Priorum Prouincialium, & Diffinitorum tam Capitulorum Generalium, & Sociorum eorundem, quam etiam Diffinitorum Capitulorum Prouincialium in præſenti Generali Capitulo Patres pro vtraque parte comparuiſſe, & nobis humiliter ſupplicaſſe, vt præfatam conceſſionem Generalis Capituli Pariſienſis iuxta infraſcriptum modum moderari vellemus. Quapropter cupientes nos, quantum in nobis eſt, finem controuerſijs imponere, & vnicuique quod ſuum eſt reddere, præcauereque ne impoſterum altera ex partibus diſſidentibus ab altera aliquid patiatur, ex communi conſenſu partium haſce ordinationes impoſterum perpetuo duraturas circa electionem Prouincialium, Diffinitorum Capitulorum Generalium, & Sociorum eorundem, & Diffinitorum Capitulorum Prouincialium ſtatuimus, decernimus, & ſancimus.*

Primò, vt duo Prouinciales eligantur immediatè ex filijs aliorum Conuentuum, tertius autem ex Conuentu Cracouienſi, & ſic deinceps.

Secundò, vt vna vice ſit Diffinitor Capituli

tuli Generalis ex corpore aliorum Conuentuum, altera autem vice immediatè ſit ex Conuentu Cracouienſi; Diffinitore autem exiſtente pro Capitulo Generali ex filijs aliorum Conuentuum, Socius eligatur ex Conuentu Cracouienſi; & ſimiliter Diffinitore exiſtente ex Conuentu Cracouienſi, Socius eligatur ex filijs aliorum Conuentuum.

Tertiò, vt exiſtente Prouinciali ex ſorte filiorum aliorum Conuentuum, ſint duo tantum Diffinitores Capituli Prouincialis ex ſorte eorundem, & ex Conuentu Cracouienſi duo; exiſtente verò Prouinciali ex ſorte Conuentus Cracouien. ſint tres Diffinitores ex ſorte filiorum aliorum Conuentuum, & quartus ex filijs Conuentus Cracouien. Quotieſcumque autem ex filijs aliorum Conuentuum Prouinciæ Poloniæ præter Cracouienſem, eligentur in Prouinciales, Diffinitores, & Socios, ita ſint aliorum, vt inter ſe ſint diuerſorum: declarantes quod impoſterum Prouinciales debebunt eſſe quadriennales (quod tamen fuit Romę 1644. reuocatum, & ocdinatum, vt ſint triennales ſicut diximus ſupca num. 11.) *cum celebratione intermediæ Congregationis iuxta primam conceſſionem Capituli Pariſienſis præfati 1611.* (de qua Congregatione vide quę ſancita ſunt poſtea Romę 1644. ſupra num. 11.) *factam omnibus Prouincijs habentibus Prouinciales quadriennales, & non habentibus, Capitulum intermedium, vt ibidem dicitur: cui quidem Congregationi intereſſe tenebuntur ſoli PP. Magiſtri, Vicarij Nationum, & Priores præcipuorum Conuentuum, & qui fuerunt Prouinciales. Declaramus tandem omnes, & quaſcumque ordinationes, conceſſiones, declarationes, monitiones, præcepta, & mandata, omniaque in illis contenta, tam Capitulorum Generalium, quam etiam Reuerendiſs. Magiſtrorum Ordinis, iuxta præfatam conuentionem, determinationem, ac ordinationes ſupraſcriptas, intelligi, & explicari debere, & non aliter. Volumus autem, & ſub præcepto formali in Virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ, atque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ hac vna pro trina canonica monitione præmiſſa vtrique parti præcipimus, ne quiſpiam impoſterum audeat hanc ordinationem, aut abrogare, aut contra eam, aliquid innouare, aut ei in aliquo contrauenire. Quod ſi ſecus attentatum fuerit à quocumque, vltra cenſuras latas, pœnis grauioris culpæ, & carceris per triennium irremiſſibiliter ipſo facto per ſuos Superiores, quorum conſcientias in hoc aggrauamus, puniatur tanquam pacis publicæ turbator: neque in hoc à quouis, præter quam ab ipſo Reuerendiſs. Magiſtro Generali Ord. diſpenſetur. In nom. Pat. & filij, & Spir. S. Amen.*

26 Vt Priores vltra quadrieniũ in ſuo munere permanere nõ poſſent mandatũ fuerat ita Romę 1612. *Priores autem in eadem Prouincia vltra quadriennium in ſuis Prioratibus non perſeuerent, ſed expleto quadriennio ſint ipſo facto abſoluti, nec poſſint immediatè reeligi.* Veruntamen poſtea Romę 1629. mandatum fuit pro toto Ocdine, vt Priores ſint triennales. Vide in p. p. de Priocibus Conuentual. num. 2.

27 Vt Magiſtri eſſent octo, Baccalaurei nouem, & Prędicatores Genecales quot Conuentus ordinatum fuecat pro hac Prouincia Romæ 1583. ocd. 16. quod fuit confirmat. Romę 1589. conf. 29. pcout diximus ſupca Pro Prou. Hiſpanię: Veruntamen poſtea Romę 1612. Magiſtrorum numecus ad duodenarium, Baccalaureorum verò ad quindenarium fuit proccactus, hoc modo. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt numerus Magiſtrorum duodenarium, Baccalaureorum verò quindenarium habeat, vltra quem plures Magiſtri, vel Baccalaurei eſſe non poſſint, quod ſi ſecus factum fuerit totum ſit irritum, & inane.* Tandem Mediolani 1622. Magiſtrocum numecus ad quindenarium, Baccalauceorum verò ad octodenarium fuit dilatacus hoc modo. *Poſtulante Prouincia augemus numerum Magiſtrorum ad quindenarium, Baccalaureorum verò ad octodenarium ea lege, & conditione nę deinceps alij petantur.*

28 Graduati non poſſunt in Pcædicatores Genecales inſtitui. Romæ 1612. *Confirmamus ordinationem in Capitulo Romano 1583. factam de graduatis non promouendis in Prædicatores Generales, & qui modo tales exiſtunt, volumus vt dicto munere ſint priuati, ſicuti de facto priuamus.*

29 Generale Studium in Ccacouienſi Conuentu fuit confirmatum Romę 1589. conf. 14. *Confirmamus in Prouincia Poloniæ Studiũ Generale in Conuentu Cracouienſi prout pręcedentibus iam tribus Capitulis eſt declaratum, ac omnes Conſtitutiones in Prouincialibus Capitulis eiuſdem Prouinciæ circa prouiſionem ex omnibus Conuentibus pro Studentibus, & Lectoribus in præfato Conuentu Cracouienſi degentibus factas, cum ex Conuentu eodem, tanquam ex litterarum amphiteatro in totam Prouinciam Fratres deſtinentur.* Antea vecò Romę 1583. conceſs. 3. conceſſum fuerat Fratribus huius Prouincię, vt poſſent ad ſcholaſticos gcadus in Vniuecſitate Cracouienſi promoueci. *Concedimus Prouinciæ Poloniæ ad eius petitionem, vt Fratres ſui promoueri poſſint ad gradus ſcholaſticos in Vniuerſitate Cracouienſi, de ſcitu tamen Reuerendiſs Magiſtri Ordinis.*

30 Regens, Baccalaureus, ac Lector Studij Generalis Ccacouienſis non poſſunt in Priores eligi, niſi integrum in eodem ſtudio triennium compleuecint. Romæ 1589. ord. 16. *Ordinamus, vt in Generali Studio Conuentus Cracouienſis Prouinciæ noſtræ Poloniæ Regens, Baccalaureus, & Lector non poſſint eligi in Priores alicuius Conuentus, niſi prius integrum*

grum

grum triennium in eodem ſtudio legerint.

31 Qui per annum Theologiam audierunt, poſſunt prædicatoris munus obire. Venetijs 1592. conceſs. 3. *Stante neceſſitate prædicationis Verbi Dei, & Prædicatorum penuria* (ſcil. concedimus Prouinciæ Poloniæ quod) *poſſint mitti ad prædicandum illi, qui per annum ſolum S. Theologiam audierint, dummodo religioſorum ſint morum, & ſufficientes in litteris de Patrum conſilio cenſeantur.* Romæ autem 1601. conceſſum fuit huic Prouinciæ, ſicut & S. Dominici, vt Baccalaurei ordinarij ſint biennales, ita enim habetur conceſſione 14. *Concedimus Prouincijs Poloniæ, & S. Dominici ad earum petitionem, vt Baccalaurei ſint biennales, ſicut hactenus obſeruatum eſt.*

32 Qui ad aliarum Prouinciarum ſtudia mittuntur, ipſis completis ad hanc ſuam Prouinciam ſtatim reuertantur. Valliſoleti 1605. ord. 36. *Item ordinamus in eadem Prouincia* (ſcil. Poloniæ) *vt ſtudentes formales, qui ad alias Prouincias mittuntur, expleto tempore ſui ſtudij non diſcurrant per Conuentus aliarum Prouinciarum, ſed ſtatim ad ſuam reuertantur, ſub pœna inhabilitationis ad gradus in Ordine conſequendos.*

33 Nulla ſubſiſtat petitio in preiudicium Prouinciæ facta, niſi à Capitulo Prouinciali fuerit propoſita. Ita in Capitulo, & ord. 36. ſuprad. habetur. *Pro Prouincia Poloniæ ordinamus, vt nulla vnquam petitio à quibuſcumque in præiudicium eiuſdem Prouinciæ, aut Conuentus, vel alicuius perſonæ impetrata valeat, niſi fuerit à Capitulo Prouinciali propoſita, & approbata.*

34 In eodem Conuentu nullus in Priorem reaſſumatur ante quadriennium. Romæ 1644. *Quandoquidem Prouincia petijt declarari de interſtitijs officij Prioratus; declaramus in hoc ſeruandas eſſe Conſtitutiones, vt ſcilicet nullus poſſit eligi in Priorem Conuentus vbi antea fuit Prior, niſi poſt quadriennium.*

Terminos Conuentuum inter hanc Prouinciam, & Ruſſiam conſtitutos, adducemus, dum de ipſa Ruſſiæ Prouincia tractabimus.

PRO PROVINCIA DACIAE. XI.

DAciæ Prouincia in primo Ordinis Generaliſſimo Capitulo ſub B. Iordano Pariſijs ann. MCCXXVIII. celebrato fuit cum alijs tribus, nempè Poloniæ, Græciæ, & Terræ Sanctæ inſtituta; ita enim in eiuſdem Capituli Actis habetur. *Anno Domini MCCXXVIII. celebratum fuit Pariſius à præfato Magiſtro Iordane primum Capitulum Generaliſſimum Ordinis, in quo Capitulo octo præfatis Prouincijs per Beatum Dominicum inſtitutis, quatuor fuerunt ſuperadditæ, ſcilicet Polonia, Dacia, Græcia, & Terra Sancta.*

Huius Prouinciæ fundatorem fuiſſe S. Hiacintum aliqui ſcriptores affirmant, quæ diù in Ordine, & Orbe floruit multis ditata Conuentibus.

Sicut regularis obſeruantiæ iacturam hæc Prouincia cum alijs fecerat, ita & eandem in aliquibus eiuſdē Conuētibus reſtitutam ab anno Dom. 1474. in Regeſtis P. F. Leonardi Manſueti Generalis Magiſtri manifeſtè habetur: Nam idem Magiſter Ord. reformationem Conuentuum Aboenſis, & Reualienſis P. Mag. F. Nicolao Ioannis Lundenſis demandauit; ita enim in eiuſdem Regeſtis legitur. *Magiſter Nicolaus Ioannis Lundenſis fuit inſtitutus Vicarius ad reformandum Conuentum Reualienſem, & Aboenſem cum auctoritate pleniſſima; & inſtituendi illic Vicarium Generalem, inuocato, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis; & cum poteſtate recipiendi Fratres, & aſſignandi: nullis obſtantibus. Romæ 9. Iunij 1474.*

Die autem 3. Iulij eiuſdem anni idem Magiſter Ord. reuocata eadem Vicarij facultate à ſupradicto P. Magiſtro Nicolao, Vicarium ad reformandum eundem Reualienſem Conuentum inſtituit cum auctoritate pleniſſima P. F. Albertum Petri de Congregatione Hollandiæ, in hunc modum. *F. Albertus Petri de Congregatione Hollandiæ fuit factus Vicarius cum plena poteſtate ad reformandum Conuentum Reualienſem, cum auctoritate abſoluendi Priorem, expellendi Fratres, & alios aſſignandi, præcipiendi, incarcerandi, Priorem confirmandi, & inuocandi auxilium brachij ſecularis pro hac reformatione; & fuit abſolutus omnis alius Vicarius, & maximè Magiſter Nicolaus Ioannis Lundenſis primitus inſtitutus, & præcipitur omnibus quod obediant. Dat. Romæ 3 Iulij 1474.*

Idem Magiſter Ord. P. F. Petrum Laurentij de Splendau Vicarium ad reformandum Conuentũ S. Keningen. & Moniales pro vt in eiuſdem Regeſtis teſtatum nobis reliquit. *F. Petrus Laurentij de Slendan Conuentus Skeningen. fuit factus Vicarius Generalis ſuper ſuo Conuentu, & ſuper Monaſterio Sororum cum pleniſſima poteſtate in capite, & in membris ad reformandum ipſum Conuentum, & ipſum Monaſterium; non tamen propter hoc præiudicando iuriſdictioni Reuerendi Prouincialis. Dat. Romæ 27. Decemb.* 1475.

Floruit diu in Ordine cum maximo Catholicæ fidei incremento hæc Prouincia nedum in regulari obſeruantia, verùm etiam in doctrina, obtulitq; Eccleſiæ viros præſtantiſſimos, qui etiam ſanguine proprio Chriſtianam ſanxere diſciplinam, donec permittente Deo, cuius iudicia ſunt incomprehenſibilia, & viæ eius inueſtigabiles, Turcarum tirannidi ſuppoſita, impiorumque, tam ſchiſmaticorum, quàm Hæreticorum aſſiduis inſidijs, perſecutionibus, & preſſutis vexata, fuit in Ordine penitus extincta, vltimuſque, qui ex hac Prouincia Diffinitor ad Generalia Capitula acceſſerit, fuit P. F. Petrus de Datia, cuius memoria habetur in Actis Generalis Capituli Romæ 1525. celebrati, in quibus inter alios Diffinitores, qui ad P. F. Franciſci Silueſtri Magiſtri Ordinis electionem conuenere, ita emicat. *F. Petro de Datia Diffinitore Prouinciæ Datiæ.*

PRO PROVINCIA GRAECIAE. XII.

SVa conſequuta eſt exordia hæc Prouincia ſub B. Iordano Ordinis noſtri ſecundo Generali Moderatore in primo Capitulo Generaliſſimo Pariſienſi ann. MCCXXVIII. celebrato, cum alijs tribus, nempe, Poloniæ, Daciæ, & Terræ Sanctæ, vt ſupra *Pro Prouin. Poloniæ* diximus. Floruit diu hæc Prouincia, Viroſque protulit præſtantiſſimos: tandem contractatu temporis ob communia Eccleſiæ, Ordinis, & Orbis mala ita paulatim deduxit, vt in Generalibus Comitijs ann. 1417. Argentinæ collectis comiſſa fuerit, commiſs. 1. Magiſtro Ordinis pro tempore inſtitutio Prioris Prouincialis huius Prouinciȩ, ſicut & Terræ Sanctæ, quod etiam fuit in hunc modum confirmatum Methis 1421. commiſs. 1. *In primis committimus, & concedimus Reuerendiſs. Magiſtro Ordinis inſtitutiones Priorum Prouincialium Terræ Sanctæ, & Græciæ abſque dictarum Prouinciarum electione, quacumque, quotieſcumque, & quandocumque dicti Prouincialatus vacauerint.* Perſtitit hæc Prouincia diu nimis iure eligendi ſibi Prouincialem ab anno ſcil. MCCCC.XXI. vſque ad M.D.C.XXII. deſtituta, quo tempore Prouinciales eidem, à Magiſtris Ord. inſtituti, concedebantur, vt ex Regeſtis eorundem manifeſtè colligitur; & licet illi fuerit titulus Prouinciæ aliquando ſublatus, & poſtea Romæ 1612. reſtitutus, tamen ius eligendi ſibi Priorem Prouincialem non fuit vſque ad Capitulum Generale Mediolani 1622. celebratum, conſequuta, vt hic infra dicitur. Turcarum autem, & ſchiſmaticorum Græcorum vi, multis Conuentibus orbata, atque ad modicum Fratrum numerum abſque obſeruantia Regulari redacta, in Capitulo Generali Valentiæ ann. 1596. celebrato, vna cum Dalmatia fuit Prouinciȩ titulo, & nomine expolita pro vt ibid. denunciat. 4. dicitur. *Denunciamus Prouincias noſtras Græciæ, & Dalmatiæ, quod vel ad pauciſſimum numerum Conuentuum ſint redactæ, vel nulla in eis regularis vitæ obſeruantia conſpiciatur, ad quam nec per quamlibet Superiorum diligentiam reduci aliquo pacto potuere; quin potius contra eoſdem Superiores diuerſos tumultus, & ſtrepitus concitauerunt, vtque ſe ab eiuſdem etiam ſupremi capitis Ordinis obedientia ſubtraherent modis indebitis, cum recurſu etiam ad Tribunalia ſæcularia reſpectiuè procurauerunt; Prouinciæ titulo priuatas fuiſſe, ſicut, & præſenti decreto priuamus, & Vicarias inſtituimus, ipſarumque Prouinciales ſi qui modo ſunt, Vicarios earundem eſſe declaramus, quibus diſtrictè iniungimus, vt omni cura bono ipſarum regimini ſuper intendant, quatenus ad meliorem frugem, prout deſideramus, reduci poſſint.* Dominus autem, qui mortificat, & viuificat, pauperem, facit & ditat, humiliat, & ſubleuat hoc verecundiȩ telo ita illarum incolas perterre fecit, vt ad meliorem frugem redacti, & debitam Ordinis Capiti exibuerint obedientiam, & maiora Regularis vitȩ amplexati fuerint incrementa; vnde Romȩ 1608. Dalmatiȩ, & Pariſijs 1611. Grȩciȩ titulus, & iura Prouinciȩ fuere reſtituta prout denunciatum fuit Romæ 1612. *Denunciamus à Capitulo Generali Pari-*

Pariſien. proximè præterito Vicariam noſtram Græcia reſtitutam fuiſſe in Prouinciam ſub titulo Prouinciæ Græciæ, cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus antea gaudebant, & in præſenti Capitulo habuiſſe votum in electione Magiſtri Ordinis, quam quidem reſtitutionem confirmamus, & approbamus. Et tandem Mediolani 1622. electionis ſui Prouincialis reſtitutio fuit eidem Prouinciç in hunc modum facta. *Concedimus Prouinciæ noſtrę Græciæ ad ſui petitionem, & inſtantiam, vt eligere ſibi poſſit Prouincialem, dummodo habeat ſufficientiam vocalium iuxta diſpoſitionem noſtrarum legum, Conſtitutionum, & Capitulorum Generalium, & non aliter*. Cum hac eadem Prouincia fuit aliquando Peregrinantium Societas copulata, quę tamen iterum ab eadem in Generali Capitulo Romę 1555. celebrato fuit ſeiuncta, confirmato in eadem Societate Vicario P.F. Benedicto de Filicaria Florentino ex Romana Prouincia, poſt quem nullus alius in Capitulorum Gen. Actis inuenitur dictę Societatis inſtitutus Vicarius; ita enim in conf. 10. habetur. *Item confirmamus in Vicarium Societatis peregrinantium inter gentes P.F. Benedictum de Filicaria Florentinum vſque ad aliud biennium, & vltra ad beneplacitum Reuerendiſs. Generalis caſſantes, & annullantes quamcumque vnionem hactenus factam præfatæ Societatis cum noſtra Prouincia Græciæ*.

1 Ad P. Prouincialem huius Prouinciç Conuentui S. Pauli de Candia de Superiore prouidere ſpectat. Romę 1650. *Concedimus P. Prouinciali huius Prouinciæ pro tempore, vt ipſe Conuentui noſtro S. Pauli de Candia pręficiat Superiorem iuxta tenorem inſtrumenti fondati deſuper ab Illuſtriſs. D. quondam Ranier Dandolo ann. 1625. die 9. Martij, taliſque Superior iuxta receptum morem per biennium in officio permanebit*. Vide infra num. 9.

2 Prouinciales triennales, Conuentuales verò biennales ſint Priores. Romę 1644. *Concedimus huic Prouinciç, vt impoſterum Priores Prouinciales ſint triennales, Priores verò Conuentuales biennales*.

3 PP. Prouinciales pro tempore poſſunt quęcumque loca acceptare, etiam ſi duodecim Fratres alere nequeant. Romę 1644. *Concedimus Ad. R.P. Prouinciali pro tempore ad amplificandam, & propagandam Religionem, fidemque Catholicam in his regionibus diuerſorum rituum, vt poſſit acceptare quęcumque loca, quamuis alere non poſſint duodecim Fratres, dum ſupplicetur Sanctiſſimus pro Breui*.

4 Prędicatores Generales, etiam ſi non permaneant in ſuę inſtitutionis Conuentibus, voce gaudent. Romę 1644. *Concedimus, vt Prędicatores Generales, tam approbati, quam approbandi gaudeant voce, etiam ſi non inſeruiant Conuentibus, pro quibus fuerunt, vel erunt inſtituti*.

5 Fratres huius Prouinciç non poſſunt per affiliationem ad alias tranſire. Romæ 1569. ord. 17. & iterum Romæ 1612. ac tandem etiam Romæ 1644. *Ordinamus, vt nulli Patri, aut Fratri vnquam concedatur licentia transferendi ſuas affiliationes ab hac ad alias Prouincias, & hoc ob paucitatem Fratrum; ſi verò aliquis hanc tentauerit, & obtinuerit, ſit priuatus voce actiua, & paſſiua*.

6 Decreta facta à P.F. Franciſco Coccino Prouinciali huius Prouinciæ, qui Generali Capitulo electionis Magiſtri Ord. P.F. Nicolai Rodulphij ann. 1629. interfuit, fuere in eodem Capitulo confirmata in hunc modum. *Ordinamus, vt decreta facta à P. Prouinciali pręſente in ſua viſitatione, à Magiſtro Ordinis examinata, inuiolabiliter obſeruentur ſub pænis in eiſdem contentis*.

7 Prouincialis pro tempore eſt Vicarius electionis ſui ſucceſſoris, & Prouinciæ vſque ad illius confirmationem. Romæ 1629. *Concedimus, vt Prouincialis pro tempore ſit Vicarius Prouinciç, & electionis vſque ad confirmationem, & acceptationem Prouincialis electi, eiuſque pręſentiam in Prouincia*.

8 Socius Prouincialis titulo Prioris gaudet. Romę 1629. ita in prædicta ordinat. ſubditur. *Item* (ſcilicet ordinamus) *quod Socius Prouincialis pro tempore, dum fungitur officio Socij, gaudeat titulo tantum, & loco Prioris S. Marię de Modamo, non tamen voce*.

9 Poſſunt PP. Prouinciales inſtituere Priorem in Conuentu SS. Nicolai, & Eliæ Inſulę Zacynthinæ. Romæ 1629. *Damus facultatem P. Prouinciali, vt in Conuentu SS. Nicolai, & Elię Inſulę Zacynthinę poſſit inſtituere Priorem eiuſdem cum omnibus priuilegijs, & gratijs, ſicut etiam in notato loco S. Pauli de Candia* (de quo diximus ſupra num. 1.) *quem acceptamus non obſtante quod non poſſit alere duodecim Fratres, pręhabito tamen aſſenſu Apoſtolico. Interim verò ipſum titulo Vicariatus gaudere volumus quouſque ędificium abſolutum, & redditus eiuſdem, prout opus eſt, ſtabiliantur. Mandantes P. Prouinciali pro tempore, vt Fratres, qui in dicto loco degunt, ab ipſo ibi aſſignentur, & ideo in alio Conuentu vocem non habeant*.

10 Si in Diffinitores eligantur qui non ſunt de corpore Capituli, ad electionem Prouincialis admittantur. Romæ 1629. decl. 11. *Declaramus quod ſi contigerit Diffinitorem Capituli Prouincialis eligi ex illis, qui non ſunt de corpore Capituli, talis electus ex vi officij Diffinitoris vocem non habebit nec ad electionem Prouincialis admittendus erit; Prouincia Grçcię tantum excepta*.

11 Qui in legendo, & prædicando Ordini in hac Prouincia inſeruiunt Baccalaureatus gradum conſequi poſſunt. Toloſæ 1628. *Concedimus, vt qui in legendo, & prædicando*

maiores progreſſus egerint, quamuis rigoroſam de exercitiis ſcholaſticis legem ob prædicationis munus in partibus Infidelium non impleuerint, ad gradum Baccalaureatus peti poſſint.

12 Vt Prouinciales, triennales eſſent, conceſſum huic Prouinciç fuerat Mediolani 1622. *Concedimus, vt iuxta antiquā huius Prouinciç conſuetudinem Prouincialis officium pro tempore ad triennium extendatur.* Veruntamen poſtea Romç 1629. ord. 11. ſancitum eſt Prouinciales in toto Ordine (exceptis illis Prouincijs, in quibus eſt contrarium Apoſtolicum Priuilegium) debere eſſe quadriennales, vt in p.p. de Prioribus Prouincial. diximus num. 60.

13 Priores Conuentuales ſint biēnales. Romæ 1546. ord. 17. *Priores Conuentuales* (ſcilicet huius Prouinciæ) *de cæterò ſint biennales.*

14 Qui de hac non ſunt Prouincia, ad illam ſecluſa Magiſtri Ordinis licentia accedere nequaquam poſſunt. Romæ 1612. *Ordinamus ad tollenda multa ſcandala, vt nullus Frater, qui non pertineat ad dictam Prouinciam, illuc ſe conferre, aut proficiſci præſumat, ſub quouis prætextu, ſine licentia Reuerendiſs. P. Generalis, aut Ad. R. P. Vicarij Generalis totius Ordinis.*

PRO PROVINCIA TERRAE SANCTAE. XIII.

CVm Beatiſſimus P. Dominicus noſtrum Prædicatorum Ord. in Catholicæ fidei augumentum, populorumque ſalutem diuino inſtinctu fundaſſet, Patres in Generaliſſimis Comitijs Pariſijs ann. MCCXXVIII. habitis animaduertentes ſe S. Patris vota completuros ſi ad longinquas infidelium partes Euangelij præcones delegarent, quatuor Prouincias, Poloniæ ſcilicet, Græciæ, Daciæ, & Terræ Sanctæ fundauere (vt ſupra Pro Prou. Daciæ enarrauimus) ad quas cum viros religione, pietate, ſciētia, zeloque Diuini honoris, atque proximorum ſalutis ditatos tranſmiſiſſent, fauente Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire, ita in illis populis mirabiliter profecere, vt breui temporis interuallo plurima Ordinis Cœnobia fuerint erecta, copioſaque Fratrum multitudine repleta. Eorum igitur præcipuè, quæ ad Terræ Sanctæ Prouinciam ſpectabant, fama motus B. Iordanus poſt S. Patrem in Ordinis regimine ſucceſſor, eadem vna cum ſacris illis locis, in quibus humani generis redemptio fuit operata, inuiſurus, poſt celebratum Pariſijs ann. 1236. Generaliſſimum Capitulum, conſcenſa naui in Terram Sanctam properauit, eaque luſtrata, cum in Italiam rediret, ventorum vi quaſſata triremi, in Cœlum euolauit, Idibus Februarij ann. 1237. cuius obitum FF. Gotifredus, & Reginaldus, qui in eadem Terra Sancta Pœnitentiarij pro Gregorio IX. P. M. munus adimplebant, Pariſienſi Priori, & Conuentui, prout in M.S. Archiuij Magiſtri Ord. teſtatum exiſtitit, in hunc modum nunciauere.

Anno Dom. 1237. Idibus Februarij Magiſter Iordanus, qui in Terram Sanctam loca ſacra, & Fratres viſitaturus perexerat, migrauit ad Dominum, vt patet ex litteris infraſcriptis.

Venerabilibus, & dilectis Priori, & Conuentui FF. Prædicatorum Pariſienſ.

F. Gotifredus, & Reginaldus Domini Papæ Pœnitentiarij ſalutem, & Spiritus Sancti conſolationem.

Noueritis quòd iuundante maris ſeuitia, ac ſuo impetu propellente ad littus galeam, in qua dulcis Pater noſter Magiſter Iordanis cum duobus Fratribus erat, ipſe & 99. perſonæ aliæ, multis vinculis liberati ſunt ab hoc ſeculo nequam. Sed ſuper hoc non paueat cor veſtrum, quia nobis orphanis pius Pater, & Deus totius conſolationis remedium poſt tempeſtatem prouidit; nam dum iacerent corpora inhumata, vt teſtati ſunt, qui de illo naufragio euaſerunt, & qui eos ſepulturæ tradiderunt proprijs manibus, luminaria de Cœlo ſuper eos ſingulis noctibus effulſerunt. Sed & cruces ſuper eos multæ viſæ ſunt à multis, ad quod miraculum loci incolæ accurrentes, tanti odoris fragrantiam hauſerunt, quod iuxta eorum teſtimonium, qui poſt viſa miracula eos tres ſepelierunt, vſque poſt decem dies odor nimis ab eorum manibus non receſſit; ſed & per circuitum ſepulturç eius odoris ſuauitas latius emanauit, vſquequo Fratres de Achon venerunt cum barcha, & eos in ſuam Eccleſiam tranſtulerunt, vbi dictus Pater quieſcit, & multa multis beneficia præſtat, &c.

Et in libro Actorum Cap. Generalium ita

ita habetur. *Anno Dom. 1237. non fuit Generale Capitulum celebratum propter mortem Fratris Iordanis præfati Magiſtri, qui obierat præcedenti menſe Februarij anno prætaxato.*

Contigiſſe autem huius S. Viri tranſitum non in acceſſu ad Terram Sanctam, vt quidam falsò aſſerunt, ſed in receſſu ab eadem, ex eo colligitur, quod cum in proximo futuro Feſto Pentecoſtes eiuſdem anni 1237. eſſet Generale Capitulum Bononiæ celebrandum, ad quod idem B. Iordanus conuenire debebat, improbabile videtur ipſum menſe Ianuarij, vel Februarij nauim in Terram Sanctam ſoluiſſe. Idem expreſsè teſtatur P. F. Thomas Cantipatranus noſter antiquiſſimus ſcriptor, qui (vt aſſerit Gregorius Coluenarius in eius, vita, in libro Boni Vniuerſalis de Apibus ab eodem F. Thoma Cantiprano compoſito appoſita, illum diem vidiſſe extremum xv. Maij ann. MCCLXXX. affirmat) in quibuſdam Rithmis à ſe in honorem ipſius B. Viri editis in eodem libro de Apibus exiſtentibus, ita cecinit.

Hinc Terram Sanctam adijt
Fratres illic inuiſere,
Sed cum per mare redijt
Mergendo cepit pſallere
Chriſtumque benedicere;
Sicque Cælum mox ſubijt,
Vt ſignis datur credere.

Emicuit diu in Ordine hęc Prouincia editis pręſtantiſſimis Viris, donec Turcarum, atque Schiſmaticorum vi dirutis, violatiſque fratris Cœnobijs, paulatim ita defecit, vt in Generali Capitulo apud Argentinam anno 1417. celebrato eligendi Prouincialem facultas ab eadem fuerit ſublata, inſtitutione illis Magiſtro Ord. pro tempore in futurum demandata: ita enim habetur commiſſione 1. *Committimus, & concedimus Reuerendiſſ. Magiſtro Ord. inſtitutionem Priorum Prouincialium Terræ Sanctæ, & Græciæ abſque dictarum Prouinciarum electione quacunque, quotieſcumque dicti Prouinciales vacauerint.*

In prędictę igitur commiſſionis exequutionem, Magiſtri Ordinis ab eo tempore Prouinciales in hac Prouincia creauere (qui mos ducentorum annorum decurſu etiam in Prouincia Gręcię, vt cum de illa tractauimus, retulimus, perſeuerauit) in cuius teſtimonium hęc ab anno 1474. in Regeſtis P. F. Leonardi Manſueti Generalis Magiſtri teſtata leguntur. *Magiſter Marianus de Roma fuit inſtitutus Vicarius Generalis ſuper tota Prouincia Terræ Sanctæ cum pleniſſima poteſtate, etiam abſoluendi Priores; & duret hoc Vicariatus officium quouſque per Reuerendiſſimum Magiſtrum Ordinis, vel per futurum Prouincialem fuerit aliter ordinatum. Dat. Romæ 14. Auguſti 1475. Et nullus inferior impediat.*

Poſt duos autem annos ad petitionem Principis Venetiarum P. F. Hieronymus de Bricinis fuit ab eodem Magiſtro Ord. Prouincialis inſtitutus; ita enim in ſuprad. Regeſtis habetur. *Magiſter Hieronymus de Bricinis de Venetijs fuit inſtitutus Prouincialis Terræ Sanctæ, & abſolutus omnis alius Vicarius, cum plenaria poteſtate, petente hoc Sereniſſ. Principe, & toto dominio Veneto. Datum Venetijs 27. Maij 1477.*

Permanſere attamen diu plures Conuentus in hac Prouincia ſuper quos Generalis Vicarius fuit inſtitutus P. Magiſter F. Andreas Spina à P. F. Seraphino de Bellandinis de Florentiâ Procuratore Ordinis, ac Vicario Generali Magiſtri Generalis Ioannis de Finario, in cuius Vicarij Regeſtis, ita dicitur: *Magiſter Andreas Spina de Piſis auctoritate Reuerendiſſ. Protectoris Card. S. Sixti, & Magiſtri Ord. factus eſt Vicarius Generalis ſuper omnes partes Orientis, exceptis Conuentibus ſubiectis Prouinciali Græciæ, & Conuentu Chienſi: ſuper omnes Conuentus ædificatos, & ædificandos, & ſuper omnes Fratres præſentes, & futuros cum omni auctoritate, quam habere ſolent Prouinciales ſuper eorum Conuentibus. Inſuper inſtitutus eſt Vicarius Prouinciæ Terræ Sanctæ cum auctoritate prædicta. Romæ 27. Maij 1533.* Et ibidem immediatè ſubditur. *F. Franciſcus Famaguſtanus de Cipro inſtitutus eſt auctoritate prædicta Viceuicarius Prouinciæ Terræ Sanctæ in abſentia præfati Magiſtri Andreæ Vicarij dictæ Prouinciæ, cum auctoritate, quam habet ipſe Magiſter Andreas. Romæ 27. Maij 1533.*

Deficientibus autem ob Turcarum tirannidem omnibus Conuentibus, Prouincialis Terrę Sanctę titulus à Magiſtris Ordinis vni ex duobus ſibi Socijs titularibus Prouincialibus concedi ſolet, qui loco inter alios Prouinciales gaudet: Talem autem Prouincialem Vicarij Ordinis inſtituere non poſſunt; ita enim fuit declaratum Romę 1542. ord. 2. *Item ordinamus quod Vicarius Ordinis poſt mortem Generalis non poſſit inſtituere propria auctoritate Prouincialem Terrę Sanctæ, ſed ſeruetur Magiſtro Ordinis.*

PRO

PRO PROVINCIA ARAGONIAE.

XIV.

ARagonię Prouincia An. Dom. MCCIIC. in Metenſi Capitulo per modum inchoationis; deinde Maſſilię MCCC. per modum approbationis, ac tandem Colonię MCCCI. per modum confirmationis fuit à Prouincia Hiſpanię cum Catalonia, & Nauarra ſeparata, prout ſupra, dum de prefata Prouincia ageremus, fideliter ex dictorum Capitulorum Actis retulimus.

Incidit aliquando in mala tempora hęc quoque Prouincia, Regulariſque Obſeruantię iactura facta, ſicut cœterarum miſerias fuerat experta, ita & aliquarum reformationem fuit poſtea fœliciter amplexata: Cum enim ex ordinationibus Generalium Comitiorum Argentinę 1417. & Metis 1421. atque Colonię 1428. (vt ſupra Pro Prou. Lombardię enarrauimus) aliqua huius Prouincię Cœnobia ad meliorem viuendi normam ſe reduxiſſent, ex eiſdem particularis quędam Congregatio fuit conflata, cui in Vicarium Generalē à Reuerendiſs. Magiſt. Ord. P. F. Leonardo de Manſuetis de Perufio prefectum fuiſſe P. Bacealaureum F. Bartholomęum Penadeſium ex Regeſtis eiuſdem Magiſtri Ord. ita apparet. *Die 4. Iuly 1474. F. Bartholomæus Penadeſij Baccalarius de Conuentu Hylerdenſi fuit inſtitutus Vicarius Generalis ſuper omnibus Conuentibus reformatis, & reformandis in Prouincia Aragoniæ, cum auctoritate pleniſſima ſuper dictis Conuentibus, & Fratribus, & recipiendi Fratres voluntarios ad præfatos Conuentus, ibique eos aſſignandi, & faciendi filios natiuos Conuentuum prædictorum; & quod nullus inferior moleſtet dictos Conuentus; ſoluant tamen contributiones Magiſtro, & Procuratori: & quod poſſit incorporare Fratres Conuentus Hylerdenſis in Studio Hylerdenſi.* Quo verò anno prefata Congregatio fuerit inſtituta, & quis eius extiterit primus Vicarius, deficientibus antea ctorum temporum Regeſtis Magiſtrorum Ord. referre non valemus.

Perſtitere diu ſub diuerſi capitis regimine hęc Prouincia, & Congregatio prefata, donec à Clemente VII. dato Apoſtolico Breui, iterum ſub vno eodemque Paſtore vnitę, in Prouinciam Aragonię Reformatā fuit declarata. Ita enim habetur in Cap. Romano 1532. denunciat. 2. *Item* (ſcil. denunciamus) *eundem Sanctiſs. D. N. extinxiſſe Congregationem olim Prouinciæ Aragoniæ, ac poſuiſſe ſub obedientia Prouincialis, & Prouinciæ Reformata.*

Sardinię Inſulæ Conuentus tandē ad petitionem eorundem Fratrum fuerunt ab hac Prouincia ſegregati, proprio eiſdē conſtituto Vicario. Bononię 1615. vt ſuo loco dicemus.

Pro exequenda igitur regularis vitę obſeruantia, ſequentia in diuerſis Generalibus Capitulis fuere pro hac Prouincia ſancita.

1 Examinatores Vocalium Capituli Prouincialis per publica vota nominentur à PP. Magiſtris. Romę 1650. *Ordinamus ad euitandas fraudes, ac moras, quod examinatores vocalium pro electione Prioris Prouincialis deſignentur, ac nominentur per vota publica à PP. Magiſtris ſecundum ordinem graduum antiquioribus, atque PP. Prouinciæ; & hoc fiat feria quinta ante Dominicam*, Deus qui errantibus.

2 Conuentus manuteneantur in antiqua ſua poſſeſſione, etiamſi duodenarium Fratrum numerum non alant, in electione Prioris Prouincialis. Romę 1650. *Tametſi in Capitulo Generaliſſ. Romæ 1644. ord. 2. ſpeciali pro hac Prouincia, Priores de facto non alentes duodenarium numerum Fratrum excludantur à ferendo ſuffragio in Capitulo Prouinciali; hoc tamen declaramus eſſe limitandum per aliam eiuſdem Capituli declarationem communem num. 3. quæ ſic habet. Declaramus quod Priores Conuentuales quorum Cœnobia, &c.* Quam vide per extenſum in p. p. de Elect. Prioris Prouincial. num. 4. In prefato autem Generaliſſimo Capitulo mandatum fuerat abſolutè priuandos eſſe voce Priores, qui duodecim Fratres nequaquam alerent: ſicut etiam in eodem Capitulo, & ordinatione decretum fuerat Predicatores Generales eſſe voce deſtituendos, qui cuiuſcunque officij cauſa extra proprios permanerent Conuentus, quod tamen Romę 1650. fuit in hunc modum reuocatum. *Volumus, ac peculiariter obſeruari mandamus in hac Prouincia ord. 15. Capit. Romani 1629. Valentia 1647. pro toto Ord. confirmatam, qua ſtatuitur quod Prædicator Generalis manens extra Conuentum illum, pro quo fuit inſtitutus, nequaquam gaudeat voce actiua, niſi fortè à Superioribus alio aſſignaretur, vel occuparetur in officio Prioris, Supprioris, Vicarij alicuius domus, Magiſtri Nouitiorum, Syndici, Confeſſarij Monialium,*

vel Lectoris, aut Prædicatoris actu legentis, ſiuè prædicantis; non obſtante quoad hoc cit. Capit. Generaliſsimo ordinat. 2. ſpeciali pro hac Prouincia.

3 Inſtante Prouincialis electione nullus Prior eſt voce priuandus actiua, niſi ante tres menſes per Prouincialem de conſilio quatuor grauiorum Patrum per ſententiam fuerit voce priuatus Romę 1650. *Inhærentes diſpoſitioni Capit. Romani 1629. qua vniuerſaliter admonentur Priores Prouinciales ne in poſtremo ſui officij anno, præcipue infra tres vltimos menſes ſui regiminis abſque vrgentiſſima neceſſitate abſoluant Priores à ſuis officijs, præterquam in caſibus per Sac. Conſtit. expreſſis; ideo ad peruertendas lites instante noui Prouincialis electione decernimus, & declaramus nullum Priorem Conuentualem eſſe priuandum voce actiua in quacunque futura electione Prouincialis, niſi ante tres menſes futuræ electionis per Priorem Prouincialem de conſilio ad minus quatuor grauiorum Patrum per ſententiam priuetur voce, exceptis caſibus per Conſtitutiones expreſſis.*

4 In Conuentu Cęſarauguſtano S. Idelphonſi nullus aſſignetur graduatus, qui illius non ſit filius. Romę 1650. *Ordinamus, & diſtrictè inhibemus ne in Conuentu noſtro Cæſarauguſtano S. Idelphonſi vllus graduatus aſſignetur, qui non ſit filius dicti Conuentus; & ex nunc reuocamus aſſignationes cuicumque, quouis titulo, aut occaſione aliter datas, & ſic aſſignatos remouemus à prænominato Conuentu S. Idelphonſi, aſſignantes eos, ſuis Conuentibus originalibus, vel vbi placuerit Ad. R. P. Prouinciali.*

5 Conuentus, & Monaſteria noſtra Valentiæ ſint vniformes in ritu diuini officij. Romæ 1650. *Concedimus etiam Conuentibus, & Monaſterijs noſtris intra muros Ciuitatis Valentiæ, quod cum præcipuo noſtro Conuentu Prædicatorum ibidem ſe conforment, tum in officio de S. Vincentio Ferrerio ſingulis ferijs 2. non impeditis, tum in alijs peculiaribus feſtiuitatibus dicti Conuentus principalioris.*

6 Vt Prouinciales Conuentus in Inſulis Maioricarum conſtitutos per ſe ipſos viſitarent in principio aſſumpti regiminis, vel ſaltim ſemel toto tempore quadriennij, cœteris autem vicibus per Vicarium Prouincialem, ſeu Viſitatorem ex eiſdem Prouincijs aſſumptum, mandatum illis fuerat Romæ 1644. Veruntamen poſtea Romæ 1650. de hac re ita ſancitum fuit. *Reuocamus ob cauſas nobis bene viſas ordinationem Capituli Generaliſſimi Romani 1644. qua ſtatuebatur Conuentus Regni Maioricarum viſitandos fore deinceps ab ipſomet P. Prouinciali perſonaliter, vel per aliquem Patrem ex eiſdem Inſulis: porrò id totum reliquimus (vti antea) prudentiæ, & arbitrio Prouincialis, vt vel per ſe ipſum illic viſitet, ſi poteſt, vel impeditus alium quemcumque idoneum Viſitatorem deſtinet.*

7 Modus eligendi Cathedraticos in Vniuerſitate Maioricenſi fuit ſtabilitus Romæ 1650. *Vt certus aliquis, & conſtans modus eligendi Cathedraticos in Vniuerſitate Maioricenſi ſtabiliatur, ordinamus, ac præſcribimus, ab ijs, ad quos ſpectat, eligendos eſſe à prima die Auguſti anni præcedentis: neque teneatur Prior, vel Præſidens conuocare ſuffragatores, niſi eos, qui tunc fuerint in Ciuitate ſuppoſito ſtatuto die: Porro ſeruetur modus, ac forma ſicut in electione Prioris, ita quod ſi euoluto menſe non fuerit facta electio, deuoluatur ad P. Prouincialem. Si autem cõtigerit mori Cathedraticum; menſis pro noua electione computetur à die obitus excluſiuè. Volumus etiam quod ad Cathedram Artium ſemper præponantur, & eligantur Lectores vacantes, ſi qui inueniantur, qui curſus Artium in Conuentu S. Dominici Ciuitatis iam expleuerint.*

8 Nulli Cathedratico eligatur aliquis ordinarius ſubſtitutus. Romæ 1650. *Ordinamus quod impoſterum nulli Cathedratico eligatur aliquis ordinarius ſubſtitutus, niſi poſt quindecim annos Cathedræ; & tunc modo ſuperius præſcripto fiat prima die Auguſti electio ſubſtituti.*

8 In quocumque Theologiæ ſtudio ſint adminus octo Studentes, & in quolibet Artium curſu adminus ſex. Valentiæ 1647. *Ordinamus quod in omni ſtudio Theologiæ ſint decem, vel ad minus octo Studentes, & in quolibet curſu Artium octo Studentes, vel ad minus ſex. Si autem per tres menſes continuos minor numerus fuerit, & non reparetur; lectiones horum Lectorum nullo modo ad obtinendos gradus computetur: & ſi hoc contingat in Studijs Generalibus, talis Conuentus ex tunc priuilegijs Vniuerſitatis ſit priuatus.* Quod etiam Pariſijs 1611. mandatum fuerat.

10 Artium curſus in Conuentibus tantum, in quibus eſt formalis Nouitiorum domus, conſtituatur. Pariſijs 1611. & Valentiæ 1647. ita dicitur. *Ordinamus quod curſus Artium nulla ratione, vel cauſa ponatur in Conuentibus vbi non eſt formalis domus Nouitiorum, & tales Lectores, ac ſi non legiſſent, in ordine ad gradus obtinendos iudicentur.*

11 Lectores omnes examinentur ſolum in Conuentibus Barcinonen. Cæſarauguſt. Maioricen. & Valentino. Valentiæ 1647. *Ordinamus quod Lectores omnes, ſiuè Artium, ſiuè Theologiæ, examinentur ſolum in quatuor præcipuis Conuentibus; videlicet, Barcinonenſi, Cæſarauguſtano, Maioricenſi, & Valentino; & ſi in alijs Conuentibus examinentur, pro non Lectoribus habeantur.*

12 Prædicatores quoque, & Confeſſores in ſupradictis Conuentibus examinentur: ita ſubditur in ſupradicta ordinatione, & Capitulo. *Idem dicimus de Prædicatoribus, & Confeſſoribus exponendis, auferentes circa hoc auctori-*

ta-

tatem diſpenſandi ab AA. RR. PP. Prouincialibus.

13 Colleginm SS. Vincentij, & Raymundi de Barcinona fuit Valentiæ 1647. acceptatum. *Acceptamus in Ciuitate Barcinonenſi Collegium ſub tit. S.S.Vincentij, & Raymundi fundatum ab Illuſ. Domina Eulalia Ferrer, & Iorda de noſtra Relig. valde benemerita, ex cuius liberali manu 300. circiter millia ducatorum accepimus.*

14 Magiſtri voce non gaudeant quouſque à Prouincia acceptentur. Romæ 1644. *Ordinamus, vt Magiſtri, qui impoſterum creabuntur non gaudeant voce actiua in electione Prioris Prouincialis quoad vſque fuerint à Prouincia acceptati.*

15 In Dertuſenſi Collegio ſeruetur alternatiua, tam quoad Rectores, quam Lectores eiuſdem. Romæ 1629. *Ordinamus in noſtro Dertuſenſi Collegio obſeruandam impoſterum Alternatiuam in electionibus Rectoris, Regentis, & Lectorum Theologiæ, & Philoſophiæ, ita vt ex tribus Theologiæ Lectoribus, vnus ſit ex Regno Cataloniæ, alter ex Regno Aragoniæ, & alius ex Regno Valentiæ. Rector verò Regens, & Lector Artium alternatiuè ſint ex tribus nominatis Regnis.*

16 Gerundenſis Conuentus in Generale huius Prouinciæ Studium fuit erectum. Romæ 1629. *Erigimus in Studium Generale huius Prouinciæ Conuentum Gerundenſem de Aierue, & Ciuitatis de Xatiua cum omnibus gratijs, & priuilegijs ceterorum Studiorum Generalium noſtri Ord.*

17 Vt Lectores Conuentuum S. Honnphrij, & de Tremp, & Oſcen, pro gradu, & forma Magiſterij legere poſſint, conceſſum fuit Romę 1629. *Concedimus Conuentibus noſtris S. Honuphrij, & de Tremp, & Oſcen, vt Lectores eorundem pro gradu, & forma Magiſterij in eiſdem legere valeant.*

18 Neque in Lectorem, neque in Pręedicatorem exponatur, aliquis, qui per quatuor annos Theologiam non audierit. Romę 1629. *Ordinamus, vt nullus poſſit inſtitui Lector Artium, nec ad officium prædicationis exponi, quin prius Theologiam per quatuor annos audierit; præcipimuſque PP. Moderatoribus ſub formali præcepto, vt nullum ad prædictorum munerum examen admittant quin huiuſmodi conditionem adimpleuiſſe authenticè conſtiterit.*

19 Pro Conuentu Inſulæ de Iuiſa ſequentes emanauere ordinationes Romæ 1629. *Ordinamus in Conuentu Inſulæ de Iuiſa, vt Priores abſentes electi, & confirmati, non intelligantur incipere ſui officij tempus, niſi à die, quo litteræ patentæ confirmationis in dicto conuentu ipſo præſente lectæ fuerint. Propterea mandamus omnibus prædictis Prioribus, vt infra ſpatium octo dierum à ſua confirmatione, verſus præfatum conuentum iter recto tramite arripere teneantur.*

Item ordinamus, vt Viſitator ad dictum conuentum miſſus non poſſit eiuſdem Vicarius inſtitui, teneaturque per ſpatium, ſaltem vnius menſis ſuum munus abſoluere, & Fratres, quos reos inuenerit, ibidem punire, neque ad Regnum Valentiæ puniendos (niſi ex vrgentiſſima cauſa, & proceſſu contra eos prius completo) mittere. Expenſas verò viſitationis arbitrio A.R.P. Prouincialis volumus eſſe taxandas.

Item præcipimus Priori, ac depoſitario dicti Conuentus ſub pœna priuationis vtriuſque vocis, vt contributionem à Ciuitate de Iuiſa Conuentui pro fabrica collatam, in alios vſus conuertere non audeant, ſed fabricæ eiuſdem totam applicent.

Item ordinamus, vt filij dicti Conuentus in Collegium Dertoſenſe admittantur, ac lectura iuxta eorum merita decorentur.

Tandem concedimus auctorit. Apoſtolica, vt in dicto Conuentu poſſit eſſe domus educationis Nouitiorum cum quaternario ſaltem Nouitiorum numero.

10 In Valentino Conuentu Hebraicæ linguæ lectio fuit instituta Romæ 1629. in hunc modum. *Ordinamus in Conuentu noſtro Valentiæ, & iuxta Conſtitutionem Pauli V. lectionem linguæ Hebraicæ inſtituimus; pro cuius lectura P. F. Ludouicum Marcum deſignamus cum omnibus gratijs, & priuilegijs Lectorum actu legentium: præcipimuſque A.R.P. Prouinciali, vt ex ſingulis huius Prou. Regnis duos Fratres ad dictam lectionem audiendam in præfato Conuentu aſſignet: cui etiam lectioni volumus omnino intereſſe omnes eiuſdem Conuentus Studentes triennio per acto vſque ad quadriennium completum; hac tamen conditione, vt quarto anno primariam tantum Theologiæ lectionem audire teneantur.* Prçfata autem Pauli V. Conſtitutio, quæ data fuit Romæ apud S. Marcum pridie Kal. Auguſti ann. Dom. M.D.C.X. fuit denunciata Ordini in Capit. Generali Pariſienſi ann. M.D.C.XI. celebrato denunciat. 3.

21 Pro eodem Conuentu ordinatum fuit expenſas pro Prouincialibus, ſocijſque eorum faciendas, æqua portione diuidendas eſſe inter illum, & Conuentum del Pilar; & Cæſarauguſtæ inter Conuentus Prædicatorum, & S. Idelfonſi. Romæ 1629. *Item pro dicto Conuentu* (ſcilicet Valentino ſuprad.) *ordinamus, vt expenſæ pro victu P. Prouincialis, & Sociorum extra tempus viſitationis faciendæ, æquis portionibus diuidantur inter iſtum Conuentum, & Conuentum del Pilar, quod etiam fiat Cæſarauguſtæ inter Conuentum Prædicatorum, & Conuentum S. Idelfonſi.*

22 In Conuentu S. Idelfonſi viginti Fratres aſſignati exiſtant, ex quibus ſex ſint Nouitij, regulariſque obſeruantia in eo vigeat.

Ro-

Digitized by Google

Romæ 1629. *Item ordinamus quod in dicto Conuentu S. Idelfonſi omnino commorentur viginti Fratres aſſignati, ex quibus ſex ſint Nouitij in domo Nouitiorum, & in eo Conuentu vigeat regularis obſeruantia, & Conſtitutiones ad vnguem obſeruentur iuxta mentem Fundatoris, & ordinat. 16. Capit. Valliſolet. 1605. Præcipimuſque R. P. Prouinciali pro tempore ſub pœna abſolutionis ab officio, vt hæc exequutioni mandari curet, quibuſcumque in cont. non obſtant.*

23 Recipiendi ad habitum pro minoribus Conuentibus, examinentur etiam in maioribus, vbi ſunt habitum recepturi. Toloſæ 1628. *Ordinamus, vt recipiendi ad habitum pro minoribus Conuentibus, examinentur etiam in maioribus, in quibus habitum ſuſcepturi ſunt.*

24 Paruorum Conuentuum Priores inuigilent, vt Fratres ad Chorum conueniant. Toloſæ 1628. *Curent maximè Priores minorum Conuentuum, ne Fratres tempore officij abſint, & nulli licentiam exeundi concedant, niſi decem ſaltem Fratres in choro pro Miſſa cantanda adeſſe poſſint.*

25 Omnes ad hebdomadariæ munus ſubeundum tenentur. Toloſæ 1628. *Omnes ad officium hebdomadariæ teneantur, iuxta ordinationes à Reuerendiſs. P. Generali in Viſitatione relictas.* Erat tunc Magiſter Ord. P. F. Seraphinus Siccus de Papia.

26 In Collegijs nullus abſque conſenſu P. Prouincialis in Lectorem eorundem promoueatur. Toloſæ 1628. *In Collegijs nullus in Lectorem actualem eligi poſſit, niſi conſentiente P. Prouinciali pro tempore exiſtente.*

27 Non audiantur qui poſt vltimam viſitationem, de præteritis contra aliquem denunciare voluerint. Toloſæ 1628. *Confirmamus ordinationem in Capit. Prouincialibus factam, vt (ne querelæ ſint immortales) non audiantur qui poſt vltimam viſitationem contra aliquem de præteritis denunciare voluerint; & in accuſationibus ſeruetur ordo iudicij à noſtris Conſtitut. præſcriptus; & deficientes in probatione ſeueriſſimè pœnis taxatis puniantur.*

28 Confeſſores Monialium Prioribus abſentibus remanent earum Vicarij. Toloſę 1628. *Admonemus P. Prouincialem ne Vicarios Monialium multiplicet: quandoquidem iuxta decretum S. Congregationis Regularium, abſente Priore, non quidem Supprior, ſed Confeſſor pro Priore ſuccedit.*

29 A Studentibus extraneis votum in electionibus ablatum fuit Mediolani 1622. *Cum nonnulli R. P. Studentes extranei (vt à P. Prouinciali ſignificatum fuit) voce in electionibus priuari cupiant, quod ſic multis ſeſe moleſtijs expediant, æqui bonique conſulimus, vt obtenta à Sanctiſs. D. N. deſuper facultate ijdem extranei Studentes priuati voce in electionibus declarentur.*

30 Ordinationes factas à Reuerendiſs. Mag. Ord. P. F. Seraphino Sicco circa ætatem graduandorum, non eſſe intelligendas de Pręſentatis, declaratum fuit Mediolani 1622. *Declaramus Ordinationem Reuerendiſs. Magiſt. Ord. de ætate graduandorum, intelligendam eſſe de Magiſtris, & Prædicatoribus Generalibus, non autem de Pręſentatis, iuxta eiuſdem Reuerendiſs. Generalis mentem.*

31 Ordinationes factæ à præfato Mag. Ord. P. F. Seraphino Sicco pro Conuentu S. Idelfonſi, fuere in Capitulo Vlyſſiponæ habito an. 1618. confirmatæ. *Confirmamus ordinationes, quas R. N. Magiſter Ordinis in ſua viſitatione reliquit pro Conuentu S. Idelfonſi Cæſarauguſtæ: admonemuſque Priores illius Conuentus, vt voluntatem teſtatoris inuiolatè adimpleant.*

32 Supprior non ſit Frater Prioris, neque Suppriorisſa ſit Priorisſæ germana Soror. Vlyſſiponę 1618. *Confirmamus ordinationem ſæpè factam ne duo Fratres carnales ſibi in Prioratu ſuccedant, neque Supprior ſit Frater Prioris, quam ordinationem ad Moniales extendimus.*

33 Nemo Præſentatus inſtituatur, qui Philoſophiam, & Theologiam per ſeptem annos non docuerit. Bononiæ 1615. *Ordinamus, vt nemo ad Præſentaturam promoueatur, niſi Philoſophiam, & Theologiam per annos ſeptem legerit, inter quos computamus etiam tempus, quo Magiſtri Studentium officio functus fuerit; neque promoueatur ad Magiſterium, niſi poſt Præſentaturam per quatuor annos publicè Theologiam in aliqua Vniuerſitate, ſiuè noſtri Ord. ſiue ſecularium docuerit: abſoluto verò iſto annorum vndecim tempore in lectura, & non aliter, alijs, vt idem officium exercere valeant, locum cedere debeat, niſi ob inſigne, & excellens ingenium cum aliquo diſpenſetur à P. Prouinciali de grauiſſimorum Patrum conſilio.*

34 F. F. Conuerſi profeſſionem pro illis Conuentibus emittant, in quibus habitum ſuſcepere, neque ab eiſdem amoueantur. Pariſijs 1611. Romæ 1612. & Bononiæ 1615. ita dicitur. *Confirmamus ordinationem Capitulorum Generalium proximè præteritorum, vt Fratres Conuerſi profeſſionem emittant pro illis Conuentibus, in quibus habitum ſuſceperunt; neque ab illis amoueantur, niſi cauſa alicuius ſcandali.*

35 Prouincialis, Nouitios in maioribus Conuentibus receptos, pro minoribus abſque alia declaratione filios facere poteſt. Bononiæ 1615. *Item* (ſcil. ordinamus) *vt P. Prouincialis Nouitios in maioribus Conuentibus receptos pro minoribus Conuentibus, in quibus non eſt domus Nouitiorum, abſque alia declaratione filios facere poſſit, qui Conuentus minores dictis Nouitijs de veſtibus prouidere teneantur.* Hoc idem

i fue-

fuerat eiſdem Prouincialibus pro tempore conceſſum à Mag. Ord. Beccaria ex viuæ vocis oraculo, quod fuit etiam confirmatum, Romę 1612.

36 Nullus Prior in alterius Conuentus Priorem aſſumatur niſi poſt completum bienninm ſui muneris. Bononiæ 1615. *Confirmamus quod iam aliàs ordinatum eſt, vt nemo Priorum ex vno Conuentu ad alium in officio Prioratus aſſumatur, niſi biennium in Priori Conuentu compleuerit, exceptis quatuor præcipuis Conuentibus Barcinonenſi, Cæſaraugustano, Valentino, & Maioricenſi.* Quod fuerat iam antea ordinatum, Neapoli 1600. his verbis additis in ord. 15. *Et ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.*

37 Si electus in Priorem litteras ſuæ confirmationis ante Septuageſimam receperit, eaſdem intra ſex horarum terminum legi faciat. Bononiæ 1615. *Declaramus, & ordinamus, quod electus in Priorem, ſi litteras ſuæ confirmationis ante Septuageſimam receperit, eaſdem ſibi intra ſex horarum ſpatium à tempore receptionis computandarum legi, ac intimari faciat: quod ſi propter earundem litterarum vltra dictum ſex horarum tempus determinationem tertium ſui Prioratus annum intra Septuageſimam cum finire contigerit, & de hoc conſtiterit, Prioratus ipſius nullo modo prolongetur, ſed tres anni in dicto officio illi computentur à die, & tempore, quibus litteræ patentes confirmationis ad manus ipſius electi perueniſſe conſtiterit, quod inuiolabiliter obſeruari volumus.*

38 Vniuerſitas Oriolenſis fuit acceptata. Romæ 1612. *Acceptamus de nouo Vniuerſitatem in noſtro Collegio B. Mariæ de Succurſu, & S. Ioſeph Ciuitatis Oriolen. Apoſtol. auctoritate Iulij III. & Pij V. fundatam, & in Cap. Gener. Romæ celebrato anno 1569. acceptatam, hortamurque R. P. Rectorem dicti Collegij, vt præclarum opus iam inceptum in vberiorem Vniuerſitatis ſplendorem, Angelicique Doctoris D. Thomæ Aquinat. dictæ Vniuerſitatis Patroni gloriam ad debitum finem perducat.* Salmanticæ autem 1551. Conuentus Barchinonen. & Valentinus fuere in Vniuerſitates ad legendū pro gradu, & forma Magiſterij erecti, vt ſupra Pro Prou. Toloſana num. 27. retulimus.

39 Priores non reeligantur in eodem Conuentu poſt completum ſui officij tempus. Romæ 1612. *Ordinamus in Prou. Aragoniæ ad eius petitionem ne impoſterum concedatur quod Priores poſſint reelegi in eodem Conuentu immediatè poſt completum officium ſui Prioratus, niſi Ad. R. P. Prouincialis pro tempore rationes vocalium petentium eundem Priorem de nouo eligi in eodem Conuentu, veras, & neceſſarias iudicauerit atque ipſi petitioni ſe ſubſcripſerit.*

40 Lectio textus D. Thomæ, tantùm in Vniuerſitatibus habeatur. Pariſijs 1611. *Lectio tex. D. Thomæ nouiter inſtituta ſolummodo in Vniuerſitatibus habeatur, in alijs vero ſtudijs tantum erunt duæ ordinariæ lectiones Theologiæ, nec vlla ratione in ijs Conuentibus deſignetur Regens, nec Magiſter ſtudij, ſed Lectores Theologiæ eorum officia exercere debeant. In Vniuerſitatibus autem lectio illa tertia à ſolis PP. Regentibus iam Magiſtris legenda eſt, nec debet pro forma, & gradu Magiſterij alicui prodeſſe.*

41 Ilerdæ Cœnobium fuit in Vniuerſitatem reſtitutum Romæ 1601. ord. 35. *Ordinamus, quod Conuentus Ilerdæ, qui tanto tempore in litteris floruit, priſtino ſtatui reſtituatur, videlicet vt ſit Vniuerſitas, ſicut de facto reſtituimus cum iam nunc alere poſſit, & Officiales ſtudij, & numerum Studentium ſufficientem.* Fuerat iam pridem in Vniuerſitatem erectum ex conceſſione Capit. General. Romani 1571. prout habetur conceſs. 7.

42 Dertuſenſe Collegium ſuis PP. Collegialibus de veſtibus, & calceamentis prouidere tenetur. Neapoli 1600. ord. 15. *Ordinamus in Prouincia Aragoniæ, quod Collegium Dertuſenſe ſuis Collegialibus ibidem degentibus de veſtitu, & calceamentis omnino prouidere teneatur non obſtante ordinatione in contrarium alias facta, & in Capit. Romano 1589. confirmata, cum fabricam Eccleſiæ dicti Collegij ad deſideratum finem ferè productam intellexerimus.*

43 Lectores in ſecularium Vniuerſitatibus legentes Lectorum Ord. priuilegijs potiantur. Romæ 1580. conceſs. 7. *Concedimus Prouinciæ Aragoniæ ad eius petitionem quod Lectores qui cathedras ſecularium regunt, priuilegijs gaudeant, quibus alij Lectores in Ordine gaudent, & computetur eorum lectura ad curſus pro Gradibus ſuſcipiendis.*

44 Conuentus, in quibus non ſunt Lectores Artium, & Theologiæ, priuilegijs Vniuerſitatum non ditantur. Ita ſubditur in ſuprad. Capit. 1580. conceſs. 8. *Concedimus eidem* (ſcilicet Prouinciæ Aragoniæ) *quod Conuentus non gaudeant priuilegijs Vniuerſitatum, niſi ſint duæ lectiones S. Theologiæ, & Artium.*

45 Alternatiua in electionibus Prouincialium eligendorum ſecundum Nationum diuerſitatem fuerat à Magiſtro Ord. F. Vincentio Iuſtiniano inſtituta, quæ tamen poſtea Barcinonæ 1574. fuit in hunc modum reſtitut. i. ſublata. *Reſtituimus in priſtinam libertatem Prouinciam Aragoniæ, ipſa petente, circa electionem Prouincialis, reuocantes ordinationem aliàs ſuper hoc factam, vt de cætero ex qua Natione voluerit, Prouincialem eligere poſſit.* Veruntamen poſtea pro huius Prouinciæ pace iterum alternatiua ex tribus præcipuis Nationibus Romæ 1601. ord. 34. in huuc modum reſtituta eſt. *Ordinamus in Prou. Aragoniæ ad eius petitionem id quod iampridem à Reuerendiſs. Mag. Iuſtiniano fuerat ordinatum, vt inſti-*

ſtitiæ diſtributiua nullatenus iniuria irrogetur, quod Prouinciales alternatiuè eligantur (dummodo digni, & habiles ibi reperiantur, & non aliàs) ex tribus præcipuis Nationibus incipientes à Catalonia. Declarantes quod ſi aliquando mori, vel amoueri contigerit aliquem ex eis, non poſſint reeligi ex eadem natione, ſed deuoluatur electio ad ſubſequentem Nationem. Quod fuit confirmatum Valliſoleti 1605. conf. 36. hac declaratione addita. *Declarantes Conuentus Regni Maioricarum, & Ebuſij pertinere ad Nationem Valentinam; Conuentus autem Sardiniæ ad Nationem Cataloniæ.* Qui poſtea Conuentus in particularē Vicariam fuere erecti Bononiæ 1615. vt ſuo loco dicemus. Idem fuit etiam confirmatum Romæ 1612. *Confirmamus alternatiuam conceſſam eidem Prouinciæ Aragoniæ in duobus Cap. Generalibus Romano anno 1601. & Valliſoletano 1605. celebratis circa electionem P. Prouincialis, quam volumus inuiolabiliter obſeruari.*

46 Prouinciales electi, ſtatim Prouinciæ regimen aſſumere, tanquam eiuſdem Vicarij, debent. Ita conceſſum eidem fuit à Reuerend, ſs. P. F. Vincentio Iuſtiniano Magiſtro Ord. quod fuit poſtea ita confirmatum Bononiæ 1564. conf. 10. *Item confirmamus, & approbamus ordinationem factā à Reuerendiſs. Generali pro Aragoniæ Prouincia, quod Prouincialis electus ſtatim Prouinciam regere incipiat; ſic tamen quod tempus ſui Prouincialatus computetur à die, quo fuit electus, & incipit Prouinciam gubernare.*

47 Prouinciales Prouinciam extraordinarijs non vexent expenſis, & contributionibus. Auenione 1561. ord. 6. *Ordinamus, quod in Prouincia Aragoniæ Prouinciales contenti ſint ſolitis contributionibus, & viſitationibus conformiter ad ſeriem noſtrarum Conſtitutionum; nec Prouincia grauari debeat expenſis extraordinarijs pro nuncijs mittendis, ſiuè aliàs, ſed huiuſmodi expenſas teneatur ipſe Prouincialis ſoluere ex ſuis contributionibus, expenſis pro Capitulo Generali dumtaxat exceptis.*

48 Prouinciales, etiam abſoluti, remanent Vicarij Prouinciæ, & electionis, donec alter electus, & confirmatus, fuerit præſens in Prouincia. Romæ 1546. ord. 22. *Item ordinamus quod in Prouincia Siciliæ Priores de cætero ſint biennales, conformiter ad alias Prouincias Italiæ, Prouincialiſque abſolutus, tam in hac Prouincia, quam in Prouincia S. Thomæ, & Prouinciæ Aragoniæ remancat Vicarius Prouinciæ, & electionis, donec ſequens Prouincialis ſit electus, confirmatus, ac præſens in Prouincia: & quatenus opus ſit ſuper præmiſſis impetrentur litteræ Apoſtolicæ, ita tamen quod non arceatur poteſtas Reuerendiſs. Magiſtri Ord. aliter pro arbitrio prouidendi.*

49 Prouinciales poſſunt P. P. à Conſilijs inſtituere. Neapoli 1600. conceſs. 5. *Concedimus R. Prouinciali Aragoniæ, quod in Conuentibus, in quibus non ſunt Patres à Conſilijs de iure, poſſit inſtituere alios Patres, qui Conſilijs interſint, nec à Priore poſſint amoueri, ſed tantum ab ipſo R. Prouinciali.*

50 Nullus ad Magiſterij gradum ante trigeſimum ſextum, nec ad præſentaturam ante trigeſimum annum, promoueatur. Romæ 1583. ord. 12. *Ordinamus, quod in Prouincia Aragoniæ nullus exponatur ad Præſentaturæ gradum ante trigeſimum annum, ad Magiſterium autem ante trigeſimum ſextum.*

51 Neque ad Magiſterium aſſumatur qui in aliqua Vniuerſitate per triennium Sac. Theologiam non legerit. Romæ 1589. ord. 17. *Ordinamus in Prouincia noſtra Aragoniæ ad eius petitionem, vt ad Magiſterij gradum nullus admittatur, qui ſaltem per triennium Sac. Theologiam in aliqua Ordinis Vniuerſitate profeſſus non fuerit: legentes autem in Vniuerſitatibus ſecularium ob huiuſmodi lecturam, non admittantur ad gradus.* Bononiæ autem poſtea 1615. pro aſſumendis in Magiſtros additus eſt quartus Theologicæ lectionis annus. *Vide ſupra num. 33.*

52 Graduati non gaudeant priuilegijs, niſi ab ea fuerint petiti, & acceptati. Ita ſubditur in eadem ord. 17. Cap. 1589. ſuprad. *Et impoſterum Graduati non gaudeant priuilegijs in eadem Prouincia, niſi ab illa fuerint petiti, & acceptati.*

53 Graduatorum numerus in hac Prouincia ita fuit taxatus Romæ 1584. ord. 16. *In Aragonia, Magiſtri 20. Præſentati 30. Prædicatores iuxta numerum Conuentuum.* In ſubſequenti autem Capitulo Romæ 1589. conf. 29. fuit ad eiuſdem Prouinciæ petitionem extenſus ad vigeſimum quintum Magiſtrorum numerus, in hunc modum. *In Prouincia Aragoniæ ad eius petitionem extendimus numerum Magiſtrorum ad numerum vigeſimum quintum et Præſentati verò erunt triginta; Prædicatores Generales iuxta numerum Conuentuum.* Romæ autem 1571. acceptatum fuerat Breue Apoſtolicum à Pio V. Pont. *Max.* datum de graduandis Præſentatis, & *Magiſtris*, cuius nulla alia ſpecialis mentiò fit, ſed tantum ibidem acceptatione 2. ita dicitur. *Acceptamus Breue Sanctiſs. D. N. conceſſum Prouinciæ Aragoniæ, & ab ipſa acceptatum de Graduandis Præſentatis, & Magiſtris.* Præfatum autem Breue fuit acceptatum à Prouincia in Capitulo Prouinciali Oriolenſi ann. 1570. ita enim habetur Pariſijs 1611. *Ordinamus pro bono regimine Studiorum, & vt numerus Graduatorum* (qui tunc exceſſerat numerum præſcriptum ab ipſo Breui Apoſtolico) *ad taxatum numerum antiquum redeat.* 1. *Vt inuiolabiliter obſeruetur Breue S. D. N. Papæ Pij V. eidem Prouinciæ conceſſum, & ab eadem receptum in Capitulo Pro-*

uinciali Oriolenſi anno 1570. *&c.* Poſtea verò Romæ 1612. conceſſum eſt huic Prouinciæ, vt *Magiſtri* triginta quatuor, Præſentati vero quadraginta ſex, ſint; iuxta tamen diſtributionem diuerſarum Nationum, in hunc modum, *Concedimus eidem Prouinciæ* (ſcilicet Aragonæ) *vti in Caplt. Prouinciali proximè celebrando deputentur ex qualibet Natione, videlicet, Cataloniæ, Aragoniæ, & Valentiæ, decem Magiſtri antiquiores, duo ex Inſula Sardiniæ* (quę tamē modo ad hanc Prouinciā nō pertinet) *& duo ex Inſula Maioricarum qui omnes compleant numerum* XXXIV. *Magiſtrorum, qui numerus impoſterum nullo modo poſſit augeri. Volumus autem quod quotieſcumque contigerit aliquem ex dictis* XXXIV. *Magiſtris mori, petatur intra dictum numerum vnus Magiſter ex eadem Natione, cuius erat Magiſter, qui obijt. Prohibemus autem nouos creari Magiſtros loco eorum, quos contigerit mori, ex his qui ſunt extra numerum, quouſque omnes Magiſtri redacti ſint ad præfatum numerum* XXXIV. *Quod ſi forſan aliquis loco illorum, qui ſunt extra numerum, creabitur Magiſter, non gaudeat voce, nec loco nec in Prouincia pro Magiſtro habeatur; neque impoſterum habeantur pro graduatis, niſi illi, qui fuerint petiti ab ipſa Prouincia, & ab ea acceptati, ſicut ordinatum fuit in Capit. Generali Romæ 1589. quam ordinationem de nouo confirmamus, & inuiolabiliter obſeruari volumus.*

Circa num eorū verò Præſentatorum ex qualibet Natione deputētur tredecim, inter quos vnus aſſignetur titulo prędicationis; ex Inſula autem Maioricarum tres, & totidem ex Inſula Sardiniæ, videlicet duo pro lectione, & vnus titulo prædicationis, quem etiam Inſulæ Iuica concedimus, ita vt omnes numerum XXXXVI. *compleant, & adæquent.*

Prædicta autem omnia fuere à Paulo Papa V. dato Apoſtolico Breui ſub die vltima Ianuarij 1613. confirmata, prout aſſeritur Bononiæ 1615. *Confirmamus Acta Capitulorum Generaliū proximè præteritorum Pariſijs* (ſcilicet 1611.) *& Romæ* (ſcilicet 1612.) *pro noſtra Prouincia Aragoniæ, ſingulariter de reductione Graduatorum ad certum numerum; denunciantes à S. D. N.* (erat tunc Paulus V.) *die vltima Ianuarij 1613. ſuper hoc Breue emaneſſe, quo magis, & magis ordinatio præſcripta de numero Graduatorum corroboraretur.*

54 Vt vnus Diffinitor ex Inſulis pro Capit. Prouincialibus ſumatur, ſancitum fuit Valentiæ 1596. ord. 25. quod Romæ 1601. confirmat. 19. fuit ita confirmatum. *Confirmamus illam in Prouincia Aragoniæ* (*vt & aliqua ratio Conuentuum, qui ſunt in Inſulis Balearibus, Sardiniæ, & Iuica haberi videatur, & grauiores, & religioſiores Patres ad illos regendos ſe transferant libentius*) *quod in Capitulis Prouincialibus eiuſdem Prouinciæ vnius Diffinitoris locus eiſdem concedatur, ita vt pro vno Regno contra diſtinctio contra Regnum Aragonię, Catalonię, & Valentię, quibus ſingulis vnus datur Diffinitor, in omnibus computetur.*

55 Prædicatores Generales inſtituantur ſecundum proprias Nationes, & Regna. Romæ 1601. conceſs. 11. *Concedimus Prouinciæ Aragoniæ, & ordinamus, vt nulla ratione inſtituantur Prædicatores Generales, niſi ſecundum Regna, & Nationes, ita vt filius vnius Nationis non inſtituatur pro Conuentu alterius Nationis, ſed ſuæ ſolius.*

56 Priuilegia cum titulo Generalis Studij fuere Conuentui S. Dominici de Maiorica conceſſa. Romæ 1571. conceſs. 10. *Item concedimus Conuentui S. Dominici Inſulæ Maioricæ in Prouincia Aragoniæ titulum, & priuilegia Studij Generalis, ſicut habet Conuentus Barchinonenſis dictæ Prouinciæ, dummodo in præfato Conuentu ſemper habeantur tres lectiones adminus, vna liberalium Artium, duæ verò de Sac. Theologia.*

57 In Conuentu Cæſarauguſtano S. Idelphonſi nullus graduatus aſſignetur niſi aliàs ſit eiuſdem Conuentus filius. Romæ 1650. *Ordinamus, & diſtrictè inhibemus ne in Conuentu noſtro Cæſarauguſtano S. Idelphonſi vllus graduatus aſſignetur, qui non ſit filius dicti Conuentus: & ex nunc reuocamus aſſignationes cuiuſcumque, quouis titulo, aut occaſione aliter datas, & ſic aſſignatos remouemus a prænominato Conuentu S. Idelphonſi, aſſignantes eos ſuis Conuentibus originalibus, vel vbi placuerit Ad. R. P. Prouinciali.*

PRO

PRO PROVINCIA BOHEMIAE.

X V.

FIlia Poloniæ eſt Bohemiæ Prouincia, à qua ſua ſumpſit exordia. Cum enim ex ſpeciali Diuinæ bonitatis gratia Poloniæ Prouincia in plurima, & ampliſſima ſeſe Regna diffudiſset, ita vt moleſtiam non modicã illius Prouincialibus ob ſubeundas Conuentuũ viſitationes inferret; Patres noſtri in Generalibus Comitijs Metis ann. Dom. MCCLXXXXVIII. congregati eam in duas (quarum Prior Poloniam, poſterior verò Bohemiam, & Morauiam complecteretur) ſecandam fore Prouincias per modum inchoationis ſanxere. Sequenti autem anno cum S.R.E. Presbyter Card. creatus fuiſſet menſe Decemb. P. F. Nicolaus de Taruiſio Magiſter Ord. à Bonifacio Papa VIII. (cui poſtea in Apoſtolica Sede ſucceſſit 11. Kal. Nouemb. ann. 1303.) non fuit celebratum Capitulum, vnde præfata diuiſio approbati non potuit: ita enim in libro Actorum Cap. General. habetur. *Anno Dom. 1289. menſe Decembris factus eſt Presbyt. Card. tit. S Sabinæ Venerab. Pater, ac memoriæ recolendæ. Mag. Ord. Prædic. F. Nicolaus de Taruiſio nonus noſtri Ord. Magiſter, & ideo non fuit celebratum Generale Capitulum illo anno* (hoc eſt MCCIC.) *qui talis, ac tantus, ac etiam amplius fuit, qualis, ac quantus deſcribitur in tenore duarum ſequentium litterarum. In pace, & æquitate rexit Ordinem duobus annis cum dimidio.* Fuit igitur approbata Maſſiliæ ann. MCCC. & in Conſtitut. redacta Coloniæ MCCCL. in hunc modum. *Item hanc* (ſcil confirmamus) *quod Prouincia Poloniæ diuidatur, & diuidimus ipſam in duas, ita quod Polonia ſit vna Prouincia, & vocetur Prouincia Poloniæ, & teneat locum in dextero Choro poſt Prouinciam Theutoniæ; Bohemia verò, & Morauia ſint alia Prouincia Bohemiæ, & teneat locum in ſiniſtro Choro poſt Prouinciam Terræ Sanctæ: & hoc habet tria Cap.*

Cum hac Prouincia fuit vnita Congregatio Auſtriæ, illiuſque Conuentus ſub iuriſdictione P. Prouincialis fuere poſiti Romæ 1569. conf. 9. *Confirmamus in Priorem Prouincialem Prouinciæ Bohemiæ R. P. F. Michaelem de Aſt Gennerſem, canonicè electum, per ſexennium, iuxta ord. Cap. Bononien. de hac Prou. factam vna cum plena poteſtate, et auctoritate ſuper Congregationem Auſtriæ, quam eidem Prouinciæ Bohemiæ vnimus, & annectimus, ac incorporamus; cui etiam committimus auctoritatem ſuper Conuentum Tirnariæ, & Monaſteria Sororum, ſi quæ ſunt, & reliquias Prouinciæ Vngariæ cum plena auctoritate: caſſantes quemcumque alium Vicarium Conuentus Tirnauiæ quomodolibet inſtitutum: & hæc ad eorum Fratrum petitionem;* Quæ omnia fuere confirmata Romæ 1571. conf. 15. reuocato tantùm ſexennio Prouincialium ad triennium: quod iterum fuit Barcinonæ 1574. conf. 12. in hunc modum ſancitum. *Item confirmamus vnionem factam in eodem præced. Cap. Romano Congregationis Auſtriæ cum Prouincia Bohemiæ, &c. & innouamus, ſimulque, quod officium Prouincialatus non niſi per triennium duret. & hoc habet tria Cap.* Quantum autem ad præfatum triennium Prouincialium ſancitum eſt Romæ 1629. pro toto Ord. eos quadriennales futuros, exceptis ijs Prouincijs, quæ ſpeciali Apoſtolico indulto eſſent munitæ, vt alibi pluries diximus.

Sicut cum cœteris regularem obſeruantiam fugauerat hæc Prouincia, ita & cum illis eodem tempore ipſam reaſſumpſit, vt ex Regeſt. Mag. Ord. apparet; in quibus P. F. Petrus Ffuldner inuenitur Conuentuum Reformatorum eiuſdem Prouinciæ Vicarius inſtitus à Reuerendiſs. P. F. Leonardo de Manſuetis in hunc modum. *F. Petrus Ffuldner de Vienna Prior Conuentus Brunen. fuit factus Vicarius ad reformandum Conuentum Buduoicen. ſicut petit P. Prior, & alij; cum pleniſſima poteſtate, & ſuper omnibus alijs Conuentibus, & Monaſterijs reformatis dictæ Prouinciæ, reuocando omnem alium Vicarium, donec aliter fuerit ordinatum. Dat. Romæ 10. Nouemb. 1477. & nullus inferior, &c.* Antea verò ann. 1475. Conuentus Brunæ cum Monaſterijs quibuſdam fuerat ab hac Prouincia ſeparatus, & cum reformatis Conuentibus Bauariæ vnitus: ita enim in ſuprad. Regeſto legitur. *Conuentus Brunæ, & Monaſterium B. Mariæ, & Monaſterium S. Annæ dictæ Ciuitatis Brunæ fuerunt ſubmiſſa iuriſdictioni Vicarij Generalis Conuentuum reformatorum Bauariæ inferioris Prouinciæ Theutoniæ cum pleniſſima poteſtate in capitibus, & in membris, in ſpiritualibus, & temporalibus, & iuriſdictione Prouincialis Boemiæ, & cuiuſcumque alterius, donec per Magiſtrum Reuerendiſs. aliter fuerit ordinatum. Dat. Romæ 27. Ianuar. 1475.* Ex quibus omnibus conſtat

poſt

poſt ann. 1475. regularem obſeruantiam fuiſſe in aliquibus huius Prouinciæ cœnobijs reſtitutam; non enim veritati conſonum videtur, Magiſtrum Ord. præfatum Conuentum Brunę cum Monaſterijs à Prouincialis Boemię iuriſdictione eximiſſe in fauorem obſeruantiæ, ſi hæc in eadem Prouincia illo anno locum obtinuiſſet.

Pro huius igitur Prouinciæ conſeruatione ſequentia in Capitulis fuere ordinata.

1 Conuentus S. Mariæ Magdalenæ de Praga fuit pro Nouitiatu electus Valentiæ 1647. *Erigimus pro Nouitiatu in hac Prouincia Conuentum S. Mariæ Magdalenæ in Ciuitate Pragenſi, cui applicamus omnia bona, quæ S. C. Maieſtas Ferdinandi II. Conuentui Lecthmanicenſi pro Nouitiatu conceſſit, & S. M. Ferdinandi III. Conuentui S. Mariæ Magdalenæ ad duodennium applicauit, vt ibi formatus Conuentus, & Nouitiatus erigi poſſet, ſiquidem bella, & militum inuaſiones id fieri in Conuentu Lecthmanicenſi impediunt.*

2 Nemini, præter Priores, Parochi munus ſubire licet. Romæ 1629. & 1644. quod fuit confirmatum Valentiæ 1647. *Confirmamus ordinationem factam in Capitulo Generaliſſimo in Vrbe celebrato ann. 1644. in quo prohibetur ne vllus Frater particularis Parochum agat, præter Priores Conuentuum, qui de licentia Ad. R. Prouincialis Parochias recipere poſſunt, dummodo eas adminiſtrare valeant, & ſine damno animarum in Conuentu pernoctare, fructuſque ex illis prouenientes in vſum Conuentuum conuertant.*

3 Fugitiui Fratres non recipiantur. Romæ 1644. *Prohibemus ad hanc Bohemiæ Prouinciam mitti, vel in ea recipi fugitiuos, aut alibi pœnitentiatos.* Quod etiam fuerat mandatum Romæ 1629. his additis. *Et in poſterum nullos ſimiles, niſi in carceribus recipiant, e quibus non educantur, niſi prius in ſcriptis ſeſe ad proprias Prouincias ſtatim reuerſuros ſub pœna triremium per triennium, obligauerint.*

4 Nulla ad Monialium habitum ſine dote recipiatur. Romæ 1644. *Prohibemus, vt nulla in hac Prouincia recipiatur ad habitum Monialium ſine dote, aut certa hæreditate, quam ſtabiliendam volumus.*

5 Seruiles ad clericalem habitum non recipiantur perſonæ. Romæ 1644. *Prohibemus impoſterum recipi ad habitum clericalem homines ſeruilis conditionis, præſertim eos, qui ſub mancipatu Conuentuum Ordinis noſtri fuerunt.*

6 Priores, Conuentuumque Præſidentes agros, & prædia, &c. alijs nō locent, ſed per colonos illos colāt, ſub pœna abſolutionis ab officijs. Romæ 1629. *Pro reformatione, & bono regimine huius Prouinciæ præcipimus omnibus Prioribus, & Conuentuum Præſidentibus ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, & priuationis vtriuſque vocis per triennium, vt nullo modo locent agros, lupuleta, prata, prædia, pagos, villas; ſed per ſuos ſeruos colonos, vel ſubditos ſuos agros colant; nec fructus eorundem quoquo pacto vendant, niſi prius facto computo de neceſſarijs pro victu Fratrum, & ſemente neceſſaria pro agrorum cultura, ex quo id quod ſupererit, vendi poterit, & ex eius pretio de neceſſarijs Conuentui prouideri. Prouinciali verò pro tempore exiſtenti præcipimus, vt contrafacientes à ſuis officijs ſtatim abſoluant.*

7 Qui fuerit ad Nationi Gallicanæ inſeruiendum in Eccleſia S. Leonardi aſſignatus, in Conuentu permaneat. Romæ 1629. *Ordinamus, vt Frater, qui erit aſſignatus ad inſeruiendum Nationi Gallicanæ in Eccleſia S. Leonardi, nullo modo extra clauſtra, ſed in Conuentu, ſicut cæteri Fratres, viuat: Ideoque præſenti ſtatuto quemcumque Fratrem pro tempore præfato ſeruitio deſtinatum decernimus, ac declaramus aſſignatum in noſtro Conuentu S. Aegidij, ita vt omnino P. Prouincialis, & Prioris dicti Conuentus obedientiæ in omnibus ſubditus ſit. Si ſecus fecerit, ipſo facto administratione dictæ Eccleſiæ, & vtraque voce priuatus exiſtat, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque.*

8 Lectores à Magiſtro Ord. in hāc Prouinciam miſſi, gradus conſequantur. Romæ 1629. *Præſenti ſtatuto omnibus Patribus, ac Fratribus, qui à Magiſtro Ord. ad hanc Prouinciam ad Theologiam, & Philoſophiam profitendam miſſi fuerint, Lectoratus, & Baccalaureatus, & Magiſterij palmam in ſuorum laborum proæmium deſignamus; ita vt Lectores tribus, Baccalaurei ſex, & Magiſtri octo annis in ſuis aſſiduis lectionibus laudabiliter completis, à Magiſtro Ord. ad huiuſmodi gradus omnino promoueantur, ſeruatis ſeruandis.*

9 Conuentus S. Ægidij fuit Studij Generalis onere alleuiatus. Romæ 1629. *Concedimus huic Prouinciæ, vt donec Conuentus S. Aegidij ære alieno exoneratus fuerit, & ad commodiorem ſtatum reſtitutus, non teneatur ad Studium Formale habendum, neque Studentes, tam Prouinciæ, quam exteri, gaudeant vllis diſpenſationibus, & à Prouinciali aſſignari poſſint in Conuentibus Fratrum penuria laborantibus, quorum litterarios labores loco ſtudij formalis acceptamus, & triennio abſoluto ad Lectoratum examinari poſſe concedimus.*

10 Vt tres ſaltem Nouitiatus in hac erigerentur Prouincia pro inſtruendis Nouitijs iniunctum fuit P. Prouinciali. Romæ 1629. in hunc modum. *Committimus P. Prouinciali, vt pro ſua prudentia tres ſaltem domos pro educatione Nouitiorum in præcipuis Conuentibus Prouinciæ deſignet, in quibus ſex, vel ſaltem quatuor Nouitij educentur, ſeruatis ſeruandis.* Romæ autem 1608. mandatum fuerat, vt duo erigerentur Nouitiatus, quorum vnus in Conuentu Znoimenſi, alter verò Olmutij exiſteret.

Hu-

11 Huius Prouinciæ filij, in alias ſtudiorum cauſa miſſi, benignè recipiantur. Romæ 1629. *Admonemus in Domino omnes P. Prouinciales, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniarum, & Italiæ, vt quando de licentia Magiſtri Ord. aut eius voluntate aliqui huius Prouinciæ filij ad prædictas Prouincias ſtudiorum cauſa miſſi fuerint, eos in Conuentibus vbi ſtudia, & obſeruantia regularis vigent, collocent, litteriſque ac moribus imbuant, eoſque ſuis ſtudijs abſolutis ad hanc Prouinciam recto tramite reuerſuros remittant: qui verò redire noluerint, vel diſtulerint, vtraque voce priuati, & ad quoſcunque Religionis gradus inhabiles ſint.*

12 Viennenſis, Bezzenſis, Tulnenſis, Cremenſis, & Impſinenſis Conuẽtus ad Theutoniæ Prouinciam ſpectantes, ad hanc fuere tranſlati Romæ 1608. *Pro communi Prouinciæ bono aggregamus, & incorporamus eidem Prouinciæ Boemiæ ſequentes Conuentus Auſtriæ, nempè Viennenſem, Bezzenſem, Tulnenſem, Cremenſem, & Impſinenſem: cum ad hanc incorporationem ſuam iam conſenſum in hoc Generali Capitulo adhibuerit R. Ad. P. Prouincialis Teutoniæ, ſub cuius cura antea erant præfati Conuentus. Decernentes prædictos Conuentus ſeparatos à Prouincia Theutoniæ, & qualibet alia Prouincia propriè deinceps pertinere ad Prouinciam Boemiæ, & eſſe debere ſub cura, & regimine Ad. R. P. Prouincialis Boemiæ.*

13 Conuentus quoque Aegrenſis fuit huic Prouinciæ vnitus in præfato Cap. Rom. 1608. *Ordinamus etiam, vt Conuentus Aegrenſis pertineat ad Prouinciam Boemiæ, & ſit ſub cura Reuer. Admod. Patris Prouincialis Boemiæ.*

14 Conuentuum antiquitates eodem modo pro vt erant ann. Dom. 1608. ſeruandas fore mandatum fuit in Romano Capitulo prædicto anno celebrato. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt antiquitates Conuentuum eo ordine, & modo, quo nunc ſunt, ſeruentur quouſque contrarium manifeſtè non reperiatur.*

15 Vt Seminarium in Viennenſi Conuentu pro inſtruendis nomine dictæ Prouinciæ Nouitijs erigeretur, ſancitum fuit Neapoli 1600. ord. 16. *Ordinamus in Prouincia Boemiæ quod pro ſubleuanda Prouincia erigatur Seminarium in Conuentu Viennæ Prouinciæ Theutoniæ, in quo recipiantur Nouitij, & educentur nomine dictæ Prouinciæ Boemiæ eius ære, & expenſis.*

16 Solas contributiones perſoluant Conuentus ſuis Prouincialibus. Ita ſubditur in eodem Capitulo, & ordinatione 16. ſuprad. *Item* (ſcil. ordinamus) *quòd vltra contributiones, quas debent Conuentus ipſi ſuo Prouinciali quando eos viſitat, nil amplius dare teneantur, nec etiam ſub nomine viatici, aut pro exoluendis contributionibus Magiſtro Ord. & Prædicatori in Curia Romana debitis, cum pro vno, & altero ipſæ contributiones ſufficiant.*

17 Graduatorum numerus in hac Prouincia nunquam fuit determinatus; Neque in Generalibus Capitulis Romanis 1583. & 1789. in quibus alijs Prouincijs fuit ille præſcriptus, de hac Prouincia ſermo fuit habitus, prout videre eſt ſupra Pro Prou. Toloſana num. 26.

PRO PROVINCIA PROVINCIAE. XVI.

PRouinciæ Prouincia, quæ Angelorum etiam in Actis Generalium Capitulorum Actis nuncupatur à S. Patre N. Dominico cum alijs ſeptem ſuæ fundationis ſumpſit exordium Bononiæ ann. MCCXXI. vt de Prou. Hiſpaniæ retulimus, eidemque S. Pater F. Birraudum de Garriga, quem alij Bertrandum nominant, peregrinationis ſuæ fidum Socium præfecit. Perſtitit diu hæc Prouincia vna atque in Ordine primum locum in ſiniſtro Choro vſque ad annum MCCCIII. obtinuit, quo in Generali Capitulo apud Biſuntium habito Toloſanus Conuentus cum pluribus alijs ab ea auulſis, in nouam Toloſanam erecti fuere Prouinciam, cui præfatus in ſiniſtro Choro primus locus fuit conceſſus, huic vero in dextero Choro poſt Aragoniæ Prouinciam manſio fuit deſtinata, vt ſupra de Toloſana Prouincia diximus.

Cum Eccleſiaſticæ vnitatis, & pacis euerſione Regularis obſeruantiæ ſplendorem perdidit hæc cum alijs Prouincia, quem in eadem quoque iam reſtitutum nouimus ab anno Dom. 1474. quo Magiſter Ord. P. F. Leonardus Manſuetus de Peruſio reformationem Conuentus S. Maximini vna cum Monaſterio Monia-

nialium de Nazaret Ciuitatis Aquenſis P. F. Antonio Nande Prouinciali commiſit. Ita enim in eiuſdem Regeſtis teſtatum reperitur. *Magiſter Antonius Nande Prouincialis fuit factus Viſitator, & Commiſarius ad viſitandum, & reformandum Conuentum S. Maximini, & Monaſterium Sorum de Nazaret de Aquis cum poteſtate, & modificatione, ſicut patet in copia quam retinemus ſignatam A. Dat. Romæ die 1. Aprilis 1474.*

Non fuit tamen S. Maximini Conuentus in hac Prouincia primus regulari obſeruantiæ reſtitutus, uam eo tempore plures iam alij illam fuerant amplexati, quorum Vicarius eodem anno à P. F. Elziario huius Prouinciæ Prouinciali fuit P. F. Bartholomeus Raynandi inſtitutus, atque ab eodem *Magi*ſtro Ord. confirmatus. Ita enim in eiuſdem præfatis Regeſtis legitur. *Fratribus Conuentus S. Maximini notificatur qualiter ea, quæ geſſit Magiſter Elziarius inſtituendo Suppriorem F. Petrum Bonregardi, & inſtituendo Vicarium Conuentuum Reformatorum Magiſtrum Bartholomeum Raynandi, & ſimiliter omnes ordinationes, quas fecit in dicto Conuentu, & omnia, quæ geſſit in tota Prouincia ſunt confirmata, & de nouo omnia prædicta confirmauit; & datur dicto Magiſtro Bartholomeo plenaria poteſtas ſuper Conuentu S. Maximini, & ſuper Conuentu de Balma, & ſuper alijs Conuentibus Reformatis, & ſuper Conuentu .... & ſuper Monaſterio Sororum de Nazaret tam in capitibus, quam in membris, & mandatur omnibus ſub pœna grauioris culpę quod obediant, aliàs poſſint compelli, etiam auxilio brachij ſecularis, & dictus Vicariatus duret quamdiu Magiſter Elziarius fuerit abſens à Conuentu S. Maximini. Dat. Romę die 26. Decemb. an. 1474.* Prædictus autem *M*agiſter Elziarius Guarnerij, qui erat Socius eiuſdem *M*agiſtri Ord. & Prior Conuentus S. *M*aximini, fuerat ab eodem inſtitutus Commiſſarius ſuper Prouinciam Prouincię, & ſuper Prouinciam Toloſanam datis litteris Romę 25. *M*aij eiuſdem ann. 1474. vt ex eiſdem Regeſtis habetur.

Pro fœlici igitur huius Prouinciæ gubernio ſequentia in pluribus Capitulis fuere ſancita.

1 In paruis Conuentibus *M*atutinum Æſtiuo tempore hora quarta, matutina, hiemali vero, quinta dicatur. Romæ 1650. *Concedimus quod in paruis Conuentibus, in quibus ob Fratrum paucitatem non poſſunt media nocte perſolui Matutina iuxta declarationem Reuerendiſs. P. Thomæ Turci Magiſtri Generalis, eadem per æſtatem regulariter hora quarta matutina, per que hyemem hora quinta matutina recitentur in Choro ſub pœnis priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ contra Priores hanc legem negligentes.*

2 Nouitij in Conuentibus Auenionenſe, & S. *M*aximini educentur. Romæ 1650. *Præcipimus RR. PP. Prioribus Conuentuum Auenionenſis, & S. Maximini quod iuxta ordinationem Reuerendiſſimorum PP. Magiſtrorum Ord. F. Nicolai Rodulphij 1636. die 25. Februarij, & F. Thomæ Turci 1645. die 21. Octobris editam, & confirmatam ſex Nouitios educandos ex ipſa Prouincia abſque vlla difficultate admittant, ita vt per quatuor, vel adminus per tres annos poſt profeſſionem ibidem retineantur in ſtudijs, & obſeruantia plenius firmandi. Similiter mandamus Priori noſtri Nouitiatus Generalis S. Germani Pariſijs quatenus iuxta ſuæ fundationis tenorem duos, vel tres Nouitios in eadem Prouincia in rigida obſeruantia, & ſtudijs educandos recipiat.* Quod Romæ 1629. fuerat quantum ad Auenionenſem Conuentum ita mandatum. *Deſignamus Conuentum Auenionenſem noſtræ Congregationis Occitanæ pro Nouitiatu, vt tot in eo recipiantur Nouitij huius Prouinciæ, quot Fratres natiuos, tam dicti Conuentus Auenionenſis, quam Valentini in alijs Conuentibus hac eadem Prouincia ſuſtentabit.*

3 *M*aſſilien. & Arelaten. Conuentus Nouitios recipere poſſunt. Romę 1650. *Confirmamus facultatem ab ijſdem Reuerendiſſimis PP. Generalibus indultam Conuentibus Maſſiliæ, & Arelatarum recipiendi Nouitios ſimplices, & educandi Profeſſos, dummodo in illis tenor vitæ regularis exactè obſeruetur, illique ſeorſim ſub proprio Magiſtro in competenti numero, & ad normam SS. Conſtitutionum educentur.*

4 Vt huic Prouincię Valentinus, & Orienſis Conuentus reſtituerentur mandatum fuit Valentię 1647. & Romę 1650. *Confirmamus ordinationem vltimi Capituli Valentini de reſtituendis huic Prouinciæ Conuentibus Valentino, & Orienſi iuxta decretum Reuerendiſſ. Magiſtri Ordinis F. Thomæ Turci, & conditiones in eo contentas.*

5 *M*agiſtri in hac Prouincia à die ſuę promotionis loco gaudent. Romæ 1650. *Cum huic Prouinciæ non competat ius acceptandi Magiſtros, declaramus quod in ea Magiſtri à die ſuæ promotionis loco, voce, ac reliquis Magiſterij iuribus gaudebunt.*

6 Paruorum Conuentuum Priores ab hæreticis deſolatorum in electione Prouincialis voce gaudent. Romæ 1650. *Declaramus, quod Priores Conuentuum ab hæretici, deſolatorum, ſeu qui non poſſunt alere ſufficientem numerum Fratrum ad ferendum votum in Capitulo Prouinciali, ſiuè ad eligendum Priorem iuxta antiquam Prouinciæ conſuetudinem, titulo voce loco, & alijs Priorum iuribus potiantur in Capitulis Prouincialibus, omnibus ſuper hac re perpetuum indicentes ſilentium ſub pœnis abſolutionis ab officijs ipſo facto, ac priuationis vtriuſque vocis, ſimulque contra facientes teneantur ad refuſionem omnium expenſarum, quas ex ea occaſione ab ipſis, vel à Prouincia fieri continget.*

Capi-

7 Capitulorum Prouincialium Acta *Maſ-ſilien.* 1649. atque Arelaten. fuere confirmata Romę 1650. *Approbamus, & confirmamus Acta Capituli Pronincialis Maſſiliæ ſnb A. R. P. Magiſtro F. Hyaeiuto Martelli Vicario Generali 1649. die 24. Aprilis celebrati; nec non Acta Capituli Arelatenſis iam per Reuerendiſs. P. Rodulphinm ſub datis Romæ 1637. die 5. Decembris correcta, & confirmata, ac rnrſus à Reuerendiſs. P. Turco Aquis 1645. die 21. Octobris, iterumque à Capitnlo Generaliſſimo Romæ 1644. & denique à Capitnlo Generali Valentino 1647. approbata; item diſpoſitiones ab eiſdem factas circa huius Prouinciæ gradnandos, et Prædicatores Generales, ita videlieet vt omnes, ſoliquc illi, qui in præfatis diſpoſitionibus recenſentnr, aut illi, qui in ipſornm loca ab eo tempore ſucceſſerunt, pro graduatis, & Prædicatoribns Generalibus babeantnr.*

8 Vt in hac Prouincia Magiſtrorum numerus ſenarins, Baccalaureorum verò quinarius eſſet, mandatum fuetat Romæ 1583. ord. 16. In ſubſequenti verò Capitulo Romæ pariter ann. 1589. celebtato ad huius Prouinciæ petitione Magiſtrorum numerus ad denarium, Baccalaureorum verò ad octonarium fuit extenſus: ita enim in confirmatione 29. (vt ſupra Pro Prou. Toloſ. num. 26. retulimus) eiuſdem Capituli habetur. Romæ autem 1629. iterum Magiſtrorum, & Baccalaureorum ad duodenarium fuit in hunc modum protractus. *Concedimns huic Prouinciæ augumentum Magiſtrorum, & Baccalaureorum vſque ad numerum duodenarium.* Quod in ſubſequenti Capitulo Romano 1644. fuit ita approbatum. *Approbamus, & iuuiolabiliter obſeruari volumus ordinationes contentas in Actis Capitnli Prouincialis Arelatenſis Kal. May 1637. auctoritate Reuerendiſs. P. Generalis correctis, & confirmatis circa pacificam poſſeſſionem, tam Magiſtrorum, & Baccalaureornm, qnam Prędieatorum Generalium antea inſtitutorum, & de non promouendis ab eo tempore, ſine ad Baccalaureatum, ſiue ad Magiſterium aliquibus, niſi actn vacauerint loca, numeri ſeilicet duedenarij Magiſtrorum, & totidem Baccalaureorum præfixi, & determinati huic Prouinciæ per præcedens Capitnlnm Generale Romæ 1629. celebratum, ac niſi peractis rigorose lecturis in ſtudio Generali, cæteriſque reqniſitis ex tenore noſtrarum Conſtitutionum; deque nou promouendis de nono Prædicatoribus Generalibus ſupra numerum Conuentuum eiuſdem Prouinciæ, & niſi obtineant conditionem ſecundnm ordinem dicti Capitnli Generalis Romæ, nec non in omnibns ſupradictis, ſaluis ſemper Prouinciæ iuribus.* Quæ omnia fuerunt iterum Valenrię 1647. ita confirmata. *Approbamns, & execntioni omnino mandari volumus quidquid pro communi bono, ac pace Pronineiæ, necnon ſtudiornm promotione circa Gradnatos, et Prædieatores Generales determinatum fuit à Reuerendiſs. P. Generali pro tunc Nicolao Rodulphio per ſuas litteras patentes ſnb datum Romæ die vlt. Nouemb. 1636. & ab eodem in actis Cap. Prouincialis Arelatenſis Romæ die 5. Decemb. 1637. necuon in Cap. Generaliſſimo Romæ 1644. atque etiam à Reuerendiſs. P. N. Generali in ſuo tranſitu per Prouinciam Aquiſeſtijs die 21. Octob. 1645. approbatnm, & confirmatum.*

9 In Aquenſi Conuentu non aſſumantur in Priores niſi viri ſcientia, zelo, & pietate graues. Valentiæ 1647. *Ordinamus, & inuiolabiliter obſeruari mandamns, quod in eodem Conuentu Aqnenſi, vtpote in qno viget vnicnm Studinm Generale Proninciæ, nec non deputata eſt ſtrictiſſima obſeruantia, non eligantur niſi viri graues, in litteris periti, ac zeloſi, in Priores iuxta præſcriptum ſac. noſtrarum Conſtitutionum, de quibus veriſimiliter præſnmatnr qnod obſeruantiæ, ac ſtndiorum augmento operam dabnnt efficacem; ſecns autem electi minimè confirmentur.*

10 Nullus ad populum in Quadrageſima, aut Aduentu conciones habere valet, niſi prius in Ordine Prædicatoris munus per biennium adimpleuerit. Valentiæ 1647. *Confirmamus ordinationem in vltimo Cap. Prouinciali Toloni die 6. May 1645. celebrato latam, qua ſtatuitur ne aliqnis qnantumnis examinatns, & approbatns ad prædicandum poſſit per integrum Quadrageſimæ, vel Aduentns decurſum conciones extra noſtras Eeeleſias babere, niſi prius Prædicatoris ordinarij munus per duos annos adminus in Prouinciæ Conuentibns laudabiliter exercuerit.*

11 Brianſonij, & Pignerolis Conuentuum reſtitutio huic Prouinciæ facta, fuit confirmata Valentiæ 1647. *Confirmamns reſtitntionem Connentus Brianſonij factam huic noſtræ Prouincię vna cum vnione, & ineorporatione perpetna Conuentns Pignerolis in eadem, ſaluis conditionibus, præſertim manutenendæ obſernautiæ, expreſſis per decretum Renerendiſs. P. N. Generalis ſnb dat. Pariſijs die 12. Iulij 1646.* In antecedenti autem Romano Capitulo 1644. de hac re ita iam fuerat ordinatum. *Declaramus Vicariatum Brianſonij, & Conuentus Dienſem, & Valentinum, quamuis iuriſdictioni Vicarij Generalis Congregationis S. Ludouici commendati exiſtant, non tamen eſſe ſeparatos à noſtra Prouincia Prouinciæ.*

12 Apoſtolica auctoritate infraſcripti Conuentus huic Prouinciæ fuere reſtituti Romæ 1629. *Auctoritate Apoſtolica reſtitnimus, & integramus iſti Prouinciæ Conuentus Marſiliæ, Arelate, Carpentorati, & Caualliouis, ex quibus ſimul cum Conuentu Aquenſi, Toloni, Taraſconi, Nieiæ, Graſſiæ, Draguigniani, Ciſtariei, Dieuſi, Semenſi, Vapiucij, Buxij, Barcinonen. Arauxiæ, & Brianſoni (exeipimns Valentinum Vicario Congregationis Occitanæ pro tempore ſubiectum, non tamen ab hac Pronincia ſeparatnm) conſtata, & compoſita perpetnis futuris temporibus iſta Prouincia Prouinciæ ſubſiſtat.* Mediolani autem

Digitized by Google

1622. conceſſum fuerat huic Prouinciæ, vt ſtante Conuentuum illius diminutione, contributiones quoque proportionabiliter minuerentur. *Cum aliqui huius Prouinciæ Conuentus ſint incorporati Congregationi Occitanæ, concedimus, vt contributiones iuxta proportionem minuantur.*

13 Prouincialia Capitula Dominica *Deus, qui errantibus*, celebrentur. Bononiæ 1615. *Concedimus Prouinciæ noſtræ Prouinciæ, vt in ea Capitula Prouincialia Dominica Deus, qui errantibus iuxta conſuetudinem maioris partis Prouinciarum noſtri Ordinis de cætero celebrentur.*

14 Prouinciales ſint biennales, Prouinciamque regant tanquam illius Vicarij ſtatim ac fuerint electi. Barcinonæ 1574. ord. 16. *Vide ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 23.*

15 Priores, & Suppriores ſint triennales. Romæ 1601. ord. 37. *Item ordinamus in eadem Prouincia* (ſcil. Prouinciæ) *vt Priores, & Suppriores ſint tantum triennales, & quod Nouitij non recipiantur ante duodecimum ætatis annum: & quod in confeſſione, poſt B. Dominicum, addatur: & B. Mariæ Magdalenæ.*

16 Huius Prouinciæ Patres ſe veros S. Patris N. filios, Caneſque peruigiles, & fidos demonſtrent, conſtantique pectore diuini verbi prædicatione à via veritatis aberrantes ad Eccleſiæ gremium, ac Chriſti ouile totis viribus reducere ſatagant: Ita enim fuerunt moniti in Generali Capitulo Barcinonæ 1574. habito admon. 5. *Vide ſup. in prima parte De Hæreſi num. 1.*

PRO PROVINCIA SAXONIAE. XVII.

FVit hæc à Prouincia Theutoniæ auulſa; cum enim illa tanquam vitis fœcunda palmites ſuos in vaſtiſſimis illis Septentrionalibus regionibus ita copiosè extendiſſet, vt ſingulos Conuentus viſitare Prouincialibus nimis arduum foret; Patres noſtri in Generalibus Comitijs apud Coloniam collectis anno MCCCI. eandem diuidendam eſſe in duas, quarum prior antiquum Theutoniæ nomen conſeruaret, poſterior verò, Saxoniæ eſſet nuncupanda, per modum inchoationis (ſicut ſupra Pro Prou. Theutoniæ retulimus) ſanxere; quæ diuiſio in ſequenti Bononienſi Capitulo approbata; Apud Biſuntinum poſtea ita fuit ſtabilita. *Item confirmamus hanc quòd Prouincia Theutoniæ diuidatur, & diuidimus, eam in duas, ita quod Auſtria, cum adiacentibus Conuentibus, Bauaria, Sueuia, Franconia, Rheni vſque in Coloniam incluſiue cum Brabantia ſint vna Prouincia, & nominetur Prouincia Theutoniæ, & teneat locum in Choro dextro poſt Romanam Prouinciam; Miſnia verò, Turingia, Haſſia, Saxonia, Marchia, Slauia, Friſia, Vueſphalia, Zelandia, & Hollandia ſint alia Prouincia, & Prouincia Saxoniæ nominetur, & teneat locum in ſiniſtro Choro immediatè iuxta Bohemiam, & hoc habet tria Capitula.*

Emicuit longo temporis decurſu in Ordine noſtro hæc Prouincia, in qua celebris illa Hollandiæ Congregatio tot Summorum Pontificum, Magiſtrorum Ord. atque Generalium Capitulorum priuilegijs ditata floruit, quæ præſtantiſſimos tum ſanctitate, tum doctrina Viros Orbi exibuit, qui plurimas Ordinis Prouincias in priſtinum Regularis obſeruantiæ nitorem reſtituere. Vnde in Regeſtis Mag. Ord. F. Leonardi Manſueti teſtatum reperitur eundem Reuerendiſſimum reformationem Nationis Caſſubiæ P.F. Alberto Petri, ita demandaſſe. *F. Alberto Petri Congregationis Hollandiæ committitur reformatio Nationis Caſſubiæ Prouinciæ Poloniæ, cum omnibus gratijs, talibus dari conſuetis, & ſecuta reformatione ſubmittitur illa Natio ſub Vicario Hollandiæ. Romæ 10. Iunij 1474.* P. F. Alberto prædicto fuit quoque demandata auctoritas reformandi Conuentus Liuoniæ, Finlandiæ, & Ruſſiæ; ita enim in ſuprad. Regeſt. legitur. *F. Alberto Petri datur auctoritas reformandi in Nationibus Liuoniæ, Finlandiæ, & Ruſſiæ Conuentus, quos potuerit, ſi Domini Locorum eum requiſierint, qui Conuentus reformandi ſubijciantur Vicario Hollandiæ. Dat. Romæ 23. Auguſti 1475. prout plenè habetur in copia ſignata. F.*

Eodem quoque anno reformatio Conuentus Zirczeenſis fuit eiuſdem Congregationis Vicario P. F. Io: Ex Curia: demandata prout in eiſdem Regeſt. ſubditur. *R. Vicario Congregationis Hollandiæ F. Io: Ex Curia Licentiato in Theologia datur auctoritas reformandi Conuentum Zirczeenſem Prouinciæ Saxoniæ ſi voluerit Illuſtriſſimus Dux Burgundiæ, & non*

ali-

aliter, & ſubijciatur Congregationi Hollandiæ. Dat. Romæ 28. Auguſti prout plenius habetur in copia ſignata §. 1475.

Monaſteriorum etiam Monialium copioſa multitudo in hac Prouincia floruit: vnde in ſuprad. Regeſtis ita habetur. *Sorores omnes Prouinciæ Saxoniæ non debent recipere ſæculares, aut Clericos ad interiora Monaſterij ſub pœnis in earum Conſtitutionibus expreſſis. Item Fratres noſtri non debent intrare eadem Monaſteriâ ſub pœna excommunicationis.*

Floruit igitur hæc Congregatio cum Saxoniæ Prouincia vſque ad impij Lutheri tempora, qui maximo cum Catholicæ rei damno fauente Henrico Saxoniæ Duce cum alijs Principibus hæreſis ſuæ veneno populos illos inficiens (quod & perfidus Caluinus in Gallia cum ſequacibus ſuis etiam perfitit) quaſi aper peſſimus eandem Prouinciam de Regionibus illis exterminauit; vltimuſque huius Prouinciæ Prouincialis de quo in Capitulum Actis expreſſa mentio habeatur, fuit P. F. Hermanus Rab. cuius nomen in Romano Capitulo ann. Dom. 1525. ſub Mag. Ord. P. F. Franciſco Silueſtro habito, approb. 4. ita recenſetur. *Item approbamus aſſignationem aliàs factam à R. P. F. Hermano Rab Priore Prouinciali Saxoniæ de F. Mauritio Gagbelman eiuſdem Prouinciæ, & Ord. in Studentem Theologiæ ad Conuentum Bononienſem de ann. Dom. 1523. 6. Aprilis, volumuſque eum per huiuſmodi aſſignationem poſſe, & debere vti omnibus gratijs, & priuilegijs conſuetis, tam in principio, quam in fine ſtudij apud Patres, & Fratres ſui Conuentus, & Prouinciæ.* Et Bononiæ 1564. de Prouinciali Saxoniæ habetur etiam ſermo, ſed ſuppreſſo eius nomine: ita enim dicitur in eiuſdem Capituli Actis conceſſ. 2. *Concedimus Prouinciali Saxoniæ, vt ius acquiſitum à quibuſdam ſuis Conuentibus alendi Iuuenes in Conuentu Colonienſi in ſtudio, & bonis moribus, in alios Conuentus transferre ſuæ Prouinciæ, habentes filios, poſſit, cum ius hoc Prouinciæ Saxoniæ bonis acquiſitum ſit: hac tamen lege, vt quamprimum Priores Conuentus, qui ius acquiſierunt, Fratres adhoc idoneos habere contigerit, iure ſuo vti poſſint, & Colonienſes in hoc pârere teneantur, non obſtantibus quibuſcumque.*

Perſeuerauere tamē aliqui Conuentus huius Prouinciæ (quorum mentio in Regeſtis Magiſtrorum Ord. habetur) vſque ad annum 1601. quo in Capitulo Generali Romano fuere cum Theutoniæ Prouincia vniti; ita enim denunc. 10. ibid. dicitur. *Denunciamus factam fuiſſe in hoc Caditulo Generali incorporationem Conuentuum Prouinciæ Saxoniæ cum Prouincia Theutoniæ; & præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ ſub formali præcepto omnibus Fratribus illorum Conuentuum, vt in poſterum Reuerendum Patrem Prouincialem Prouinciæ Theutoniæ tanquam ſuum legitimum caput, & Paſtorem agnoſcant, ac reuereantur, ad illumque pertineat de illis Conuentibus diligentem curam habere.* Quę vnio ita in ſubſequenti Valliſoletano Capitulo 1605. conf. 40. fuit confirmata. *Confirmamus vnionem factam, & incorporationem factam in Capitulo Generali præterito Conuentuum Prouinciæ Saxoniæ cum Prouincia Theutoniæ;* Prædictæ autem reliquiæ ex deſolata Saxoniæ Prouincia ſuperſtites, atque Prouinciæ Theutoniæ vnitę ſunt iſtæ: Conuentus Halberſtadienſis Fratrum, & Sororum: Suſatenſis: Oſnabrugenſis: Paradiſanus Sororum: Vvarpurgenſis: Galileanus Sororum: & Vveſtfalienſis: & Tremonienſis. Et tandem Romæ 1608. §. *Pro Prou. Theutoniæ*, iterum eadem vnio in hunc modum fuit ſtabilita. *Confirmamus vnionem, & incorporationem Prouinciæ Saxoniæ, Vicariatus, ſeu Congregationis Superioris Germaniæ, & Conuentus Bulſanenſis cum Prouincia Theutoniæ in duobus iam Capitulis proxime præcedentibus factam, & confirmatam.* Romę autem 1629. ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandatum fuit omnibus ad Theutoniæ Prouinciam ſpectantibus, ne eiuſdem Prouinciæ diuiſionem procurare auderent, his additis. *Quod ſi aliquando Superiorum auctoritate, & voluntate diuidenda iudicaretur, à ſeparatione Vicariatuum annexorum Auſtriæ, & Saxoniæ huiuſmodi diuiſionis initium deſumatur.* Vide ſupra ea, quæ diximus Pro Prou. Theutoniæ num. 14.

1622. conceſſum fuerat huic Prouinciæ, vt ſtante Conuentuum illius diminutione, contributiones quoque proportionabiliter minuerentur. *Cum aliqui huius Prouinciæ Conuentus ſint incorporati Congregationi Occitanæ, concedimus, vt contributiones iuxta proportionem minuantur,*

13 Prouincialia Capitula Dominica *Deus, qui errantibus*, celebrentur. Bononiæ 1615. *Concedimus Prouinciæ noſtræ Prouincia, vt in ea Capitula Prouincialia Dominica Deus, qui errantibus iuxta conſuetudinem maioris partis Prouinciarum noſtri Ordinis de cætero celebrentur.*

14 Prouinciales ſint biennales, Prouinciamque regant tanquam illius Vicarij ſtatim ac fuerint electi. Barcinonæ 1574. ord. 16. *Vide ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 23.*

15 Priores, & Suppriores ſint triennales. Romæ 1601. ord. 37. *Item ordinamus in eadem Prouincia* (ſcil. Prouinciæ) *vt Priores, & Suppriores ſint tantum triennales, & quod Nouitij non recipiantur ante duodecimum ætatis annum: & quod in confeſſione, poſt B. Dominicum, addatur: & B. Mariæ Magdalenæ.*

16 Huius Prouinciæ Patres ſe veros S. Patris N. filios, Caneſque perrigiles, & fidos demonſtrent, conſtantique pectore diuini verbi prædicatione à via veritatis aberrantes ad Eccleſiæ gremium, ac Chriſti ouile totis viribus reducere ſatagant: Ita enim fuerunt moniti in Generali Capitulo Barcinonæ 1574. habito admon. 5. *Vide ſup. in prima parte De Hæreſi num. 1.*

PRO PROVINCIA SAXONIAE. XVII.

FVit hæc à Prouincia Theutoniæ auulſa; cum enim illa tanquam vitis fœcunda palmites ſuos in vaſtiſſimis illis Septentrionalibus regionibus ita copioſè extendiſſet, vt ſingulos Conuentus viſitare Prouincialibus nimis arduum foret; Patres noſtri in Generalibus Comitijs apud Coloniam collectis anno MCCCI. eandem diuidendam eſſe in duas, quarum prior antiquum Theutoniæ nomen conſeruaret, poſterior verò, Saxoniæ eſſet nuncupanda, per modum inchoationis (ſicut ſupra Pro Prou. Theutoniæ retulimus) ſanxere; quæ diuiſio in ſequenti Bononienſi Capitulo approbata; Apud Biſuntinum poſtea ita fuit ſtabilita. *Item confirmamus hanc quòd Prouincia Theutoniæ diuidatur, & diuidimus, eam in duas, ita quod Auſtria, cum adiacentibus Conuentibus, Bauaria, Sueuia, Franconia, Rheni vſque in Coloniam incluſiue cum Brabantia ſint vna Prouincia, & nominetur Prouincia Theutoniæ, & teneat locum in Choro dextro poſt Romanam Prouinciam; Miſnia verò, Turingia, Haſſia, Saxonia, Marchia, Slauia, Friſia, Vveſphalia, Zelandia, & Hollandia ſint alia Prouincia, & Prouincia Saxoniæ nominetur, & teneat locum in ſiniſtro Choro immediatè iuxta Bohemiam, & hoc habet tria Capitula.*

Emicuit longo temporis decurſu in Ordine noſtro hæc Prouincia, in qua celebris illa Hollandiæ Congregatio tot Summorum Pontificum, Magiſtrorum Ord. atque Generalium Capitulorum priuilegijs ditata floruit, quæ præſtantiſſimos tum ſanctitate, tum doctrina Viros Orbi exibuit, qui plurimas Ordinis Prouincias in priſtinum Regularis obſeruantiæ nitorem reſtituere. Vnde in Regeſtis Mag. Ord. F. Leonardi Manſueti teſtatum reperitur eundem Reuerendiſſimum reformationem Nationis Caſſubiæ P. F. Alberto Petri, ita demandaſſe. *F. Alberto Petri Congregationis Hollandiæ committitur reformatio Nationis Caſſubiæ Prouinciæ Poloniæ, cum omnibus gratijs, talibus dari conſuetis, & facta reformatione ſubmittitur illa Natio ſub Vicario Hollandiæ. Romæ 10. Iunij 1474.* P. F. Alberto prædicto fuit quoque demandata auctoritas reformandi Conuentus Liuoniæ, Finlandiæ, & Ruſſiæ; ita enim in ſuprad. Regeſt. legitur. *F. Alberto Petri datur auctoritas reformandi in Nationibus Liuoniæ, Finlandiæ, & Ruſſiæ Conuentus, quos potuerit, ſi Domini Locorum eum requiſierint, qui Conuentus reformandi ſubijciantur Vicario Hollandiæ. Dat. Romæ 23. Auguſti 1475. prout plenè habetur in copia ſignata. F.*

Eodem quoque anno reformatio Conuentus Zirezeenſis fuit eiuſdem Congregationis Vicario P. F. Io: Ex Curia: demandata prout in eiſdem Regeſt. ſubditur. *R. Vicario Congregationis Hollandiæ F. Io: Ex Curia Licentiato in Theologia datur auctoritas reformandi Conuentum Zirczeenſem Prouinciæ Saxoniæ ſi voluerit Illuſtriſſimus Dux Burgundiæ, & non*

ali-

aliter, & ſubijciatur Congregationi Hollandiæ. Dat.Romæ 28. Auguſti prout plenius habetur in copia ſignata §. 1475.

Monaſteriorum etiam Monialium copioſa multitudo in hac Prouincia floruit: vnde in ſuprad. Regeſtis ita habetur. *Sorores omnes Prouinciæ Saxoniæ non debent recipere ſeculares, aut Clericos ad interiora Monaſtery ſub pœnis in earum Conſtitutionibus expreſſis. Item Fratres noſtri non debent intrare eadem Monaſteriã ſub pœna excommunicationis.*

Floruit igitur hæc Congregatio cum Saxoniæ Prouincia vſque ad impij Lutheri tempora, qui maximo cum Catholicæ rei damno fauente Henrico Saxoniæ Duce cum alijs Principibus hæreſis ſuæ veneno populos illos inficiens (quod & perfidus Caluinus in Gallia cum ſequacibus ſuis etiam perfecit) quaſi aper peſſimus eandem Prouinciam de Regionibus illis exterminauit; vltimuſque huius Prouinciæ Prouincialis de quo in Capitulum Actis expreſſa mentio habeatur, fuit P. F. Hermanus Rab. cuius nomen in Romano Capitulo ann. Dom. 1525. ſub Mag.Ord.P.F.Franciſco Siluestro habito, approb.4.ita recenſetur. *Item approbamus aſſignationem aliàs factam à R.P.F. Hermano Rab Priore Prouinciali Saxòniæ de F. Mauritio Gagbelman eiuſdem Prouinciæ, & Ord. in Studentem Theologiæ ad Conuentum Bononienſem de ann. Dom.1523. 6. Aprilis, volumuſque eum per huiuſmodi aſſignationem poſſe, & debere vti omnibus gratijs, & priuilegijs conſuetis, tam in principio, quam in fine ſtudij apud Patres, & Fratres ſui Conuentus, & Prouinciæ.* Et Bononiæ 1564. de Prouinciali Saxoniæ habetur etiam ſermo, ſed ſuppreſſo eius nomine: ita enim dicitur in eiuſdem Capituli Actis conceſſ. 2. *Concedimus Prouinciali Saxoniæ, vt ius acquiſitum à quibuſdam ſuis Conuentibus alendi Iuuenes in Conuentu Colonienſi in ſtudio, & bonis moribus, in alios Conuentus transferre ſuæ Prouinciæ, habentes filios, poſſit, cum ius hoc Prouinciæ Saxoniæ bonis acquiſitum ſit: hac tamen lege, vt quamprimum Priores Conuentus, qui ius acquiſierunt, Fratres adhoc idoneos habere contigerit, iure ſuo vti poſſint, & Colonienſes in hoc parere teneantur, non obſtantibus quibuſcumque.*

Perſeuerauere tamẽ aliqui Conuentus huius Prouinciæ (quorum mentio in Regeſtis Magiſtrorum Ord. habetur) vſque ad annum 1601. quo in Capitulo Generali Romano fuere cum Theutoniæ Prouincia vniti; ita enim denunc. 10. ibid. dicitur. *Denunciamus factam fuiſſe in hoc Capitulo Generali incorporationem Conuentuum Prouinciæ Saxoniæ cum Prouincia Theutoniæ; & præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ ſub formali præcepto omnibus Fratribus illorum Conuentuum, vt in poſterum Reuerendum Patrem Prouincialem Prouincię Theutoniæ tanquam ſuum legitimum caput, & Paſtorem agnoſcant, ac reuereantur, ad illumque pertineat de illis Conuentibus diligentem curam habere.* Quę vnio ita in ſubſequenti Valliſoletano Capitulo 1605. conf. 40. fuit confirmata. *Confirmamus vnionem factam, & incorporationem factam in Capitulo Generali præterito Conuentuum Prouinciæ Saxoniæ cum Prouincia Theutoniæ;* Prædictæ autem reliquiæ ex deſolata Saxoniæ Prouincia ſuperſtites, atque Prouinciæ Theutoniæ vnitę ſunt iſtæ: Conuentus Halberſtadienſis Fratrum, & Sororum: Suſatenſis: Oſnabrugenſis: Paradiſanus Sororum: Vvarpurgenſis: Galileanus Sororum: & Vveſalienſis: & Tremonienſis. Et tandem Romæ 1608. §. *Pro Prou. Theutoniæ,* iterum eadem vnio in hunc modum fuit ſtabilita. *Confirmamus vnionem, & incorporationem Prouinciæ Saxoniæ, Vicariatus, ſeu Congregationis Superioris Germaniæ, & Conuentus Bulſanenſis cum Prouincia Theutoniæ in duobus iam Capitulis proxime præcedentibus factam, & confirmatam.* Romę autem 1629. ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandatum fuit omnibus ad Theutoniæ Prouinciam ſpectantibus, ne eiuſdem Prouinciæ diuiſionem procurare auderent, his additis. *Quod ſi aliquando Superiorum auctoritate, & voluntate diuidenda iudicaretur, à ſeparatione Vicariatuum annexorum Auſtriæ, & Saxoniæ huiuſmodi diuiſionis initium deſumatur.* Vide ſupra ea, quæ diximus Pro Prou. Theutoniæ num. 14.

PRO
PROVINCIA DALMATIAE.
XVIII.

DAlmatiæ Proniuciam nobile extitiſſe Vngaricæ Prouinciæ germen, in dubium verti nequaquam poteſt; quo autem tempore ab illa fuerit ſeiuncta, in Generalium Capitulorum Actis non legimus. P. F. Sigiſmundus Ferrarius Sac. Theol. Magiſter, qui de rebus Vngaricæ Prouinciæ eruditiſſimum opus euulgauit anno Dom. 1638. Viennæ Auſtriæ impreſſum, diuiſionem præfatam reparatæ ſalutis anno 1486. contigiſſe affirmat. At in manifeſtum errorem, Virum aliàs eruditione conſpicuum, offendiſſe indubitatum habeo, cum in antecedentium temporum Magiſtrorum Ordinis Regeſtis non ſolum hæc Dalmatiæ Pronineia crecta conſpiciatur, verum etiam anno 1474. in eadem regularem obſeruantiam floruiſſe manifeſtetur. Ita enim in Reuerendiſs. P. F. Leonardi de Manſuetis Regeſtis habetur. *Die 4. Iunij 1474. F. Bartholomeus de Alzano Bergomenſis fuit inſtitutus Vicarius Generalis Conuentuum, & Monaſteriorum reformatorum in Dalmatia cum poteſtate viſitandi, abſoluendi Prælatos, & Prioriſſas, & faciendi omnia oportuna.* Eodemque tempore proprium habebat etiam Prouincialem, de quo in eiſdem Regeſtis ita ſubditur. *Magiſter Donatus Prouincialis obtinuit poſſe ſtare in Conuentu Raguſino cum Socijs, & camera ſibi, vt Prouinciali deputata abſque aliorum contradictione.* Et ibidem immediatè ita ſubditur. *Magiſter Donatus habuit licentiam exigendi contributiones ſuas ab omnibus Conuentibus, etiam reformatis, ſub pœnis, & cenſuris, excommunicationibus, & alijs: nullis obſtant. die 5. Iunij 1474.* Cum autem Turcarum tirannide plures poſtea amiſiſſet Conuentus, & quod deterius eſt, regularem quoque obſeruantiam à ſe eliminaſſet; in Generali Capitulo Valentino 1596. vna cum Prouincia Græciæ fuit Prouinciæ nomine expoliata, prout ſupra Pro Prouincia Græciæ dictum eſt, & habetur in denunciat. 4. eiuſdem Capituli ſuprad. Permanſit hæc ſuo Prouinciali, & Prouinciæ titulo orbata ſub Vicarij regimine vſque ad ann. 1607. quo cum Patres in Generalibus Comitijs Romæ congregati Prouinciam hanc ad meliorem viuendi normam redactam cognouiſſent, iterum eidem Prouinciæ, eligendi Prouincialem ius ita reſtituere. *Reſtituimus Prouinciæ noſtræ Dalmatiæ priſtinum ſuum ius eligendi Prouincialem, vt antea conſueuerat.*

Pro regulari igitur obſeruantia in hac Prouincia conſeruanda, ſequentia in pluribus fuere Capitulis ſancita.

1 Vt Lectores per ſeptem legerent annos, antiquum decretum fuit confirmatum Romæ 1650. *Ordinamus quod omnino obſeruetur antiquum decretum Prouinciæ quod Lectores legant per 7. annos, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium; nec ſub eo tempore poſſint peti ad gradus, neque aſſumi ad officium Prioratus, niſi velint renunciare, & lectioni, & omni impoſterum habilitati ad gradus: quidquid verò in contrarium fuerit attentatum, ſit totum irritum, & inane.*

2 Petitiones graduandorum fiant in Prouincialibus Capitulis. Romæ 1650. *Volumus, quod petitiones graduum non poſſint fieri niſi in Capitulo Prouinciali à P. Prouinciali, aut Vicario, & PP. Prouinciæ ſimul in Diffinitorio congregatis, ſicut & aliàs fuit ordinatum in eadem Prouincia.*

3 Lectores in exteris Stuſtijs inſtituti, dum ad hanc Prouinciam reuertuntur, teſtimoniales litteras ſuæ inſtitutionis ſecum deferant, P. Prouinciali oſtendendas. Romæ 1650. *Ordinamus, quod Lectores, qui ab externis ſtudijs Generalibus redeunt ad hanc Prouinciam, deferant litteras teſtimoniales PP. Moderatorum Studij, oſtendendas P. Prouinciali, qui etiam per litteras particulares curet ſe ab iiſdem PP. Moderatoribus de rei veritate certificari; ſecus illi pro Lectoribus in Prouincia non habeantur.*

4 Iadræ Præſidentes ſint Graduati. Romæ 1629. *Ordinamus, vt omnes Præſidentes Iadræ debeant neceſſariò eſſe graduati, vel ſaltem prædicatores; alias ad huiuſmodi munera eligi non poſſint.*

5 Intermediæ Congregationes fiant ex Magiſtris, PP. Prouinciæ, Prædicatoribus Generalibus, & Prioribus, ordine tamen ſancito. Romæ 1629. *Ordinamus, vt Congregatio intermedia Prouinciæ fiat ex Magiſtris, & PP. Prouinciæ, Prædicatoribus Generalibus, & Prioribus ordine tantum infraſcripto: ſcilicet quod prima vice interſit Congregationi Prior Iadertinus, Sebenicenſis, & Traguriuus. Secunda vice Prior S. Crucis Spalatenſis, & Bolenſis. Tertia vice*

Prior

Prior Pharenſis, Ciuitatis Veteris, Corchulenſis, & Cattarenſis; eodemque modo, & ordine in ſequentibus Congregationibus retrocedatur.

6 A minoribus ad maiores Conuentus nō fiant affiliationū translationes. Romę 1629 *Prohibemus omnino translationem filiationū Fratrum à Conuentibus minoribus ad maiores huius Prouinciæ, & iam factas omnino annullamus.*

7 Non fiant aſſignationes Priorum pro eiſdem Conuentibus, in quibus ſunt Priores. Romæ 1629. *Prohibemus ſub pœna abſolutionis ab officio P. Prouinciali pro tempore, prout multoties in alijs Capitulis Generalibus prohibitum fuit, ne fiant aſſignationes Priorum pro Conuentibus, in quibus actu ſunt Priores, & factæ nihil valeant pro electione futuri Prioris.* Vide de hac re in Prima P. De Aſſignationibus pag. 51. n. 17.

8 Conuerſi elapſo vno probationis anno poſſunt profiteri. Mediolani 1622. *Diſpenſamus ad petitionem Prouinciæ propter penuriam ſeruorum, vt in ea Fratres Conuerſi elapſo vno probationis anno profiteri poſſint, dummodo tamen per aliquod temporis ſpatium in habitu ſeculari infimis officinis intenti in Conuentibus verſentur.*

9 Ordinationes à P. Prouinciali F. Nicolao de Pharo pro Studiorum, & Nouitiatuum reformatione factæ confirmatæ fuere Mediolani 1622. *Confirmamus ordinationes factas ab A. R. P. Prouinciali F. Nicolao de Pharo Lectore pro reformatione Nouitiatuum, & Studiorum huius Prouinciæ.*

10 Huius Prouinciæ filij ad alias Prouincias per affiliationem non transeant. Mediolani 1622. *Rogamus Reuerendiſs. P. Magiſtrum Ord. ne deinceps vlli Fratri huius Prouinciæ facultatem concedat affiliationem in aliam Prouinciam transferendi.*

11 Profugi Fratres huius Prouinciæ in alijs non recipiantur. Mediolani 1622. *Admonemus AA. RR. P. P. Prouinciales ne huius Prouinciæ Fratres profugos recipiant, niſi iuxta ordinationes, & ſtatuta Ord. noſtri, neque aliquem ex hac Prouincias ad gradus, aut dignitates admittant quin præmonuerint huius met Prouinciæ Prouincialem, eius ſententia, bonoque teſtimonio præhabito.*

12 In eodem Conuentu non reaſſumantur in Priores Fratres, niſi poſt transactum duorum, vel trium &c. Prioratuum interſtitium Mediolani 1622. *Statuimus, vt qui fuerit Prior in vno Conuentu, in eodem iterum eligi nequeat ante elapſum interſtitium duorum Prioratuum; quo exacto ſi alia vice fuerit Prior, iterum eligi non poſſit niſi transacto trium Prioratuum ſpatio, & ſic deinceps addendo interſtitum vnius Prioratus ad præcedentes, ſi contingat pluries eundem Fratrem in eodem Conuentu eligi in Priorem.*

13 Ad Magiſterij gradum poſſunt Fratres promoueri, etiamſi neceſſarios ad idem munus conſequendum ſcholaſticos actus non compleuerint. Mediolani 1622. *Cum ex paucitate diſcipulorum non poſſint Fratres docendo facile gradus ſibi comparare, concedimus vt qui per quadriennium conciones infra annum habuerint, aut infra tantundem tempus caſus Conſcientiæ ter in hebdomada, aut Sac. Scripturam diebus feſtiuis, legerint, ſiue Artium curſum perfecerint, ad officium Magiſtri Studentium, & Baccalaureatus peti poſſint; ſi aliàs ſufficientes in Doctrina fuerint.* Romæ autem 1583. mandatum fuerat, vt nullus ad Baccalaureatum promoueretur, qui ſeptē annis non legiſſet in hac Prouincia, nec ad Magiſterium niſi pro gradu, & forma per quatuor annos docuiſſet: ita enim ord. 25. dicitur. *Ordinamus in Prouincia Dalmatiæ, quod nullus poſſit promoueri ad gradum Baccalaureatus qui per ſeptem annos non fecerit curſum lecturæ in Prouincia, nec ad Magiſterium, niſi prius per quadriennium ſententias legerit pro gradu, & forma, & hoc quidem ad petitionem ipſius Prouinciæ.*

14 Graduatorum numerus, licet fuerit in Capitulis Romanis 1583. taxatus, atque 1589. confirmatus ita vt Magiſtri eſſent ſex, Baccalaurei quatuor, & Prædicatores Generales quot ſunt Conuentus, vt dictum eſt ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26. Fuit tamen Romę 1608. ita immutatus, & auctus. *Augemus numerum graduatorum, nempe Magiſtrorum ad octonarium, Baccalaureorum ad ſenarium, & prædicatorum Generalium ad quinarium.* Et tandem Magiſtrorum numerus ad denarium fuit auctus Romæ 1612. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt numerus Magiſtrorum augeatur vſque ad numerum denarium, nec impoſterum poſſit amplius augeri.*

15 Ad Baccalaureatus gradum nullus promoueatur niſi in Prouincialibus Capitulis concluſiones ſuſtinuerit. Romæ 1608. *Ordinamus quod nullus petatur, aut promoueatur ad gradum Baccalaureatus, niſi prius in Capitulo Prouinciali eiuſdem Prouinciæ publicas defenderit concluſiones.*

16 Qui ad alias Prouincias per affiliationem fuere translati, in hac nullum gradum, & officium conſequi valent. Romæ 1608. *Ordinamus in eadem Prouincia* (ſcil. Dalmatiæ) *ad bonum, & vtilitatem eius, vt Fratres, qui eiuſdem Prouinciæ ſunt originales filij, ſed in alijs Prouincijs affiliati exiſtunt, in Prouincia Dalmatiæ nullum officium, ſeu gradum habere poſſint, nec in eadem reaffiliari. Quò nimirum natiui Prouinciæ filij in ea maneant, & propagationi Ordinis, & prædicationi, præſertim ob vicinia Turcarum ſedulò incumbant.*

17 Vt Examinatores vocum pro electione Prouincialis facienda per vota ſecreta eligantur, ſancitum fuit Romæ 1569. ord. 18. *Ordinamus*

mus

mus pro Prouincia Dalmatiæ, vt examinatores vocum pro electione Prouincialis, & Diffinitorum facienda, ſecundum eorum priuilegia fiant per vota ſecreta. Romæ autem 1552. conceſs. 4. de hac re ita ſtabilitum fuerat. *Concedimus Prouinciæ Dalmatiæ quod in omnibus ſuis Capitulis Prouincialibus examinatores vocum à maiori parte præſentiorum vocalium eligantur.*

PRO PROVINCIA TRINACRIAE. XIX.

TRinacriæ, ſeu Siciliæ Prouinciam nobile extitiſſe Prouinciæ Regni germen, ex ijs, quæ Pro eadem Prouincia Regni ſupra retulimus, manifeſtè conſtat; quo autem anno ab eadem fuerit ſeparata, atque in peculiarem Prouinciam erecta, hoc opus, hic labor eſt; nam in Genaralium CapitulumActis nullum de tali ſeparatione monumentum reperimus.

P.F. Teodorus Vallus in ſua, nobili de Prouincia Regñi, quam euulgauit, hiſtoria circa annum reſtitutæ ſalutis MCCCCXVI. id contigiſſe affirmat: Veruntamen neque in Actis Cap. Gen. Argentinę 1417. celebrati neq; in ſubſequētibus alijs vllus de hac re fit ſermo.

Ipſam antè diri Eccleſiæ ſchiſmatis tempore contigiſſe Scriptores Ordinis, & cronicuncula Cōſtituti onibus noſtris appoſita aſſirmant. Nos verò in ea ſumus ſententia, vt in peculiarem Prouinciam ann. 1395. à B. Raymundo de Capua Ordinis noſtri, in ijs Prouincijs, quæ Vrbano VI. vero Pontifici adherebant, Generali Magiſtro fuerit inſtituta: cum enim illo anno dictus B. Raymundus Apoſtolici Nuncij pro eodem Vrbano in Trinacriæ Regno fungeretur, Neapolitanumque Regnum cum Regina Ioanna ad Pſeupontificis Clementis VII. partes declinaſſet, congruū iudicamus, vt illam à Prouincia Regni Apoſtolica, qua fungebatur auctoritate, ſeiunxerit. Circa quæ vide ea, quæ in Prima Par. De Reformat. Ord. diximus.

Protulit hæc Prouincia, etiam in ſuis primordijs viros præſtantiſſimos, de quibus in Magiſtrorum Ord. Regeſtis mentio habetur, quorum vnum, vel alterum tantum teſtimoniū hic ſubdimus. P.F. Saluus Caſetta de Panormo Magiſter Sac. Palatij (qui etiam ſupremum Ordinis noſtri regimen fuit poſtea cōſecutus) dum præfato munere fungeretur, fuit Generalis Vicarius huius Prouinciæ inſtitutus: Ita enim in Regeſt. P.F. Leonardi de Manſuetis legitur. *Magiſter Saluus Caſetta de Panormo Magiſter Sacri Palatij fuit factus Vicarius totius Trinacriæ cum pleniſſima poteſtate, etiam ſuper Monaſterijs, citra abſolutionem Prouincialis: nullis obſtantib. Romæ 13. Iunij 1474.*

P.F. Io: de Candido fuit ab eodem Magiſtro Ord. aſſignatus at legendum ſententias Romæ in Sacro Palatio. Ita ex eiuſdem Regeſt. die 5. Iunij 1474. *F. Io: de Candido Baccalarius fuit deputatus ad legendum ſententias in Sacro Palatio pro ſecundo anno pro gradu, & forma, et completa lectura habuit licentiam accipiendi inſignia Magiſtralia vbicumque.*

Sicuti in ſuis primordijs regularem perdiderat hæc Prouincia obſeruantiam, ita candem poſt non multorum annorum fluxum ad ſe in multis Conuentibus reuocauit: Ita enim in Actis Capituli Generalis apud Montempeſſulanum ann. 1456. celebrati emicat §. Acceptationes. *In primis acceptamus Conuentum S. Benedicti de Meſſana Prouinciæ Trinacriæ nuper Apoſtolica auctoritate obtentum, cuius regimen, & gubernationem committimus Vicario Conuentuum Reformatorum in Prouincia Trinacriæ.*

Eorundem quoq; reformatorum Conuentuum ann. 1474. in Regeſt. P.F. Leonardi de Manſuetis inſtitutus in Vicarium P.F. Iacobus Dulci, ita manifeſtatur. *F. Iacobus Dulci de Venetijs fuit inſtitutus Vicarius ſuper Conuentus reformatos in Trinacria donec eligatur Vicarius nouus, quem confirmabit Prouincialis.* Et ibidem ita ſubditur. *Magiſter Iacobus Reda Sicilienſis Prouincialis Trinacriæ habuit licentiam tenendi vnum, vel duos Socios vitæ Regularis, illoſque mutare ad libitum, & alios aſſumere, ſuper quibus ipſe habeat, & non alius pleniſſimam poteſtatem. Romæ die 4. Iunij 1474.*

Pro regulari ergo obſeruantia in hac Prouincia conſeruanda ſequentia fuere in Capitulis Generalibus mandata.

1 Lectores, qui in Generalibus Studijs non fuere Studentes, nomine, & titulo Lectoris careant. Romæ 1650. *Ordinamus quod Lectores, qui nunquam in aliquo Studio Generali fuerunt Stu-*

Studentes formales exautorentur quoad titulum, ac nomen Lectoratus, præcipientes vniuerſis, tam capitibus, quam membris ſub pœna priuationis vtriuſque vocis, vt eos tanquam non Lectores tractent, & habeant.

2 Circa perſoluendas contributiones P. Prouinciali hæc fuere in Generali Capitulo Romæ 1650. celebrato ſancita. *Confirmamus ordinationem 19. Capituli Prouincialis celebrati Meſſanæ die 24. Aprilis 1649. ſub A.R.P.Mag. F. Laurentio Bertholo; ſequentis tenoris. Pro ſeruanda iuſtitia diſtributiua in noſtris Conuentibus, præſertim Syracuſano, Miliatij, Cephaludi, & Thermarum, eo quod, vt in plurimum, imo quotidie, vexantur receptione hoſpitum, Conuentus Miliatij, Cephaludi, & Thermarum in ſoluendis contributionibus non niſi tarenos duodecim ſoluant, Conuentus verò Syracuſarum vnciam vnam: & ne Prouincialis patiatur, loco ipſorum oneramus Conuentum Valletta in Inſula Melitæ, vt ſoluat vncias duas, Conuentus Veriæ, & Caſtaniæ vnciam vnam, & locus S. Michaelis Montis S. Iuliani tarenos decem, & octo cum in his Conuentibus rari videantur hoſpites, ſintque in ſat commodo ſtatu.*

3 Vt Baccalaurei in Studio Generali conſtituti triennales, Magiſtri verò Studentium biennales eſſent, mandatum fuerat Romæ 1629. Valentiæ verò 1647. vt Baccalaurei biennales Magiſtri Stodentium verò annuales exiſterent, ſancitum fuit hoc modo. *Declaramus quod Regentes in noſtris Studijs Generalibus* (ſcil. huius Prouinciæ) *ſint triennales, Baccalaurei ordinarij biennales, & Magiſtri Studentium annuales.*

4 Conuentus Inſulæ Melitæ à Prouincialibus ipſis viſitentur, vel à Viſitatoribus ex eiuſdem Inſulæ Conuentibus aſſumendis. Valentiæ 1647. *Confirmamus, quod aliàs ſtatutum fuit, ſcilicet quod ad euitandas expenſas Conuentuum Inſulæ Melitenſis, Prouincialis eoſdem Conuentus, vel viſitet per ſe ipſum, vel per Viſitatorem qui ſit ex Fratribus inſulanis.*

5 Alternatiua Pro electionibus Prouincialium, & Diffinitorum habendis fuit in hunc modum Romæ 1644. ſancita. *Pro iuſtitiæ æqualitate ſeruanda circa celebrationem Capitulorum, & electionem Prouincialium, ac Diffinitorum, ordinamus Alternatiuam Vallium Neti, Nemorum, & Maſſariæ, quam ordinamus fieri ſub infraſcriptis legibus, videlicet, quod ſequens Capitulum Prouinciale celebretur in Valle Neti, cuius erunt duo Diffinitores (quod ſit deinceps de iure Vallis, vbi Capitulum celebrari contigerit) Prouincialis verò, & alter Diffinitor ſit Vallis Nemorum, quartus tandem Maſſarij, & ſic ſucceſiuè iuxta ſupradictum ordinem Vallium alternatio fiat. Quoad illos verò, qui ad Capitulum Generale mittuntur, primus Diffinitor, vel Socius Prouincialis (ſi Capitulum Prouincialium fuerit) ſit illius Vallis, vbi celebratur Capitulum, ſecundus autem Diffinitor, ſiue Elector ſit alterius Vallis; nec vnquam ex eadem ſumantur Valle Prouincialis, & Socius eiuſdem, ſiue Diffinitores, vt ſic vna quæque Vallis ſuo proprio gaudeat voto. Quod ſi ij, ad quos iuxta hanc legem ire ſpectabit, impediti fuerint, tunc iuxta profeſſionis antiquitatem ex Valle, cuius deficit, ad Diffinitores præcedentis Capituli habeatur recurſus. Quod ſi adhuc deſiderantur, tunc ad aliud præcedens Capitulum modo, quo ſupra, retrogrediatur, & tandem ſi nullus adhuc ſupereſt obſeruentur circa id Conſtitutiones, & ordinationes Capitulorum Generalium.*

Demum verò ne fraus ex nouiſſimis affiliationibus accidat, nullus, qui ex vna ad aliam Vallem transfertur, poſſit, niſi poſt quatuor annos completos, ad ſupradicta munia eligi. Si vero aliter circa omnia, & ſingula præmiſſa fieri contigerit, totum ſit irritum, nullum, & inane.

Concedimus, vt pro alternatiua Vallium poſſit peti Breue. Breue autem Apoſtolicum prædictorum omnium confirmatiuum ab Innocentio Papa X. emanauit, prout aſſeritur in Actis Capit. Valentini 1647. in quo quædam ad præfatam Alternatiuam ſpectantia ita fuere declarata. *Confirmamus declarationem illam in Capit. Prouinciali in Conuentu S. Dominici de Sacca anno nuper elapſo celebrato factam, quod ſcilicet ſequens Capitulum Prouinciale celebretur in Conuentu S. Dominici de Meſſana Sabbato præcedenti Dominicam* Deus qui errantibus *anno 1646. & quod Prouincialis eligatur de Fratribus Vallis Neti, & Prouincialis eligatur de Valle Nemorum, & ſic ſucceſſiuè iuxta modum Alternatiuæ factam in Capit. Generaliſs. Romæ celebrato ann. 1644. Si tamen Reuerendiſs. P. N. Generalis auditis partibus, non videat emergere aliquid, quod ſit contrarium præfatæ ordinationi Capituli Generaliſs. Romæ 1744. quæ per Breue Sanctiſs. D. N. Innocentij X. eſt confirmata.*

6 Ordinationes à P. Mag. F. Vincentio Bartolo aliquando Vicario, deinde Prouinciali huius Prouinciæ fuere confirmatæ Romæ 1644. *Denunciamus omnes ordinationes factas ab A. R. P. Mag. F. Vincentio Bartolo, tum tempore ſui Vicariatus, tum etiam eas, quas edidit in vltima dicta celebrata Meſſanæ menſe Maij 1642. & præcipuè eas, quæ pro inſtitutione Collegij Prædicatorum ſub titulo S. Vincentij in Conuentu S. Zitæ de Panormo ſancitæ ſunt, fuiſſe à Reuerendiſs. P. Magiſt. Fr. Nicolao Rodulphio tunc generali auctoritate Apoſtolica confirmatas, eaſque ſub eiſdem pœnis in caſu contrauentionis, recipimus in præſenti Capitulo.* Fuerunt ſupradictæ Ordinationes etiam confirmatæ Romæ 1629.

Prio-

7 Priores ſint biennales Romæ 1546. ord. 22. quam ordinationem. Vide ſupra Pro Prou, Aragoniæ num. 48. quod etiam fuit confirmatum Romæ 1644. prout conſtat ex ſequenti, numero.

8 Prouinciales quoq; ſint biẽnales: ita poſt generalem ordinationem factam Romæ 1629. vt in toto Ordine eſſent quadriennales, ſancitũ fuit ſpecialiter pro hac Prouincia Romę 1644. *Ordinamus vt Priores Prouinciales, & Conuentuales ſint biennales vti erant ante celebrationem Capituli Generalis Romæ 1629. abſque tamen præiudicio præſentis Prouincialis P. Mag. F. Vincentij Bartoli, quem etiam Fratres in ſupradicta vltima Dieta Meſſanenſi confirmauerunt, & etiam abſque præiudicio præſentium Priorum.*

9 Duo tantum Generalia Studia in hac ſint Prouincia Romæ 1644. *Ne ex multitudine Studiorum Generalium multitudo Graduatorum augeatur, ordinamus & ſtrictè mandamus ne impoſterum ſint niſi duo Studia Generalia, S. Dominici de Panormo videlicet, & S. Dominici de Meſſanâ; Collegium verò S. Hieronymi de Meſſana tanquam vnus ex alijs Conuentibus Prouinciæ recognoſcatur; retento tamen ſolo titulo Regentis, & Baccalaurei pro ipſis Lectoribus, dum in eodem Conuentu legerint, & non vltra.* Vide Pro Prouincia Toloſana num. 27.

10 In Studentes formales non recipiantur qui de vita, & moribus fides non habent. Romæ 1629. *Ordinamus vt Studentes formales in ſtudium non cooptentur niſi litteras teſtimoniales de ſuorum morum, ac vitæ integritate Patrum à Conſilijs Conuentus, à quo receſſerunt, habuerint & à ſtudij Moderatoribus examinati, & per vota ſecreta approbati fuerint. Quod ſi huiuſmodi moderatores aliquem Fratrem in ſtudium abſque præuio examine receperint, in pœnam ſuis officijs priuentur, taliſque Fratris receptio nulla ſit.*

11 Singulis annis de vita, moribus, & litteris examen ſubire debent. Romæ 1629. *Ordinamus, vt omnes Studentes ſingulis annis quoad litteras, & mores examinentur, ac per vota ſecreta approbentur, vel reprobentur. Idem fiat in examine ad officium Lectoratus; aliàs receptio, & inſtitutio Lectoris nulla ſit.* Quod etiam fuit ordinatum Vlyſſiponæ 1618.

12 Per Prouinciale Capitulum in Generalibus Studijs Studentes aſſignentur. Mediolani 1622. *Decernimus iuxta alias ordinata Studentes formales in Studijs Generalibus tantũ per Capitulum Prouinciale eſſe aſſignandos præuio examine quoad mores per Priorem, & PP. Conuentus, vbi erant aſſignati; quo verò ad ſufficientiam litterarum, per Moderatores Sudij faciendo; cuius examinis, & approbationis in ipſa aſſignatione fiat mentio, præfixo termino ſex menſium, quo elapſo niſi aſſignationes ipſæ executioni mandatæ fuerint, nullius ſint poſtea roboris, & firmitatis.* Et Romæ 1608. mandatum eſt, vt eiſdem ſtudij tempus non computetur niſi ſint in Generalibus ſtudijs aſſignati. *Declaramus quod tempus ſtudij non debet Studentibus computari, niſi illud in aliquo Studio Generali exegerint.*

13 Magiſtri, & Baccalaurei ſine Prouinciæ petitione inſtituti, ſolo titulo gaudeant, donec à Capitulo Prouinciali acceptentur. Mediolani 1622. *Statuimus Baccalaureos, & Magiſtros abſque petitione Prouinciæ inſtitutos, nec loco, nec voce potiri poſſe, ſed tantum titulo, donec acceptentur à Capitulo Prouinciali.*

14 Graduandi, per ſaltum non promoueantur. Romæ 1608. *Ordinamus ne Fratres graduandi promoueantur ad gradus per ſaltum, & ſi qui modo ſic promoti indigni reperiantur, Reuerendiſs. P. N. Mag. Ord. declaret illos non eſſe Magiſtros.*

15 Graduandorum petitiones non fiant, niſi prius in Prouinciæ Regeſto fuerint notatę. Ita ſubditur in ſuprad. Cap. Romano 1608. *Item* (ſcil. ordinamus) *quod nullæ fiant petitiones graduum, niſi prius ſint notatæ, & regiſtratæ in Regiſtro Prouinciæ. Quod ſi ſecus factum fuerit, illæ tanquam ſubreptitiæ, falſæ, & nullæ habeantur; & qui id fecerint, tanquam falſarij puniantur.*

16 Baccalaureorum nullus locum habeat, qui in aliqua Vniuerſitate ſententias non legerit. Venetijs 1592. ordinat. 29. *Ordinamus in Prouincia Trinacriæ, & diſtrictè pręcipimus RR. PP. Prouincialibus pro tempore exiſtentibus quatenus omnibus Graduatis, qui ſaltem ſententias in aliquo Studio Generali non legerint, de Conuentibus prouideant, vbi lectiones Artium, aut Theologiæ habere poſſint, ac debeant; & vbi in Conuentibus diſcipuli deerunt, prædicare, Scripturam Sac. populis declarare debebunt, ac caſus Conſcientiæ Fratribus legere. Quod ſi talia recuſauerint, officijs, & gradibus priuentur. Quod nullus Baccalaureus* (ſcil. etiam ordinamus) *qui non legerit ſententias pro gradu, & forma Magiſterij in aliquo Studio Generali, habeat locum Baccalaureis debitum, ſed eum, qui ſuæ eſt profeſſionis, teneat, non obſtante quacunque conſuetudine, & conceſſione.*

17 Graduatorum numerus ita fuit Romæ 1583. ſtabilitus ord. 16. *In Trinacria Magiſtri 25. Baccalaurei 12. Prædicatores Generales* 8, qui Romæ pariter 1569. conf. 29. ita fuit confirmatus, nulla de Prædicatoribus Generalibus mentione facta. *In Prouincia Trinacriæ Magiſtri 25. Baccalaurei* 12. Vide ſupra Pro Prou. Toloſ. num. 27.

18 Prouinciales, etiam abſoluti, remanent vſque ad ſucceſſoris cõfirmationem Prouinciç Vicarij. Romæ 1546. ord. 22. *Vide ſupra Pro Prou. Aragoniæ num.* 48.

19 Terminato autem proprio munere locum ſuper omnes obtinent: ita pro omnibus Prouincijs fuit in pluribus Capitulis ordinatum.

tum. *Vide de Abſol. Prior. Prouincial.* in p.p. num.25. ſpecialiter verò pro hac Prouiucia, ta mandatum fuit Romæ 1542. *Item ordinamus quod Prouinciales in dicta Prouiucia* (ſcil. Triuacriæ) *elapſo tempore ſui officij teneant locum ſecundum Conſtitutiones, & Acta Cap. Lugduni celebrati* (hoc eſt aun. 1536.) *quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.*

20 In eodem etiam Romano Capitulo 1542. conceſſum fuerat, vt Prouinciales poſt quadriennium, Priores verò poſt biennium ad idem munus poſſent reaſſumi habito tamen prius ſuper hoc Apoſtolico Breui. *Item determinamus quod Prouinciales Prouinciæ Trinacriæ elapſo quadriennio poſſint reelegi, & Priores in eadem Prouincia elapſo biennio poſſint etiam reelegi, habito ſuper hoc ſi, & quatenus opus fuerit Breue, ſeu approbatio Pontificia.* Si autem ad hoc Apoſtolica non acceſſerit confirmatio, ſeruanda erit etiam in hac Prouincia, ſicut fit in cœteris Apoſtolica Iulij II. Conſtitutio. *Vide in p.p. de Prioribus Conuent. num.30. & de Abſol. Prior. Prou. num.24.*

21 Capitulum Prouinciale in Dominica *Deus, qui errantibus* celebretur. Bononiæ 1615. *Concedimus dictæ Prouinciæ* (ſcil. Trinacriæ) *tempus Capituli celebrandi Dominica Deus, qui errantibus.*

22 Non mittantur plures Nouitij profeſſi ad Conuentus, quam ſint cellæ in dormitorio pro ipſis deputato Bononiæ 1615. *Confirmamus ordinationem ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Card. de Aracœli tunc noſtri Ord. Generali Magiſtro in Prouincia noſtra Siciliæ factam, videlicet vt non plures Nouitij profeſſi ad Conuentum S. Dominici de Panormo, & alios quoſcumque mittantur, niſi quot cellæ pro eiſdem in eorum dormitorijs extant. Præcipientes omnibus Præſidentibus ſub pœna abſolutionis ab officijs quatenus Fratres Clericos quoſcunque non Sacerdotes extra eorum proprium dormitorium, & proprias cellas dormire non permittant.*

23 Studentium numerus in Panormitano Studio præfixus non augeatur. Bononię 1615. *Confirmamus ordinationem Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalis de Aracœli, vt numerus Studentium in Conuentu S. Dominici de Panormo iam præfixus non augeatur.*

24 Conſanguinei in primo, & ſecundo gradu in Prouincialatus, ſeu Prioratus munere non poſſint ſibi ſuccedere Valentiæ 1596. conceſs.3. *Item* (ſcil. Prouinciæ Trinacriæ concedimus) *ad eius petitionem, vt conſanguinei in primo, & ſecundo gradu ſibi inuicem in Prioratu, aut Prouincialatu ſuccedere non poſſint.*

PRO PROVINCIA PORTVGALLIAE.

XX.

IN eadem eſt cauſa cum Siciliæ Prouincia hæc quoad ſui inſtitutionem, atque ab Hiſpaniç Prouincia ſeparationē de ea enim nec verbum quidem in Generalium Capitulorum Actis habetur. P.F. Ludouicus de Souſa, qui eruditiſſimam de hac Prouincia euulgauit hiſtoriam, eam ab anno reparatæ Salutis MCCCLXXXVIII ab Hiſpaniæ Prouincia. ſeparatam, atque à Generalibus Vicarijs rectam fuiſſe aſſerit; Subditque 1.p. lib.6. cap. 39. poſt ſchiſmatis Eccleſiaſtici elimiuationem iu peculiarem Prouinciam fuiſſe erectam in Generali Cap. Florentiæ an. MCCCCXVII. congregatis, à Patribus noſtris. At Virum aliàs eruditiſſimum in manifeſtum incidiſſe in hac re errorem, ſatis ſuperque liquet; nam ann. MCCCCXVII. non Florentiæ, ſed Argentinæ fuerunt Generalia noſtra Comitia congregata: Ita enim in Actis eorundem habetur. *Hæc ſunt Acta Capituli Generalis Argentinæ Prouinciæ Theutoniæ celebrati in Feſto Pentecoſtes die 6. Menſis Iunij Anno Dom. 1417. ſub Reuerendiſs. P. & Sac. Theolog. Profeſſore F. Leonardo Statij de Florentia Ord. Prędicatorum Magiſtro Generali:* In præfati autem Capituli Actis, nec verbum quidem de tali inſtitutione habetur. In parua Cronica, quæ in calce libri Conſtitutionum noſtrarum eſt appoſita; ita dicitur: *Hoc tempore* (nempe ſchiſmatis) *facta eſt diuiſio Prouinciarum aliquarum Ordinis, ſcilicet Hiſpaniæ, in Prouinciam S. Iacobi, & Portugalliæ. Item Prouinciam Regni, in Prouinciam Siciliæ, & Trinacriæ; & ſic factæ ſunt xx. Prouinciæ:* An autem præfata diuiſio ab Ordine, vel à verò Pontifice, cuius partes, ſicuti & B. Raymundi de Capua legitimi Generalis Magiſtri, Portugalliæ Regnum ſequebatur (prout in eadem cronicula aſſeritur) facta fuerit, de hac re

Google

nihil certum adducere poſſumus; maximè cum Scriptores noſtri probata teſtimonia de hac re non referant.

Reſtitutum fuiſſe in aliquibus huius Prouinciæ Conuentibus Regularis obſeruantiæ deperditum candorem, ex quibus coaluiſſe Vicariam ſpecialem reformatam, ab an. 1476. ex Regeſt. Magiſtri Ord. P. F. Leonardi de Manſuetis eluceſcit, in quibus ita legitur. *Priori Prouinciali Portugalliæ conceditur quod poſſit facere in ſua Prouincia Iubilarios, & Conuerſis mutare ſcapulare album. Et omnes Conuentus reformati poſſint ab eo per cenſuras cogi, vt ad Capitula Prouincialia vadant, ſoluant contributiones, vtque eum benignè ſuſcipiant, cum ad eos declinauerit; & poteſt intrare Sororum Monaſteria ad ea viſitandum, & corrigendum; nullis obſtantibus, &c. Datum Romæ 26. Ianuarij 1476.*

Tales autem Conuentus regulariter viuentes ſub proprij Generalis Vicarij regimine conſtituti erant; vnde in ſupradictis Regeſtis ita legitur. *Vicario Generali Conuentuum reformatorum præcipitur ſub pœna abſolutionis ipſo facto, quod infra tres dies compareat ſe iuſtificaturus de 18. Fratribus expulſis ab eo de Conuentu Ozcitan, quia paruerunt Prouinciali; & arripiat iter ad comparendum; & Præſidenti, & Fratribus dicti Conuentus ſub dicta pœna, & inſuper grauioris culpæ ipſo facto, quod dictos Fratres expulſos recipiant redeuntes ad dictum Conuentum Ozcitan. dando eis facultatem liberam redeundi, & ibi ſtent donec aliter ordinetur. Dat. Romæ 3. Martij 1477.*

Pro huius conſeruatione Prouinciæ infraſcriptæ in Generalibus Capitulis emanauere ordinationes.

1 Vt Graduatorum numerus eſſet, Magiſtrorum 15. Præſentatorum 12. & Prædicatorum Generalium quot ſunt Conuentus, ordinatum fuerat Romæ 1583. ord. 16. quod fuit confirmatum etiam Romæ 1589. conf. 29. vt diximus ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 56. Antea verò Romæ 1546. ord. 19. mandatum fuerat, vt Magiſtri eſſent decem, & Baccalaurei quindecim, vt dicetur infra num. 31. Romæ poſtea 1612. Sancitum fuit, vt Magiſtri ſint duodecim, in quorum acceptatione ſeruetur Breue Pij V. eidem Prouinciæ conceſſum: Ita in eodem Cap. dicitur. *Confirmamus quod numerus Magiſtrorum in eadem Prouincia* (ſcil. Portugalliæ) *ſit duodenarius, & cum modo in dicta Prouincia ſint Magiſtri ſexdecim gaudentes voce, & loco, nolumus quod impoſterum aliquis à Prouincia poſſit petere Magiſterium, niſi ad præfatum numerum duodenarium ſint redacti: voluimuſque quod in acceptatione Magiſtrorum inuiolabiliter obſeruetur Breue fel. record. Pij V. eidem Prouinciæ conceſſum.* Et hoc idem fuit ordinatum Romæ 1650. *Declaramus quod iuxta ordinationem vltimi Cap. Valentini, extra numerales Magiſtri debeant reduci ad numerum: ſicque ad numerum duodenarium reducimus Magiſteria RR. PP. F. Dionyſij de Alencaſtro, & F. Gundiſalui de Gama.* Quod etiam fuit confirmatum Romæ 1601. additumque duos alios pro Indiarum Orientalium Congregatione ſuperaddi poſſet. Ita enim ord. 38. dicitur. *Ordinamus, vt in Prouincia Luſitania ad eius petitionem Magiſtri à Prouincia exponendi pro ipſa Prouincia non excedant numerum duodenarium: Concedimus tamen, vt pro Congregatione India Orientalis duo alij admitti poſſint ex ijs, qui in ipſa Congregatione iuxta noſtras Conſtitutiones legerint. Declarantes quod qui pro dicta Congregatione fuerint admiſſi, vel ad Præſentaturam, vel Magiſterium, priuilegijs ſuorum graduum gaudeant in dicta Prouincia; dummodo tamen non ſine ſpeciali licentia Reuerendiſs. P. Generalis, vel Cap. Prouincialis ex illis partibus diſcedant, quam in ſcriptis deferant, in qua huius mentio fiat, aliàs minimè.* Romæ autem 1629. Præſentatorum numerus ad duodenarium fuit auctus. *Extendimus numerum denarium Præſentatorum huius Prouinciæ ad numerum duodenarium, & pro primo inſtituimus Præſentatum R. P. F. Antonium Vairam. Pro ſecundo P. F. Paulum de Souſa.*

2 Qui ad Indiæ Orientalis Congregationem ſpectant, in illa permaneant, alias in electionibus huius Prouinciæ voce careant vtraque. Romæ 1650. *Ordinamus quod Fratres noſtri filij Congregationis Indiæ Orientalis intra vnius anni ſpatium ad dictam Congregationem ſe transferant; Eorum verò, qui in hoc non paruerint, ex nunc priuamus voce actiua, & paſſiua in electionibus Prouinciæ Portugalliæ; idque volumus perpetuo obſeruari.*

3 Prouincialis electio, Prouinciæ Hiſpaniæ more, & Dominica *Deus qui errantibus*, & electus autem ſtatim Prouinciam regat, celebretur. Romæ 1571. ord. 12. quod fuit confirmatum Barcinonæ 1574. conf. 27. *Item confirmamus ordinationem illam de ſpeciali commiſſione S. D. N. fel. record. Pij V. viuæ vocis oraculo factam, & præcipimus, vt deinceps in Prouincia Portugalliæ electio Prouincialium more Prouinciæ Hiſpaniæ celebretur; & Capitula Prouincialia deinceps fiant poſt Octauas Paſchæ 2. Dominica Deus, qui errantibus, & in Sabbatho præcedenti electio Prouincialis celebretur, qui ſtatim declarata electione auctoritatem habeat ſuper totam Prouinciam ſub titulo Vicarij Generalis, donec confirmationem accipiat, & tempus quadriennij ab electione computetur.* Antea verò Aueniione 1561. quantum ad electos Prouinciales idem fuerat ita ordinatum concell. vit. *Concedimus FF. Prouinciæ Portugalliæ ad eorum petitionem, vt Prouinciales electi incipiant exercere officium à die ſuæ electionis; impetrato tamen ſuper hoc beneplacito, & facultate per Breue Apoſtolicum conformiter ad tenorem conſimilis facultatis impe-*

pe-

Digitized by Google

petratæ à Prouincijs Hiſpaniæ, & Beticæ.

4 Vt intermedia Capitula de biennio in biennium celebrarentur. Ita in ſupradictis Capitulis, & ordinationibus mandatum fuerat. *Capitula etiam intermedia quolibet biennio eadem Dominica* (ſcilicet Deus qui errantibus) *celebrari debent, contraria conſuetudine non obſtante.* Bononiæ verò poſtea 1615. conceſſum eidem Prouinciæ fuit vt Congregatio loco eiuſdem Capituli haberetur, determinatis illis, qui ad illam accedere debeant. *Concedimus Prouinciæ noſtræ Portugalliæ, vt loco Capituli Intermedij Congregationem habere poſſit; Patres autem, qui illi Congregationi intereſſe debebunt, erunt, octo Magiſtri antiquiores, & octo Priores primarij, videlicet Vlixiponenſis de Benifica, de Azeton, Eborens. Santarenens. de Bello, & de Auerio. Quod ſi aliquem ex octo antiquioribus Magiſtris iam deſignatis pro illa Congregatione in prædictorum octo Conuentuum Priorem eſſe contigerit, vt octo Magiſtrorum numerus impleatur, ex alijs Magiſtris antiquior in illum numerum aſſumendus erit. Volumus autem vt hæc noſtra conceſſio nullo modo ſuum ſortiatur effectum niſi prius in pleno Capitulo Prouinciali proximè celebrando ab omnibus vocalibus acceptata, & approbata fuerit, ſecus nullius ſit valoris.* Idem etiam fuit Toloſæ 1628. confirmatum.

5 Poſſunt aliorum Conuentuum Priores, etiam non expleto ſui muneris curſu, in Priores Conuentus S. Dominici Vlyſſiponæ eligi. Romæ 1650. *Concedimus quod Priores actuales, qui tempus ſui Prioratus alibi nondum expleuerunt, nihilominus poſſins eligi in Priores noſtri Conuentus S. Dominici Vlyſſiponæ, non obſtante diſpoſitione facta quondam à Reuerendiſs. P. N. Rodulphio.*

6 Etiam in Prioriſſatum electionibus non intelligantur electæ illæ, quæ ex renuntiatione propriæ vocis medietatem votorum exceſſerint Romæ 1644. *Ordinationem, vt nullus ex vi ceſſionis ſuæ vocis cenſeatur electus, ſed quamuis publicè voci ſuæ renunciet, oporteat habere duo vota vltra medietatem, extendimus ad Moniales.*

7 In Conimbricenſi Collegio ſemper ad minus duo Lectores reſideant, Baccalaurei Vniuerſitatis. Romæ 1644. *Ordinamus, vt in Cõuentu, ſeu Collegio noſtro Conimbricenſi ſemper ad minus duo Lectores reſideant, Baccalaurei Vniuerſitatis, qui cum opus fuerit vices catedraticorum noſtri Ord. teneantur ſubire, & R. A. P. Prouincialis pro tempore prouideat, vt ipſis expenſæ pro gradu Baccalaureatus obtinendo de communi Erario redditunm ipſarum Cathedrarum ſoluantur.*

8 Fratres, & Sorores de Pœnitentia poſſunt exterius ſecularibus indui veſtibus. Romæ 1644. *Concedimus, vt Fratres, & Sorores, de pænitentia nuncupati, poſſint exterius indui veſtibus ſecularibus, dummodo aliquem habeant interiorem habitum ipſis à R. A. P. Prouinciali deſignandum.*

9 Præſentatorum duo loca Prædicationis titulo, quæ ab hac Prouincia fuere aliquando ſublata, eidē ſunt reſtituta Romæ 1644. *Concedimus, & reſtituimus Prouinciæ* (ſcil. Portugalliæ) *duo loca Præſentatorum titulo prædicationis, non obſtante renunciatione facta.*

10 Omnia Monialium noſtrarum Monaſteria proprium Vicarium habeant. Romæ 1629. *Ordinamus, vt omnia Monaſteria Monialium, ſiuè ſint ſubiecta Prouincialibus, ſiue Prioribus Conuentualibus, deinceps habeant ſuos Vicarios peculiares. Ideoque A. R. P. Prouinciali pro tempore præcipimus, vt præſens decretum executioni omnino mandet; ita tamen vt huiuſmodi Vicarij, vel ſaltem dictarum Monialium Confeſſarij apud dicta Monaſteria commorentur, ipſarum Monialium expenſis alendi, & ſuſtentandi; quibuſcumque in contrar. non obſtant.*

11 Qui autem aſſignantur in Vicarios earundem Monialium, vel etiam Fratrum terminato tali munere in Conuentibus, quorum ſunt filij, aſſignati intelliguntur. Romæ 1629. *Ordinamus, vt aſſignati pro officio Vicarij Conuentuum, tam Monialium, quam Fratrum completo ſuo officio maneant aſſignati in Conuentibus, quorum ſunt filij.*

12 SS. Roſarij inſtitutum inter fideles propagetur, eiuſque Societatis officiales ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis rationem reddant. Toloſæ 1628. *Inſtitutum SS. Roſarij ſtudioſiſſimè propagetur, & quolibet anno eiuſdem Societatis miniſtri ſuæ adminiſtrationis reddant rationem.*

13 Caueant Prouinciales, eorumque Socij ne aliquem vllo modo ad futuri Prouincialis, vel Priorum electionem inducant. Toloſæ 1628. *Confirmamus, vt Prouinciales, & Socij ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ nullo modo quemquam inducant ad electionem futuri Prouincialis pro tempore, nec Priorum, prout à Reuerendiſſimo Magiſtro Ord. in viſitatione huius Prouinciæ mandatum eſt.*

14 Per tres menſes ante noui Prouincialis electionem Fratrum aſſignationes nequaquam fiant. Toloſæ 1628. *Statuimus vt per tres menſes ante electionem Prouincialis nullæ fiant mutationes Fratrum per aſſignationem de vno Conuentu ad alium.*

15 Priores in Sociorum electionibus nõ ſe ingerant. Toloſæ 1628. *Priores autem nullo modo ſe ingerant electionibus Sociorum.*

16 Fratres Recollecti ſubduntur correctioni Prouincialis huius Prouinciæ. Mediolani 1622. *Ad aſſiduam inſtantiam P. Magiſtri F. Ioſephi de S. Maria Vicarij ſuper Conuentibus Recollectis inſtituti, ipſum ab huiuſmodi Vicaria-*

tus munere liberamus, & abſoluimus: ſtatuentes vt ijdem Conuentus Recollecti ſubſint curæ P. Prouincialis pro tempore, qui tamen inuitis eorundem Conuentuum Prioribus Fratres in eis aſſignare, nec inde remouere poſſit; cuius Prouincialis conſcientiam aggrauamus, vt ſtrictiſſimam regularem obſeruantiam iuxta Conſtitutiones noſtras omni rigore promoueat.

17 Ordinationes omnes à Magiſtro Ord. P. F. Seraphino Sicco in viſitatione huius Prouinciæ factæ, fuere Vlyſſiponæ 1618. confirmatæ. *Confirmamus ea omnia, quæ à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. ordinata fuerunt in viſitatione huius Prouinciæ.*

18 Nullus in Indijs Orientalibus natus ad Ordinis habitum recipiatur. Bononiæ 1615. *Statuimus, & ordinamus ad petitionem eiuſdem noſtræ Prouinciæ Portugalliæ, vt nullus, qui natus fuerit in partibus Indiæ Orientalis poſſit recipi ad habitum Ordinis noſtri; quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.*

19 Nullus etiam Luſitanus in Hiſpaniarum partibus recipiatur ad habitum Ordinis noſtri niſi præhabito teſtimonio eius puritatis ſanguinis. Valentiæ 1596. conceſs. 5. quod ita fuit confirmatum Romæ 1608. *Confirmamus conceſſionem quintam factam in Capitulo Valentino 1596. ſcilicet quod nullus Luſitanus in partibus Hiſpaniarum ad habitum recipiatur, niſi præhabito legitimo teſtimonio puritatis ſanguinis eiuſdem ab A. R. P. Prouinciali Portugalliæ, alioquin receptio ipſo facto ſit nulla.*

20 Ad Conuentus à ſumptibus ſubleuandos hæc fuere ordinata Romæ 1608. *Ordinamus ad ſubleuandos Conuentus à ſumptibus, & expenſis, quæ paſſim in Prouincia fiunt, vt tertia pars legitimarum Nouitiorum, qui deinceps ad habitum recepti fuerint, deputetur, vt ex illis emantur annui redditus, ſeu cenſus, qui quingentos ducatos non excedant. Iſti autem cenſus poſtquam empti fuerint, tradantur Procuratori Prouinciæ, vt ex illis contributiones, & cætera, quæ Prouincia ſoluere tenetur, ſoluat, & in ſingulis Capitulis Prouincialibus de receptis, & expenſis rationem reddat.* Quæ ordinatio ita fuit poſtea Romæ 1612. declarata. *Declaramus ordinationem pro dicta Prouincia factam in Capitulo Romæ celebrato an. 1607. quæ incipit. Ad ſubleuandos Conuentus à ſumptibus, &c. hoc modo eſſe intelligendam, videlicet quod tertia pars legitimarum poſt præfatam ordinationem aquiſitarum deputetur ad emendum annuos redditus, ſeu cenſus, qui quingentos ducatos non excedant, prout in dicta ordinatione habetur. Mandantes in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ ſub præcepto formali omnibus Prioribus Conuentuum, qui poſt dictas ordinationes aliquas legitimas receperunt, vt tertiam partem illarum tradere teneantur R. P. Prouinciali, vt poſſit præfatam ordinationem executioni mandare.*

21 Eleemoſynæ miſſarum perpetuo oneri ſubditæ, ſub abſolutionis ab officijs pœna, non alienentur. Romæ 1612. *Ordinamus, atque præcipimus omnibus Conuentuum Præſidentibus in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ ſub præcepto formali, & pœna abſolutionis ab eorum officijs, vt eleemoſynas datas Conuentibus cum certo, & determinato onere perpetuo Miſſas celebrandi, nullo modo expendant in vſus quotidianos Fratrum, ſeu Conuentuum, ſed teneantur ſtatim ex illis emere annuos redditus, quibus talis obligatio maneat in perpetuum dotata.*

22 Prioriſſæ non reeligantur ad idem munus immediatè poſt illud terminatum. Romæ 1612. *Ordinamus ad tollendas falſas informationes, & ſubſcriptiones ſubreptitias, quæ fiunt pro obtinendis reelectionibus Monialium in Prioriſſas, quod impoſterum non concedatur quod aliqua Prioriſſa reeligatur in Prioriſſam immediatè poſt completum officium ſui Prioratus, niſi eiuſmodi petitio ſit ſubſcripta à R. P. Prouinciali pro tempore:*

23 Theologiæ Lectores legant dictando in ſcriptis, ſed breuiter, & ſuccintè. Pariſijs 1611. *Ordinamus quod vterque Lector Theologiæ legat quidem dictando in ſcriptis, ſed id faciat breuiter, & ſuccinctè ad vtilitatem diſcipulorum.*

24 Fratres Cõuerſi (ſicut & Moniales Conuerſæ) qui ſcapulare album habent, omnes ſint in Conuerſorum ſtatu, habeantque locum poſt Nouitios. Pariſijs 1611. *In eadem Prouincia Portugalliæ declaramus, quod Fratres Conuerſi, qui habent ſcapulare album, & Sorores Conuerſæ, quæ habent velum nigrum, omnes intelligantur eſſe in ſtatu Conuerſorum, quo ad numerum in Monialibus, omneſque habeant locum reſpectiuè poſt Nouitios, vel Nouitias, qui, vel quæ eboro deſeruiunt.*

25 Moniales Sororis nomine vtantur. Pariſijs 1611. *In eadem Prouincia mandamus, quod Moniales vbique, tam ſcribendo, quam loquendo ante nomen proprium apponant Generale nomen Sororis, ita vt ſemper dicatur Soror talis.*

26 In illarum Eccleſijs aliorum Ordinum Profeſſores non prædicent. Romæ 1608. *Ordinamus, vt in Conuentibus Monialium non prædicent Religioſi aliorum Ordinum, nec aliæ perſonæ extra obedientiam noſtri Ordinis conſtitutæ ſine licentia Reuerendiſs. P. Magiſtri Ordinis: Prioriſſæ autem, vel Vicarij, qui hanc ordinationem non obſeruauerint, à ſuis officijs abſoluantur.*

27 Nullus eſt in Priorem eligendus qui Magiſtri Nouitiorum onus ſaltim per annum non ſubierit. Romæ 1608. *Ordinamus, quod nullus poſthac poſſit eligi in Priorem, niſi prius ſaltem per vnum annum officium Magiſtri Nouitiorum exercuerit, Lectoribus actu legentibus, Graduatis & Patribus Prouinciæ dumtaxat exceptis.*

Nul-

Digitized by Google

37 Nullus Iuuenis ad ſtudia admittatur niſi poſt a profeſſione annum elapſum. Romæ 1608. *Ordinamus iuxta laudabilem eiuſdem Prouinciæ conſuetudinem, vt nullus Iuuenis admittatur ad ſtudia niſi poſt integrum annum à ſua profeſſione.*

29 Quatuor tantum Vniuerſitates conſtitutæ ſunt in hac Prouincia. Romæ 1608. *Ordinamus, vt in eadem Prouincia Portugalliæ non ſint plura Studia Generalia, ſeu Vniuerſitates quam quatuor; nimirum in Conuentu Vlyſſiponenſi, de Cello, Eborenſi, & in Collegio Conimbricenſi, in quo legantur, vt fit, tres lectiones, quarum duę erunt Theologię ſcholaſticę, & tertia Sac. Scripturæ, quę etiam reputetur ad gradus ſicut & aliæ. In alijs Conuentibus nulla ſit lectio Artium nec Theologia propter penuriam Studentium, ſed habeantur in illis vel lectio caſuum Conſcientiæ, aut Concluſiones Theologiæ Moralis, vel conferentiæ ſaltem tribus diebus in ſeptimana.* Vide pro Prou. Toloſana num. 37.

30 Monialium Ancillæ Tertij Ord. noſtri habitu induantur. Et earundem Monialium Confeſſarij apud ipſas commorentur. Neapoli 1600. ord. 17. *Ordinamus in Prouincia Portugalliæ quod dentur Confeſſores Sanctimonialibus, qui quidem moreutur in domibus prope ipſarum Monaſteria cum pactis, & conditionibus a Prouinciali eiuſdem Prouinciæ, & Priorisſis dictorum Monaſteriorum ponendis. Ancillæ inſuper dictarum Monialium habitu Tertij Ordinis induantur, relicto totaliter ſeculari.*

31 Vt Priores Prouinciales ante quadriennium, & Conuentuales ante triennium ad eadem munera reaſſumi non poſſent ita ſancitum fuerat Romæ 1546. ord. 19. *Item ordinamus quod in Prouincia Portugalliæ Priores Prouinciales poſt ſuum prouincialatum ad idem officium ante quadriennium, & Priores Conuentuales poſt eorum prioratum in eodem Conuentu ante triennium reaſſumi non poſſint. Et numerus Magiſtrorum in hac Prouincia duodenarium, Baccalaureorum verò quindenarium non excedat.* Veruntamen niſi de hoc habeabt peculiare Apoſtolicum priuilegium ſeruanda eſt Iulij II. Conſtitutio prout aſſeritur in Conſt. noſt. diſt. 2. cap. 2. in decl. tex. 5. ſub litt. P. *Vide in p. p. de Elect. Prior. Conuent. num. 42. & de Elect. Prior. Prouincial. num. 12.*

Quę autem ad Congregationem Indiarum Orientalium ſpectant vide in proprio loco cum de eadem Congregatione agitur.

PRO PROVINCIA SCOTIAE.

XXI.

SCotiæ Prouincia, ab Anglicana euulſa, antiquiſſima fuit in Ordine. Quo autem anno in peculiarem fuerit erecta Prouinciam, non inuenimus. P. F. Michael Plodius Inquiſitor Mediolanenſis de Vir. Illuſt. Ord. par. 2. hoc ann. Dom. 1481. contigiſſe aſſerit. At neq; in Generalis Capituli Actis, Romæ in noſtro Conuentu S. Marię ſuper Mineruam eodem anno in Feſto Pentecoſtes celebrati, (quod die x. Iunij contigit,) in quo in Generalem Ordinis Magiſtrum per communem inſpirationem fuit vnanimiter electus P. F. Saluus Caſerra Panormitanus; neque in antecedenti Capitulo Peruſij ſub P. P. Leonardo de Manſuetis ann. 1478; neque in ſubſequentibus, Romano 1484. ſub P. F. Bartholomæo de Comatijs; Veneto 1487. ſub P. F. Ioachino Turriano; & apud Cenomanum 1491. ſub eodem Magiſtro Generali, celebratis, de huius Prouinciæ inſtitutione verbum aliquod habetur.

In primo P. F. Leonardi de Manſuetis ſupradicti Regeſto; quod ab eiuſdem regiminis primordijs incipit, & vſque ad completum 1578. annum ſequitur; (ſubſequentia enim ipſius, & ſucceſſorum vſque ad eiuſdem ſeculi annum 91. deficiunt) in principio de hac cum reliquis tunc temporis Ordinis Prouincijs ita mentio habetur.

Regeſtum Reuerendiſſimi Magiſtri Leonardi de Manſuetis de Peruſio Magiſtri Ordinis Prædicatorum.

Ordo Prouinciarum in Regiſtro cum quota, & numero cartarum, ſiuè foliorum, vbi vnaqueque Prouincia habeat reperiri. Litteræ autem alphabeti poſitæ in capite cuiuslibet Prouincię ſignificant ordinem Prouinciarum, quota videlicet ſit vnaqueque Prouincia.

1 *A. Prouincia Hiſpaniæ. fol.* 4.
2 *B. Toloſæ. fol.* 15.
3 *C. Franciæ. fol.* 26. & 248.
4 *D. S. Dominici. fol.* 37.
5 *E. Romana. fol.* 52.
6 *F. Regni. fol.* 70.
7 *G. Theutoniæ. fol.* 84.

Tri-

8 *H. Trinacria, ſeu Siciliæ. fol.95.*
9 *I. Vngariæ. fol.*108.
10 *K. Poloniæ. fol.*119.
11 *L. Angliæ. fol.* 130.
12 *M. Græciæ. fol.* 140.
13 *N. Aragoniæ. fol.*148.
14 *O. Daciæ. fol.*156.
15 *P. Prouincia Prouinciæ. fol.*166.
16 *Q. Terræ Sanctæ. fol.*181.
17 *R. Lombardiæ Superioris. fol.*182.
18 *S. Bohemiæ. fol.*200.
19 *T. Dalmatiæ. fol.*208.
20 *V. Saxoniæ. fol.*222.
21 *Portugaliæ. fol.* 236.
Scotiæ.

In præfato autem Regeſto nullum aliud monumentum de eadem habetur.

Non fuiſſe autem tunc temporis in Prouinciam, bene verò in particularem Congregationem, ſeu Vicariam erectam, ex eodem Regeſto apertè colligitur, vbi in §. Actorum Pro Prouincia Angliæ, ita habetur. *F. Thomas, Danyn. Conuentus, de partibus Nationis Scotiæ fuit incorporatus in ſuo Conuentu ad perpetuum ibi manendum, ibique ſit Lector cum gratijs conſuetis, à quo Conuentu, & Lectoratu non poſſit per inferiorem amoueri, dummodo prædicta ratificentur in Capitulo proximo Nationis per R. Vmagium, & Patres Diffinitores. Dat. Romæ 26. Martij* 1477. Et ibidem immediatè ita ſubditur. *F. Patritius Keyr Conuentus de Edinburch Nationis Scotiæ fuit incorporatus in ſuo Conuentu ad perpetuo ibi manendum, nec poteſt amoueri ab inferiori, dummodo prædicta ratificentur in Capitulo proximo Nationis. Dat. vt ſupra.* Vide quoque ea, quæ ſupra Pro Prouincia Angliæ retulimus, vbi apparet Scotiæ Nationis Superiores, Generales Vicarios fuiſſe nuncupatos.

Anno autem Dom. 1491. In Prouinciã erecta iã fuerat, nam eodem anno ſuum Diffinitorem ad Generalia Comitia apud Cenomanum congregata miſit. Ita enim habetur in ſecundo Regeſto P. F. Ioachini Turriani Magiſtri Ord. (prout infra Pro Prouincia Hiberniæ adducemus) in §. Pro hac Prouincia Scotiæ. *F. Thomas Dominij præſentis Capituli Diffinitor, & F. Io: Ægidij poſſunt redire ad patriam cum ſocio, vel ſine, & poſſunt morari in quolibet Conuentu, & habent litteras teſtimoniales, & poſſun ducere alios Fratres ſibi gratos.*

Enituit longo temporum decurſu hæc Prouincia viroſque præſtantiſſimos Eccleſiæ, atque Ordini dedit vſque ad annum 1558. quo Paulus Maſſenius piſtor cum ſartore quodam cuiuſdam Regularis Ordinis apoſtata, Caluinianæ nouitatis præcones, quà publicè, quà priuatim in diuerſis illius Regni partibus eam diſſeminãtes (propter mortalium ſcelera permittente Deo) adeo profecerunt, vt breui temporis interuallo, & Principum auctoritas, & Religionis maieſtas in eodem Regno peſſum ierit. Præfatis duobus Diaboli filijs ſequenti anno ſe tertius adiunxit Ioannes Kanoxus Necromantus Presbyter Apoſtata ab exilio, quo propter patrata ſcelera fuerat damnatus, reuerſus, omneſque quorundam nobilium fauorem nacti, Eccleſias, Monaſteria, atque Cœnobia ſacra ſpoliare, ac diruere incepere, quod & Iacobus nothus, qui Eccleſiaſticam vitam pertæſus, ex Priore Santandreano Morauienſis Comes, & crudeliſſimus Catholicorum euaſit perſecutor. Et quia abiſſus abiſſum inuocat, rebellantibus in eodem Regno ſequenti anno in Reginam Matrem ſectarijs Eccleſiaſtici Præſules è proprijs fuere ſedibus pulſi, atque ita res Catholica paulatim declinauit vſque ad impiæ Eliſabethæ Angliæ Reginæ tempora, quæ à Sanctiſſimo Pio V. annô 1569. anathemate ſauciata crudeliſſimè in Mariam Scotiæ Reginam pietate Catholica, cœteriſque virtutibus ditatam inſeuiens, poſt longum xx. annorum carceris ſquallorem capite damnauit 18. Februarij anno 1587. Catholicoſque omnes, plurimis eorum diris ſupplicijs traditis, perſequi nunquam deſtitit. Atque ita factum eſt vt cum Fidei Catholicæ euerſione hæc quoque Prouincia fuerit in Ordine ſublata.

PRO PROVINCIA BETHICAE. XXII.

Bethicæ Prouincia præſtantiſſimorum Virorum fœcunda Mater à Leone Papa X. ex Hiſpania fuit auulſa: ita enim denunciatum fuit Ordini In Generalibus Comitijs Neapoli 1515. habitis denunc. 1. *In primis denunciamus Sanctiſs. D. Noſtrum* (ſcil. Leonem X.) *Pro-*

Digitized by Google

Pontificem modernum diuiſiſſe Prouinciam Hiſpaniæ, quæ hactenus fuit vna, in duas, quarum vna retinet nomen Prouinciæ Hiſpaniæ, alia vero dicitur Prouincia Bethicæ. Quia verò Iulius Papa II. Vicariam vitæ Regularis Hiſpaniæ in Prouinciam ſub Hiſpaniæ Prouinciç nomine erexerat, prout denunciatum,& acceptatum fuit Mediolani 1505. acceptat. vlt. hęc Bethicę Prouinciç poſt decem annos noua inſtitutio regularem obſeruantiam, quam ex eadem Hiſpana Prouincia hauſerat, in ſuis Conuentibus, ita conſeruauit,& ſtabiliuit, vt noua reformatione nequaquam indiguerit. Canariç autem Inſuç ab hac Prouincia ſciunctç fuere Romę 1644. vt ſuo loco dicemus.

Pro fœlici igitur regularis candoris conſeruatione hæc fuere in pluribus Generalibus Capitulis ſancita.

1 Qui præuia Prouinciæ petitione ad gradus promouentur noua Prouinciæ acceptatione non indigent. Valentiæ 1647. *Declaramus eos, qui promoti ſunt, vel fuerint ad gradus prçuia petitione Prouinciç non egere noua acceptatione Prouinciç, ſed gaudere loco, & voce ſtatim à die ſuę promotionis ad gradum, ideſt à die ſubſcriptionis litterarum prędictę promotionis; eos verò, qui ſine prędicta prçuia petitione Prouinciç promoti fuerint, non gaudere loco, & voce quoadvſque à Prouincia acceptentur. Nomine autem Prouinciç intelligimus Diffinitorium ſimul cum Prouinciali, vel Vicario Generali illius.*

2 Quia in Capitulo Romano 1583. ord. 6. mandatum fuerat, vt Fratres extra Conuentus permanentes voce in electionibus non gauderent. (Quod etiam fuit in ſequenti Capit. Romano 1589. confirmatum) tales prefatorum Capitulorum ordinationes fuere pro hac Prouincia declaratæ, ad eos etiam, qui in Conuentibus abſque termini conſtitutione ſunt deputati, extendi Valentię 1647. *Declaramus pro prędicta noſtra Prouincia, quod in illis verbis, quę habentur in Actis Capit. Generalis Romæ 1589. conſ. 4. ſcilicet. (Extra Conuentum quacumque occaſione, prętextu, & cauſa commorantes nullatenus in Conuentibus, in quibus ſunt aſſignati, actiuam vocem habeant in aliqua electione) comprehenduntur illi, qui extra Conuentum ſuæ aſſignationis ſunt à Prouinciali depoſitati abſque prçfixione termini ſuę depoſitationis.* Romę autem 1650. ſancitum eſt in toto Ordine huiuſmodi depoſitatos eſſe ad electiones vocandos, ſi intra dietam ſint conſtituti. *Vide in p. p. de Deputatis in Conuent. num. 2. & 3.*

3 Moniales Conuerſç non recipiantur in Monaſterijs pro inſeruiendis particularibus monialibus. Valentię 1647. *Ordinamus, & præcipimus in virtute Spiritus S. & S. Obedientię & ſub prçcepto formali R. P. Prouinciali dictę noſtrę Prouinciç Bethicę, & Prioriſſis Conuentuum Monialium, vt nullo modo recipiant, neque concedant licentiam recipiendi Moniales laicas pro inſeruiendis Monialibus particularibus: quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum & inane.*

4 Quando Nouitię pro ſuç libertatis examine ex clauſura exeunt, terminato examine in clauſuram reuertantur ſub pœna priuationis habitus. Valentię 1647. *Ordinamus, vt quando Nouitię exeunt à clauſura ad Eccleſiam Conuentus pro examine ſuę libertatis ab Ordinario loci faciendo, finito examine redeant recto tramite ad clauſuram Conuentus: quod ſi quę diuerterint ad domos ſecularium, etiam parentum, vel conſanguineorum, ipſo facto ipſas declaramus prçſenti decreto excluſas eſſe à ſuo Conuentu, & expoliatas habitu Religionis, ſicut de facto eas ex nunc pro tunc expoliamus: prçcipientes omnibus Prçlatis, & Prioriſſis ſupradictę noſtrę Prouinciç reſpectiuè ſub pœna abſolutionis ab officijs ipſo facto incurrenda, vt dictas Nouitias nullo modo, nullaque cauſa, occaſione, vel prętextu, vel quęſito colore intra clauſuram recipiant, nec recipi faciant.*

5 Nullo modo permittantur mulieres cuiuſcumque ſtatus ingredi Monaſteria Monialium noſtrarum. Valentię 1647. *Ordinamus, & ſub eadem pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, tam R. A. P. Prouinciali, quam cæteris Prçlatis, & Prioriſſis, vt nullatenus recipiant, nec ingredi permittant mulieres ſæculares cuiuſcumque ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, pro viſitandis Monialibus conſanguineis, vel amicis, ſiue ſint Profeſſę, ſiue Nouitię; neque etiam prçtextu litterarum Apoſtolicarum, quibus iuxta priuilegia noſtri Ordinis adſtringi non poſſunt Moniales.*

6 Nulla Sanctimonialis eſt recipienda, tam ad habitum, quam ad profeſſionem ſine P. Prouincialis licentia. Valentię 1647. *Declaramus nullam Monialem recipi poſſe ad habitum, vel ad profeſſionem niſi de ſpeciali, & expreſſa licentia A. R. P. Prouincialis in ſcriptis obtenta: Quod ſi quę moniales, ſiue quę vocantur de velo nigro, ſiue Laicę hucuſque receptę ſunt ad habitum, ſiue impoſterum recipientur ſine prędicta licentia ad habitum recipiendum, eas tam receptione ad habitum, quam profeſſiones inde ſequutas, vel ſequendas declaramus eſſe nullas, inualidas, nulliuſque roboris, vel momenti, neque earum profeſſionem poſſe firmari, & reualidari, niſi de nouo de licentia expreſſa A. R. P. Prouincialis recipiantur ad habitum, ſeruatis de iure ſeruandis, & poſt integrum annum probationis recipiantur ad profeſſionem per vota ſecreta iuxta noſtras ſacras Conſtitutiones, & ſic de nouo profeſſionem emittant.*

7 Non multiplicentur Lectores in Conuentibus. Romę 1644. *Cum numerus recipiendorum ad habitum in Conuentibus Prouinciæ ſtatutus non ſufficiat ad inſtituendos tres curſus Artium in ſingulis Studijs Generalibus, & quam pluries tot multiplicentur Lectores Artium, quot huius facul-*

Digitized by Google

cultatis diſcipuli, ordinamus quod exceptis Collegijs S. Thomę Ciuitatis Hiſpalenſis, & S. Marię de Roſe del'Almagro, & Conuentibus S. Pauli Cordubenſis, S. Pauli Hiſpalenſis, S. Catarinæ Ciuitatis Gienenſis S. Dominici Xincienſis, & S. Crucis Regalis Granatenſis, in nullo alio Conuentu ſint ſimul tres curſus Artium, ſed vnicus tantum, quod vt ſine grauamine eorum, qui iam ad lecturam Artium promoti ſunt executioni mandetur: volumus deinceps fieri inſtitutionem Lectorum Artium donec iam inſtituti, & promoti ſuas lecturas peregerint pro ordine ſuę inſtitutionis.

8 Ad gradus conſequendos Lectorum Primariorum, & Secundariorum tantum curſus valeant. Romę 1644. *Quia numerus Lectorum ius ad gradus habentium in tot Studijs Generalibus noſtrę Prouincię multum exceſſit graduandorum numerum auctoritate Apoſtolica determinatum: unde plures occaſſionem ſumunt ex torquendi gradus ſupernumerales, & inde magna in predicta Prouincia ſuboriuntur incommoda, nolumus quod deinceps valeant ad gradus aſſequendos alij curſus, aut lectura pręter quam Lectorum proprietariorum Theologię, ſcilicet Primarij, & Secundarij Lectoris. Curſus vero Regentis, & Magiſtri Studentium ſolum volumus deſeruire adhoc vt Regens, & Magiſter Studij pręferantur ad gradus obtinendos ijs, qui totidem per actis lecturis dicta officia non exercuerunt; & Magiſterium Studentium ita ſit gradus ad lectionem Theologię, quod nequeat aliquis Lector Theologię inſtitui, niſi adminus per integrum annum dicto officio functus fuerit.*

9 Loco intermedij Capituli habeatur Congregatio, cui 24. grauiores Patres interſint. Pariſijs 1611. *Concedimus ad eius petitionem* (ſcilicet Prouincię Bethicę) *quod loco Capituli Prouincialis intermedij habeatur Congregatio, cui interſint viginti quatuor Patres grauiores Prouincię; videlicet quatuor Diffinitores Capituli Prouincialis precedentis, Priores Conuentuum noſtrorum S. Pauli Cordubenſis, S. Pauli Hiſpalenſis, S. Dominici Xirieienſis, S. Catarinę Gienuen. SS. Pauli, & Dominici de Ecija, S. Crucis Regalis Granaten. S. Dominici de Porta cæli, S. Dominici de Malaga, Reginę Angelorom, & Montis Sion de Hiſpali, Conuentus, & Collegij de Almagro, nec non & nouem antiquiores Magiſtri Prouincię. Quod ſi aliqui predictorum Priorum fuerint etiam Magiſtri, ex nouem antiquioribus prenominatis poterunt loco illorum alij immediatè ſequentes Magiſtri ſucceſſiuè ſubſtitui quouſque præfatus numerum viginti quatuor compleatur.* Quod etiam fuit confirmatũ Bononię 1615. ſuperadditis alijs quatuor Prioribus his verbis. Confirmamus ordinationem factam in Cap. Pariſienſ. 1611. vt videlicet loco Capituli intermedij in eadem prouincia Congregatio aliquorum grauiorum patrum habeatur. Declarantes quòd in illa, & per illam fieri poſſint omnia, & ſingula, quę in Capitulis intermedijs ſecundùm noſtras Conſtitutiones, poſſunt, & ſolent fieri, inter quę Diffinitori. Capituli Generalis electio numeratur. Volumuſque, vt numerus viginti quatuor Patrum congregandorum in prędicta ordinatione expreſſus, vſque ad viginti octo impoſterum extendatur, ſuper additis Patribus Prioribus noſtrorum Conuentum S. Dominici de Guſman Sancti Lucar de Barrameda, S. Dominici Regalis de murtia, S. Dominci di Oſuna, & S. Dominici de Badaiz, vt ex omnibus cum Prouinciali, ſeu Pręſidente prędictę Congregationis numerus viginti nouem Patrum omninò compleatur. Quòd ſi aliqui Priores fuerint, etiam Magiſtri in Theologia gaudentes vocè, & loco, vel ex aliqua cauſa eiſdem Congregationi intereſſe non poſſint, (& idem dicimus de Magiſtris in Theologia ad ipſam Congregationem pertinentibus) loco illorum alios immediatos ſubſequentes Magiſtros ſubſtituimus, quouſque pręfatus numerus viginti nouem omninò compleatur: Volentes, quòd in prędicta Congregatione Diffinitores in Capitulis Prouincialibus fieri ſoliti, eligi minimè poſſint, nec Diffinitores Capituli Prouincialis pręcedentis ad eam vocati, loco, vel munere Diffinitorum potiantur. Inſuperque volumus huiuſmodi Congregationem trium tantùm dierum numero ad ſummum, finiri, nullumque ad eam vocari poſſe, nec admitti, qui non ſit de numero illorum Patrum, qui iuxta tenorem huius Ordinationis, ad prędictam Congregationem pertinere poſſit. Deſignare autem Conuentum, in quo dicta Congregatio celebranda ſit, ad Diffinitorium pręcedentis Capituli Prouincialis pertinebit. Vt autem hęc ordinatio vim ſibi debitam ſortiatur, prius à prędicta Prouincia, in pleno Capitulo Prouinciali acceptari debebit. Et Romę 1644. ita dicitur. *Confirmamus facultatem de habenda Congregatione intermedia loco Capituli intermedij eo modo, & forma qua à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. F. Nicolao Rodulphio auct. Apoſtolica ipſi ad hoc ſpecialiter commiſſa decretum eſt, & intimatum proximè pręterito Capitulo Prouinciali Cordubę celebrato, euretque A. R. P. Prouincialis dictę Prouincię pro tempore vt nulla ex cauſa pretermittat prędictam Congregationem fieri, quòd quidem illi ſtrictè pręcipimus ſub formali pręcepto, & ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes ipſo facto incurrenda.*

10 In eiſdem Intermedijs Congregationibus, ſeu in Prouincialibus Capitulis, aſſignetur locus pro habendo futuro Prouinciali Capitulo. Romę 1644. *Ordinamus quod in quolibet Capitulo Prouinciali, ſiue in Congregatione intermedia, aſſignetur determinatus locus ad celebrationem proximi Capituli Prouincialis, quod-*

que

Digitized by Google

que non liceat alieni mutare, aut transferre alid Capitulum præterquam in caſibus, de quibus diſponunt Conſtitutiones noſtræ, non obſtante in contrarium quocunque priuilegio, ordinatione, vel conceſſione, ſiue à Generalibus Capitulis, ſiue à Prædeceſſoribus noſtris facta, quam, vel quas ex nunc pro tunc reuocamus, & irritamus, ac pro nullis haberi volumus.

11 Conuentus Gienſis in concluſionibus in Capitulis habendis locum ſibi debitum ſeruet. Romæ 1644. *Ordinamus quod in concluſionibus habendis in Capitulo Prouinciali, Conuentus S. Catharinæ Martyris Gienſis ſeruet ordinem ſibi debitum inter Studia Generalia Prouinciæ; primum videlicet poſt Studia Generalia S. Pauli Cordubenſis, & S. Pauli Hiſpalenſis.*

11 Sociorum electio pro Prouincialibus Capitulis fuit ab hac Prouincia eliminata. Romæ 1629. *Acceptamus Breue Apoſtolicum Pro Prouincia Bethicæ, &c. Datum Romæ die 1. Iunij 1629. Pontific. anno 6. in quo cum ſit nobis tributa facultas ſtatuendi circa ſocios Conuentuum ſolitos transmitti ad Capitulum Prouinciale; mandamus ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt prædicti Socij nullatenus eligantur. Quod ſi electi fuerint, ſub eadem pœna mandamus ne ad electionem Prouincialis admittantur.*

12 Fiat tamen Capitulum pro confirmatione, vel amotione Prioris. Romæ 1629. *Eadem Apoſtolica auctoritate ſub eiſdem pœnis præcipimus omnibus dictæ Prouinciæ Suppprioribus pro tempore, vt eodem modo, & forma qua congregandi, & conuocandi erant vocales pro electione Socij Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale, conuocent, & congregent eos pro ſcrutinio faciendo pro reſentione, vel amotione Prioris, quod vna cum duobus Scrutatoribus iuxta præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum fiat: Scrutinium verò tradatur P. Prædicatori Generali Conuentus, Diffinitorio Capituli ab ipſo fideliter exhibendum, cui, ſi abſens fuerit, tranſmittatur. Si verò legitimè impeditus ad Capitulum non iuerit, teneatur Supprior tranſmittere dictum ſcrutinium ad aliquem Patrem deſignandum à P. Prouinciali, vel Vicario Prouinciæ in litteris conuocatorijs Capituli. Quæ omnia, & ſingula ſupradictis Supprioribus, Scrutatoribus, & Vocalibus reſpectiuè ſub eiſdem pœnis obſeruari, & executioni mandari præcipimus.*

13 Ad Prouincialia Capitula, ſeu Intermedias Congregationes nullo modo accedant illi, ad quos non ſpectat. Romæ 1629. *Ordinamus, & præcipimus ſub formali præcepto, nec non ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda omnibus Fratribus huius Prouinciæ, ne quis abſque licentia Prouincialis ad Capitulum Prouinciale, vel Congregationem intermediam non ſpectans ad Ciuitatem, vel Oppidum, in quo Capitulum, vel Congregatio prædicta celebratur, accedere audeat: Declarantes omnes inobedientes ad quoſcunque gradus, & officia in eiſdem Capitulis, ſiuè Congregationibus diſtribuenda, inhabiles fore.*

14 Superfluitates in cibis euitentur in eiſdem. Romæ 1629. *Præcipimus PP. Prouincialibus, & Prioribus, ſiuè Præſidentibus Conuentuum, in quibus præfata Capitula, vel Congregationes celebrantur, vt à ſuperfluis expenſis in Fratrum epulis abſtineant.*

15 Non permittant Conuentuum Præſidentes Completorium ante cœnam dici. Romæ 1629. *Prohibemus omnibus Prioribus, & Præſidentibus Conuentuum ſub pœna ſuſpenſionis à ſuis officijs per ſex menſes ne ſub vllo prætextu, aut occaſione permittant recitari Completorium ante cœnam, ſiuè hyeme, ſiuè æſtate, diebus feſtiuis, & recreationum exceptis.*

16 Ordinationes omnes à Magiſtro Ord. P.F. Seraphino Sicco pro hac Prouincia emanatæ, fuere Romæ 1629. approbatæ, & confirmatæ. *Acceptamus, & de nouo concedimus, & confirmamus ordinationes omnes à Magiſtro Ord. prædefuncto pro bono regimine huius Prouinciæ factas ſub Dat. Romæ 15. Aprilis 1625. & ab eadem Prouincia acceptatas cum omnibus in eis contentis.*

17 Vt Magiſtrorum numerus 15. Præſentatorum 30. & Prædicatorum Generalium quot ſunt Conuentus eſſet, mandatum fuerat Romæ 1583. quod fuit confirmatum etiam Romæ 1589. vt ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26. diximus; qui numerus Magiſtrorum auctoritate Apoſtolica Pij V fuerat antea ſancitus; poſtea tamen auctoritate Pauli Papæ V. vſque ad 34. fuit extenſus in Generali Capitulo Bononiæ celebrato anno 1615. in hunc modũ. *Quia numerus Magiſtrorum in ea Prouincia Bethica, loco, et voce gaudentium, per felicis recordationis Pium Papam Quintum, vſque ad quindenarium tantùm eidem Prouinciæ fuerat conceſſus; poſt cuius conceſſionem, numerus Fratrum Studiorum Generalium, Lectorumque ita auctus eſt, vt eorum meritis iam exiguo quindenario numero Magiſtrorum ſatisfieri minimè poſſit, noſtrumque ſit condigna meritis præmia conferre; Ideo auctoritate Apoſtolica, à S.D.N. Paulo Papa Quinto nobis in hac parte ſpecialiter conceſſa prædictum numerum quindenarium Magiſtrorum, voce, & loco gaudentium, vſque ad trigeſimum quartum incluſiuè, ex non gaudentibus loco, & voce, ſiue ex alijs Magiſtris, ſiue Præſentatis requiſita habentibus, perpetuò complendum, extendimus, & ampliamus. Quo numero ex prædictis patribus completo, ſi qui Magiſtri in Theologia nunc loco, & voce gaudentes in dicta Prouincia ſuperfuerint, pro Magiſtris extra numerarijs habeantur, in quorum locis vacantibus nullus deinceps ſuccedere poſſit; oppoſitum irritum, & inane fore*

Digitized by Google

cenſentes. Qui verò pro locis vacantibus præfati numeri Magiſtrorum ſubſtituendi ſunt, ſiue aliàs Magiſtri voce, & loco non gaudentes, ſiue præſentati, (& idem dicimus de expoſitione ad gradum Præſentaturæ) exponi, ſeu peti non poſſint, niſi à Prouinciali, ſeu principali Præſidente Prouinciæ, ſimul, (& non aliter) cum Diffinitorio Capituli Prouincialis, vel cum intermedia Congregatione, vicem Capituli intermedij in dicta Prouincia gerente, & niſi per tres annos Artes in aliquo Studio Generali, & per octo Theologiam laudabiliter prælegerint; Inter quos Theologiæ annos Magiſtri Studentium in Studio etiam Generali, pro Magiſterio conſequendo computari poſſint. Pro gradu autem Præſentaturæ obtinendo nullus poſſit poſtulari, ſiue exponi, niſi in aliquo Studio Generali eiuſdem Prouinciæ per tres annos artes, & per quatuor Theologiam laudabiliter per legerit, ſiue Magiſter Studentium fuerit. Denique prædicti Patres, qui aliquem, vel aliquos ad gradus Magiſterij, vel Præſentaturæ modo, & ordine præſcripto, expoſuerint, aut poſtulauerint, ordinem iuſtitiæ diſtributiuæ in ſuis poſtulationibus ad vnguem ſeruare tenebuntur. Aliter autem exponentes, ſiue poſtulantes, ipſo facto ſint excommunicati, gradibus, officijs, voce actiua, & paſſiua perpetuò priuati, prout de facto ex nunc pro tunc eos excommunicamus, & priuamus, ac excommunicatos, & priuatos eſſe, ac fore decernimus, & declaramus, nec abſolui ſiue reſtitui poſſint, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel Capitulum Generale, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus.

18 Præſentatorum etiam numerus, qui ad 34. fuerat aliquando protractus, ad 40. fuit extenſus Romæ 1629. *Eadem auctoritate Apoſtolica Magiſtro Ord. nobiſque adhoc ſpecialiter conceſſa, numerum 34. Præſentatorum, qui ratione lecturæ in hac Prouincia erat præfixus, extendimus vſque ad quadragenarirm, qui perpetuò firmus maneat, & non niſi ex habentibus requiſita, iuxta ſpecialia eiuſdem Prouinciæ iura, conſtet.*

19 Ex Prædicatoribus eximijs duodecim poſſunt inſtitui Præſentati. Romæ 1629. *Eadem auctoritate Apoſtolica ſupradicta ſtatuimus in perpetuum, vt ex Prædicatoribus eximijs huius Prouinciæ duodecim poſſint inſtitui Præſentati pro prædicationis titulo, qui omnes gaudeant loco, cæteriſque gratijs, & priuilegijs Præſentatorum numeralium eiuſdem Prouinciæ, in quorum inſtitutione ſeruetur alternatiua eiuſdem Prouinciæ in gradibus conferendis ſtatuta, tam in gradibus numerarijs, quam ſupranumerarijs.* Et Valentiæ 1596. conceſs. 6. ita decretum fuerat. *Concedimus Prouinciæ Bethicæ ad eius petitionem vt vitetur graduatorum multiplicatio, & verè digni ad officium Prædicatoris Generalis tantummodo aſſumantur, quod Baccalaurei Prædicatores Generales inſtitui poſſint.*

20 Magiſtri Studentium curſus quoad quatuor annos tantum pro conſequendis gradibus valeant. Valentiæ 1647. *Concedimus dictæ noſtræ Prouinciæ Bethicæ, vt curſus Magiſtri Studentium quoad quatuor annos tantum valeant pro conſequendis gradibus, prout ordinatum eſt in Cap. Valentino 1596. & auctoritate Apoſtolica prædictæ Prouinciæ conceſſum in Actis Bononiæ 1615. Quoad curſus autem Regentis concedimus eidem Prouinciæ, vt eis Lectoribus, qui per ſex annos curſus Theologiæ perfecerunt, valeant duo curſus Regentis poſtea habiti pro gradu Magiſterij conſequendo, non obſtante ordinatione in contrarium facta in Capitulo Generaliſſimo proxime celebrato.* ſcil. Romano 1644.

21 Prouinciales in Prouincialibus Capitulis Congregationibuſque intermedijs poſſunt diſponere, vt Miſſæ Conuentuales, & Conciones de Sanctis Ordinis habeantur. Valentiæ 1647. *Committimus AA. RR. PP. Prouincialibus pro tempore dictæ noſtræ Prouinciæ* (ſcil. Bethicæ) *vt eis viſum fuerit, poſſint in ſolemni Capitulorum Prouincialium, & Congregationum (inunciato diuino Officio pro feſtis occurrentibus) diſponere vt Miſſæ Conuentuales, & conciones ad populum de SS. noſtri Ord. habeantur, quo eorum Sanctitas, mirabilia opera, inſolitaque miracula populis innoteſcant, eorumque deuotio erga Religionem noſtram magis, magiſque augeatur. Et inſuper quod quoties feſta SS. noſtri Ord. extra Dominicam occurrunt, in Dominica immediatè ſequenti ſupradicto modo eorum ſolemnis memoria habeatur, addita etiam per clauſtra proceſſione, ſaltim in maioribus, & grauioribus Conuentibus.*

22 Angli Nouitij in Conuentibus de Ronda, & Marchena recipiantur Toloſæ 1628. *Ordinamus vt in Conuentibus de Ronda, & Marchena recipiantur ad habitum Nouitij Angli.* Conuentus quoque de Alcalà pro eiſdem educandis Nouitijs Anglis fuit determinatus Vlyſſiponæ 1618. *Deputamus Conuentum de Alcalà de los Gonzales pro educandis Nouitijs Anglis, vt etiam à Capitulo Prouinciali huius Prouinciæ decretum fuit, ſeruatis ſeruandis iuxta Conſtitutiones noſtras.*

23 In Capitulo electionis Prædicatores Generales inſtituantur. Vlyſſiponæ 1618. *Declaramus quod in Capitulo tantum electionis à P. Prouinciali, & PP. Diffinitoribus inſtituantur Prædicatores Generales, qui tamen in eodem Capitulo vocem non habeant.*

24 Definitor quoque Capituli Generalis in eodem Capitulo eligatur. Vlyſſiponæ 1618. *Confirmamus ordinationes Capitulorum Generalium Pariſienſis, & Bononienſis quoad auctoritatem Patrum in Congregationibus intermedijs vnitorum: Declarantes electionem Diffinitoris pro Cap. Generali habendam eſſe in Capitulo Prouinciali iuxta diſpoſitionem noſtrarum Conſtitutionum, & non aliter.*

25 Nullus promotus, vel promouendus

ad

ad gradus poteſt eorum titulo, & priuilegijs frui, niſi cuncta ſeruanda, fuerint adimpleta. Vlyſſiponæ 1618. *Admonemus quod nullus promotus, vel promouendus ad gradum Magiſterij, vel Præſentaturæ, vel ad Prædicaturam Generalem, poteſt, neque debet gaudere titulo, nec loco, nec voce, neque alijs, gratijs, vel priuilegijs, niſi ſint ſeruata, & ſeruentur omnia, & ſingula expreſſa in noſtris Conſtitutionibus, & litteris Apoſtolicis ſub pœnis in eiſdem contentis.*

26 Non poteſt Prouinciale Capitulum pro Magiſtrorum eiuſdem Prouinciæ vacantibus locis alios Magiſttos ſuſtituere. Bononię 1615. *Declaramus, nec Patres Prouinciales, aut Vicarios Generales Prouinciæ, nec Prouinciale Capitulum pro locis vacantibus Magiſtrorum numeralium eiuſdem Prouinciæ Magiſtros voce, & loco non gaudentes ſubſtituere poſſe, niſi eorum litteræ patentes pro aliquo loco numeri vacante expeditæ fuerint, vel aliàs à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. id obtinuerint; quod ſi contra fecerunt, aut fecerint, irritum ac inane fuiſſe, ac fore decernimus, & declaramus. Quare prædicti Magiſtri non gaudentes voce, & loco, vt eiſdem gratijs gaudeant, & locis vacantibus prædicti numeri aſcribantur, à Capitulo Prouinciali, vel Congregatione Intermedia modo iam prædicto ipſi Capitulo Generali, vel Magiſtre Ord. erunt impoſterum exponendi.*

27 Collegium ex bonis D. Agnetis de Gabannas fundatum ad hanc Prouinciam ſpectare definirum fuit Bononiæ 1615. *Declaramus, & hac noſtra diffinitiua ſententia decernimus Coltegium fundatum ex bonis D. Agnetis de Cabannas omnino ad Prouinciam noſtram Bethicam pertinere, cui prædictum Collegium quoad fundationem, & iuriſdictionem applicamus, & Prouinciæ noſtrę Hiſpaniæ circa ius ab ipſa pratenſum erga prædictum Collegium ſilentium perpetuum imponimus. Locum verò erectionis eiuſdem Collegij, numerum, nationem, Fratrumque qualitatem ſignare, conditiones, & pacta ſtabilire, ad P. Prouincialem noſtræ Prouinciæ Bethicæ de conſilio diſcretorum, & ad eiuſdem Collegij Patronum pertinebit. Cuius Patroni, eiuſdemque Prouinciæ pium zelum pro Fratribus noſtris Anglis prædictum Collegium erigendi commendamus.: & cum pacta inter vtramque partem ſtabilita fuerint, ad Reuerendiſs. Ord. noſtri Generalem Magiſtrum pro eorundem confirmatione tranſmittantur.*

28 Præcedentia inter Magiſtros ab eorum promotionis die eſt ſumenda. Bononiæ 1615. *Ordinamus, quod in præcedentia Magiſtrorum eiuſdem Prouinciæ omnino ſeruari debeat confirmatio Pariſijs facta* 1611. (quam in p. p. de Magiſt. in Sac. Theol. num. 16. retulimus) *declarantes, quod omnes promoti ad Magiſteria in diuerſis diebus, etiam immediatè ſucceſſiuis extra Capitulum, gaudeant loco, & voce à die promotionis eorum, hoc eſt à die, quo litteræ patentes ſubſcriptæ fuerunt non habito reſpectu ad Ordinis antiquitatem.*

29 Conuentus S. Dominici de Murcia in Studium Generale fuit erectus Bononię 1615. *Quamuis vndecim Studia Generalia in eadem Prouincia erecta fuerint, propter eius tamen magnitudinem, Fratrumque copiam erigimus in Studium Generale Conuentum noſtrum S. Dominici de Murcia eiuſdem Prouinciæ.*

30 Alternatiua in Prouincialium electione eſt in hac Prouincia ſancita Neapoli 1600. conf. 7. *Confirmamus in Prouincia Bethica ordinationem alias factam de alternatiua Prouincialium; & quatenus opus ſit, idem de nouo ordinamus.* Quę ita fuit confirmara Romæ 1612. *Confirmamus ordinationem plures factam pro Prouincia Bethica circa alternatiuam electionis Priorum Prouincialium, videlicet: Quod Primò eligatur Prior Prouincialis de filijs Prouinciæ: Secundò de filijs S. Pauli Hiſpalenſis. Tertiò de filijs Prouinciæ. Quartò de filijs S. Pauli Cordubenſis: Quintò iterum de filijs Prouinciæ, & ſic deinceps. Quam alternatiuam volumus inuiolabiliter obſeruari, irritum & inane declarantes quidquid in contrarium fieri, vel attentari contingat.*

31 In Diffinitorum Capituli Prouincialis electione ſancita quoque concordia ſeruetur, illique pro Diffiniroribus habeantur, qui plura vota fuerint conſequuti. Pariſijs 1611. *Concedimus inſuper quod in electione Diffinitorum Capituli Prouincialis primi quatuor, qui plura vota in huiuſmodi electione habuerint, iuxta leges concordiæ, quæ in eadem Prouincia habetur inter Conuentus Cordubenſem, Hiſpalenſem, & reliquos Prouinciæ, habeantur tanquam veri, ac legitimi Diſſinitores, etiam ſi vota non fuerint vltra medietatem. Quod ſi in vota æqualia Electores ſe ſe diuiſerint, antiquiores ratione Magiſterij, vel Prioratus, veri, ac legitimi Diſſinitores cenſeantur.*

32 Huiuſmodi Diffinitores poſt Prouincialis factam electionem, eligantur. Romę 1612. *Confirmamus conceſſionem in Capitulo præterito Pariſienſi eidem Prouincię factam circa electionem Diſſinitorum Capituli Prouincialis poſt electionem Prouincialis faciendam.*

33 Tantùm in Conuentibus pro Studijs Generalibus deputatis alantur Nouitij. Romæ 1612. *Cum iuxta Apoſtolicas noſtrique Ord. Conſtitutiones, & Acta Capitulorum Generalium in ijs tantum Conuentibus poſſint, & debeant teneri, & educari Nouitij, tam puri, ſeu ſimplices quam profeſſi, in quibus viget reuera obſeruantia regularis iuxta eiuſdem noſtri Ord. Conſtitutiones; Idcirco præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientię ſub formali pręcepto, nec non ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs ipſo facto incurrenda tam R. Ad. Patri Prouinciali, ſeu Præſidenti Prouinciæ, quam reliquis Prioribus, ſeu Præſidentibus Conuentuum pro tempore (ſi contra fecerint) vt in eadem noſtra Prouincia Bethica in ijs tantum*

Conuentibus, qui ſunt Studia Generalia, in quibus re uera viget obſeruãtia regularis, poſſint teneri, et educari Nouitij tam ſimplices, quam profeſſi, & in nullis alijs. Quod ſi ſecus factum fuerit totum ſit irritum, & inane, & tempus illud, quo Nouitios ſimplices in alijs Conuentibus, præterquam in præfatis Studiorum Generalium (excepta vna tantum veræ infirmitatis cauſa) detineri contigerit eiſdem ſimplicibus quoad complendum probationis annum, Nouitijs verò profeſſis, quoad antiquitatem in Ordine nullo pacto ſuffragetur. Igitur ſi in alijs Conuentibus, præterquam in præfatis, Nouitij ad habitum noſtri Ord. impoſterum recipiantur, ad eoſdem Conuentus Studiorum Generalium regularis obſeruantiæ ſub præfatis præcepto formali, & pœnis ſtatim cum graui, ac exemplari ſocio tranſmittantur. Non obſtantibus in contrarium quibuſcumque.

34 Etiam in Conuentu S. Dominici de Guſman Oppidi S. Lucar de Barrameda poſſunt educari Nouitij: cui Conuentui etiam alia priuilegia fuere conceſſa ad inſtantiam Excellentiſs. D. Ducis Medinæ Sidoniæ Bononiæ 1615. *Vt Excellentiſs. DD. Medinæ Sidoniæ Ducis ex nobiliſs. Guſmanorum familia, à qua Sanctiſs. P. D. Dominicus originem traxit, petitioni per R. P. Mag. F. Dominicum Cano huius noſtri Generalis Capit. Diffinitorem nobis expoſita ſatisfaciamus, eidem concedimus. Primò quod quia in noſtra Prouincia Bethicæ vice Capituli intermedij habenda eſt Congregatio ex viginti octo grauioribus Magiſtris & Prioribus, volumus eidem Congregationi omnino intereſſe tanquam vnum de pertinentibus ad prædictam Congregationem P. Priorem pro tempore Conuentus noſtri S. Dominici de Guſman, Oppidi S. Lucar de Barrameda cuius præſtãtia numerus vigeſimus octauus pro dicta Congregatione taxatus impleatur. Secundò concedimus, quod in prædicto Conuentu poſſint recipi ad habitum, & educari Nouitij, tam ſimplices, quam profeſſi, ſicuti in alijs domibus reformatis prædictæ Prouinciæ, diſpenſantes ſuper ordinationibus in contrarium. Tertiò volumus, & diſtrictè mandamus, vt in prædicto noſtro Conuentu ad habitum noſtri Ord. vel profeſſionem non recipiantur qui a Saracenis, Mauis, Iudeis, Hæreticis, aut per tribunal S. Inquiſitionis damnati, aut ab eorum ſtirpe, genere, vel ſanguine originem trahunt.*

35 Nouitij per ſecreta vota recipiantur. Ro[illegible] 1608. *Concedimus Prouinciæ Bethicæ, [illegible] tiones Nouitiorum, tam ad habitum, [illegible] ad profeſſionem fiant per vota ſecreta iuxta [illegible] Prouinciæ conſuetudinem, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque.*

36 Circa promouendos ad gradus hæc fuere ſancita Valentiæ 1596. conceſs. 6. *Item ad eius petitionem* (ſcilicet Prouinciæ Bethicæ, concedimus) *vt nullus deinceps promoueatur ad gradum Baccalaureatus, niſi peregerit curſum integrum Artium per tres annos ſucceſſiuè, Summulas, Logicam, & Philoſophiam legendo, & per quatuor Theologiam in aliquo Generali Studio eiuſdem Prouinciæ: videlicet in Collegio S. Thomæ Hiſpalienſis. In Conuentu S. Pauli Cordubenſis. S. Pauli Hiſpalienſis. S. Catharinæ Giennenſis. S. Dominici Ximicenſis S. Crucis Granatenſis. S. Dominici Oſſunenſis. S. Mariæ de Roſario del Almagro, vel in aliqua Vniuerſitate ſæcularium, vel per eoſdem quatuor annos functus fuerit officio Magiſtri Studentium in aliqua ex prædictis Vniuerſitatibus. Nullus item promoueri poſſit ad gradum Magiſterij qui non legerit in aliqua ex dictis Vniuerſitatibus curſum Artium, & Theologiæ, per octo annos, vel per quatuor exercuerit officium Magiſtri Studentium, & per alios quatuor Theologiam docuerit.* Quæ omia fuere Romæ 1608. confirmata, hoc addito vt nõ promoueantur, niſi per integros præfatos annos legerint. *Confirmamus ordinationem factam in Capitulo Generali Valentino 1596. quòd nullus in Prouincia Bethica promoueatur ad gradum Magiſterij, niſi perlegerit curſum integrum Artium per tres integros annos, & per octo alios integros annos Theologiam legerit, nec ad gradum præſentaturæ admittatur, niſi per tres annos legerit Summulas, Logicam, & Philoſophiam, & per quatuor alios annos Theologiam docuerit, vel Magiſter Studentium extiterit. Et hanc ordinationem volumus inuiolabiliter obſeruari.*

37 Eorum, qui legerunt, teſtimonia non cenſeantur authentica, niſi in eiſdem auctoritas Prælatorum illorum Conuentuum, in quibus legerint, accedat. Romæ 1608. *Item* (ſcilicet ordinamus), *quòd teſtimonium curſuum lectorum, & temporis, quo legerunt, non ſit, neque cenſeatur authenticum, & fide dignum, niſi interueniat auctoritas Prælati Conuentus, vbi Lector legerit, diligenter inquirentis, & examinantis teſtes, ne fingi poſſint falſa, & ſubreptitia teſtimonia.*

38 Vicarij Fratrum ad nouum Orbem deſtinatorum, dum ſunt Hiſpali, permaneant in Conuentu, ſuntque illius Priori ſubditi. Romæ 1608. *Ordinamus quod Vicarij Fratrum, qui mittuntur in nouum Orbem, dum exiſtunt Hiſpali, ipſi, & Fratres eorum ſint ſubiecti P. Priori S. Pauli Hiſpalienſis pro tempore exiſtenti, nec poſſint commorari in Vrbe Hiſpalenſi, niſi in Conuentu, neque pernoctare, aut manere in ſuburbanis.*

34 Fratres Conuerſi in Conuentibus, quorum ſunt filij, permaneant. Romæ 1608. *Ordinamus in eadem Prouincia* (ſcil. Bethicæ) *quod aliàs ordinatum fuit, vt Fratres Conuerſi, ita profiteantur pro Domibus, quorum ſunt filij, vt inde nunquam aſſignentur, niſi ex graui cauſa.*

40 Qui in Prouinciales fuerint electi, ſtatim tanquam Generales Vicarij Prouinciæ, ex indulto Apoſtolico, illam regunt. Ita aſſeritur in Generali Capitulo Auenione celebrato 1561.

1561. *Vide ſupra Pro Prouincia Portugall. num.* 3.

41 In Conuentibus Hiſpalen. Corduben. Granat.& Malacit. poſſunt dari Priores, etiāſi non expleuerint biennium in Prioratu aliorum Conuentuum. Neapoli 1600. conceſſ. 7. *Concedimus in Prouincia Bethicæ quod poſſint dari Priores Conuentibus Cordubæ, Hiſpali, Granatæ, & Malacitano, etiam quod non expleuerint biennium Prioratus in alijs Conuentibus, in quo quidem Conuentu Malacitano erigimus Studium Generale.*

PRO PROVINCIA GERMANIAE INFER. XXIII.

HÆc Prouincia (ad petitionē Caroli V. inquit P.F.Michael Piò) ex aliquibus Frăciæ, Theuroniæ, & Saxoniæ Cōuentibus fuit nouiter inſtituta à Leone Papa X. ita enim denũciatum fuit Romæ 1518. denunc. 1. *In primis denunciamus Sanctiſſimum D. N. Papam creaſſe Prouinciam Inferioris Germaniæ cum aliquibus Conuentibus, qui fuerunt de Prouincijs Franciæ, Theutoniæ, & Saxoniæ nominatis in litteris ſuæ Sanctitatis expreſſis, in quorum numero ſunt Conuentus Atrebatenſis, & S. Andomari, quibus præcipimus ſub pœnis priuationis omnium gratiarum Ordinis, & graduum, atque officiorum, ac carceris, quam contrafaciendo incurrant, vt Prouinciali dictæ Prouinciæ Germaniæ Inferioris pro tempore obediant. Præcipimus quoque Priori Prouinciali pro tempore, & omnibus Fratribus Prouinciæ Franciæ ſub pœnis abſolutionis à ſuis officijs, & carceris, quam contrafacientes ipſo facto incurrant, ne ſe de illis Conuentibus viſitandis, vel gubernandis quouis modo impediant, aut eis Officiales quoſcunque inſtituant, vel confirment, qui non ſint amplius de ipſa Prouincia Franciæ.* Quæ inſtitutio ita fuit etiam in alio ſequenti Romano Capitulo 1525. ita approbata, approb. 3. *Item approbamus, & confirmamus Prouinciam Inferioris Germaniæ cum omnibus, et ſingulis conuentibus eius, & præſertim quoad conuentum Attrebatenſem, & conuentum S. Odomari, præcipientes omnibus, et ſingulis Fratribus dictæ Prouinciæ, dictorumque conuentuum, qui in alienis Prouincijs morantur ſine licentia ſui Prouincialis, in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ, ac ſub pœna excorporationis à ſuis conuentibus quatenus poſt notitiam Actorum præſentis Capituli, intra quatuor menſes proxime ſequentes ſe præſentent R. Prouinciali dictæ Prouinciæ; alioquin ſi contrafecerint, non teneantur illi de conuentu poſtmodum prouidere. Eadem diſtrictione præcipimus R. P. Prouincialibus aliarum Prouinciarum ne vltra prædicti temporis terminum illos retinere præſumant; quod ſi aliter fecerint, teneantur perpetuò illis de Conuentu prouidere ſine ſpe redditus ad ſuos Conuentus.* Iterumque in ſubſequenti Capitulo Romano 1530. fuit confirmata approbat. 1. *Approbamus Prouinciam Germaniæ Inferioris, & ſimiliter Prouinciam S. Thomæ in Regno Neapolitano, & hoc habet tria Capitula.*

Inter præſtantiores Ordinis noſtri Prouincias iure merito numeratur hæc, tum propter regularem obſeruantiam, quæ in ipſa viget, quum etiam propter præſtantiſſimos viros Orbi, & Eccleſiæ donatos, quorum doctrina, & pietate plurimum Ordo noſter illuſtratur.

Pro regularis igitur obſeruantiæ conſeruatione ſequentia in Generalibus Capitulis fuere ordinata.

1 Ordinationes factæ in Generalibus Capitulis de exibendo Fratribus victum, & veſtitum, ſub pœnis in eiſdem contentis, cum omni rigore obſeruentur, Romæ 1650. *Inſtituimus perfectam communitatem in omnibus Conuentibus huius Prouinciæ, in qua rigidiſſimè obſeruatam volumus ordinationem vltimi Capituli Valentini, quod à ferendo ſuffragio in Prouinciali Capitulo excludantur, tum Socij Priorum, tum ipſi Priores quicunque neceſſaria ad victum, & amictum Fratribus ſui Conuentus non dederint: ac inſuper mandamus quod Prouincialis huiuſmodi Priores à ſuis officijs irremiſſibiliter abſoluat.*

2 Regularis obſeruantia in Bruxellenſi Conuentu iam introducta, fuit in eodem confirmata Romæ 1650. *Committimus Reuerendiſs. Magiſtro Ord. vt Conuentui noſtro Bruxellenſi à pluribus iam annis pro exacta obſeruantia ſaluberrime deputato (quam deputationem hiſce etiam ſtabiliendo continuamus) præſcribat peculiares ordinationes, & ſtatuta pro ut ad firmandam, conſeruandam, augendamque illic regularem obſeruantiam indicauerit expedire.* Quod præſtitit Reuerendiſſimus P. N. Generalis, eundemque Conuentum ad rectam viuendi normam iuxta noſtrarum tenorem Conſtitutionum reduxit,

vt in prima parte de Reformat. Ordinis diximus.

3 Montenſis Conuentus pro Nouitiatu Nationis GalloBelgię fuit deputatus Romę 1650. *Deputamus pro Nouitiatu communi Nationis Gallo Belgicæ præter conuentum noſtrum Valenceuenſem etiam conuentum noſtrum Montenſem, ita quod deinceps licebit Prioribus huius Nationis ſuos Nouitios pro arbitrio ad alterum horum conuentuum, quem maluerit educandos, transmittere.* Mediolani autem 1622. ita fuerat ordinatum. *Volumus, vt in Conuentu Montenſi Nouitiatus inſtituatur pro Conuentibus nouis, nulliſque in eo Conuentu aſſignetur, qui exactam reformationem ſeruare noluerit.*

4 Nullus Nationum huius Prouincię diuiſionem procurare audeat, ſub pœna priuationis vocis, atque cuiuſcunque officij, & gradus. Romæ 1629. *Ordinamus, & omnino prohibemus ne in hac Prouincia ex diuerſis Nationibus conſtante quiſquam impoſterum Nationum diuiſiones tentare audeat: qui ſecus fecerit, ipſo acto conſtante, vtraque voce, & quocunque gradu ac officio ſtatim priuatus ſit, & per Ad. R.P. Prouincialem ita priuatus declaretur.*

5 Loco intermedij Capituli habeatur Patrum Prouincię Congregatio. Romę 1629. *Concedimus huic Prouinciæ, vt poſſit Capitulum intermedium omittere, eiuſque loco Congregationem Patrum Prouinciæ facere, in qua omnia, & ſingula, quæ in Capitulo intermedio fieri ſolent, fieri poterunt; ita tamen, vt inſtitutio Prędicatorum Generalium à P. Prouinciali electo vna cum Diffinitoribus Capituli Prouincialis, & Magiſtrorum Prouincię acceptatione ſemper fiat, alias nulla omnino ſit.* Hoc idem fuerat eidem conceſſum ob aſſidua bella Toloſę 1628.

6 Graduatorum numerus duodenarius fuit inſtitutus Romę 1583. & 1589. ita vt Magiſtri eſſent duodecim, Pręſentati duodecim, & totidem Prędicatores Generales, prout diximus ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26. In Capitulo autem Pariſienſi 1611. Magiſtrorum, & Baccalaureorum numerus ad denarium fuit redactus, additis ſex licentiatis, Prędicatoribus Generalibus iuxta numerum Conuentuum multiplicatis. *Ordinamus circa numerum Graduatorum pro dicta Prouincia* (ſcil. Germanię Inferioris) *vt Magiſtri in S. Theologia ſint decem tantum; Licentiati ſex; Baccalaurei decem, & non plures; Prędicatores Generales ſecundum numerum Conuentuum Prouincię, quem non excedant: qui autem hactenus vſque ad hoc Capitulum Generale incluſiuè promoti ſunt, loco, & priuilegijs ſuis gaudeant reſpectiuè.*

In Capitulo autem ſequenti Romę 1612. celebrato Licentiatorum numerus ad denarium fuit protractus. *Concedimus vt impoſterum numerus Licentiatorum ſit denarius; voluműſque, vt obſeruetur conſuetudo in dicta Prouincia ab immemorabili tempore obſeruata, ne videlicet à gradu Baccalaureatus tranſiri poſſit ad gradum Magiſterij ſine intermedio gradu Licentiati.*

Quantum verò ad Prędicatores Generales idem fuit confirmatum Vlyſſiponę 1618. atque additum, vt inter huiuſmodi, quatuor eximij Pręſentati adſcribi poſſint. *Statuimus vt quot ſunt numero Conuentus, tot & non plus ſint Prędicatores Generales iuxta Conſtitutiones noſtras: Inter huiuſmodi autem Prędicatores Generales concedimus, vt gaudeant quatuor eximij, qui fuerint deſignati à PP. Prouinciali, & Diffinitoribus, gradu Pręſentaturę, modo habeant requiſita, & talis ſit huius Prouincię vſus.*

Quantum autem ad Magiſtrorum numerum poſt reductionem eiuſdem ad denarium in Pariſienſi Capitulo 1611. ſecutā, & ſupra adductam, nulla alia facta de hac re in ſubſequentibus Capitulis innouatione, in Romano Capitulo 1629. ita dicitur. *Augemus numerum Magiſtrorum huius Prouincię, ita vt duodenario ſuperaddatur ex qualibet trium Nationum vnus.* Vel igitur pręfata Pariſienſis Capituli ordinatio non fuit executioni mandata, vel ex aliquo alio indulto Magiſtrorum numerus fuit iterum ad duodenarium, prout in Capitulis Romanis 1583. & 1589. ſupra adductis ſancitum fuerat, pro tractus, ſuperaddito etiam ex qualibet trium Nationum vno.

7 Licentiati locum ſupra Suppriores, vocem vero in Prouincialium electionibus non, conſequuntur. Pariſijs 1611. *Declaramus quod Licentiati iuxta morem huius Prouincię obſeruatum hactenus debeant habere locum ſupra Suppriorem poſt omnes Priores, ſed tamen non habere vocem in Capitulo Prouinciali.*

8 Louanienſis Studij Regentes ſint tantum quadriennales. Romę 1601. ord. 40. *Item ordinamus in eadem Prouincia Germanię* (ſcil. Inferioris) *vt Regentes in noſtro Studio Louanienſi non ſint, niſi quadriennales, ſicut & ſtudium, ita vt abſoluto quadriennio, ſiuè in pręſentiarum, ſiuè poſt hac, expiret tempus illorum & alius, vel alij ad hoc idonei ſuccedant, & ſubrogentur.*

9 In quolibet Conuentu caſuum Conſcientię lectio ſingulis diebus habeatur. Mediolani 1622. *Decernimus vt in ſingulis Conuentibus quotidie, ſaltem per horam, exercitium caſuum Conſcientię habeatur, cui pręſit doctior ex Fratribus à P. Prouinciali deputandus; in Studijs verò Louanienſi, & Duacenſi vnus ex Regentibus, ter ſaltem in hebdomada Sacram Scripturam exponat.*

10 Lectoris, ſeu Prędicatoris titulum nullus conſequatur, niſi in Louanienſi Studio fuerit approbatus. Pariſijs 1611. *Volumus quoque ad eius Prouinciæ petitionem, vt nemo Lectoris,*

Digitized by Google

ris, aut Prætoris titulo gaudeat, vel officio fungatur, qui ſit in Generali Studio Louanienſi examinatu

11 Lenienſis idem Conuentus in Vniuerſitateruit erectus Romę 1551. decl. 1. *Vide ſuprra Prou. Toloſana num. 27.*

12 Pſt hęc Prouincia ſuos Fratres ad aliarum ſdia mittere. Romę 1580. conceſs. 12. *Conceſsus etiam Prouincię Germanię Inferioris, vſſit mittere Fratres ad Studium ex ſua Prouia ad Vniuerſitates aliarum Prouinciarum Otis.*

13 Piinciales in ſuis Prouincijs nullum Fratrem hac recipiant ſine Reuerendiſſimi Magiſtrirdinis licentia. Mediolani 1622. *Monemuuues PP. Prouinciales ne vllum ex hac Prouia recipiant, niſi licenuam P. Reuerendiſſimi agiſtri Ord. ad ſolius P. Prouinçialis, petitioneibtentam exhibeat.*

14 Piinciales pro tempore Sanctiſſimi Roſarij tietatem in Louanienſi Conuentu fundatanio patrocinio foueant, eidemque Patres ccpicuos pręficiant. Mediolani 1622. *Committis PP. Prouincialibus huius Prouincię pro tempo, vt curam habeant Confraternitatis Sanctiſs. ſarij nuper in Conuentu Louanienſi inſtaurateque Fratres zelo, & Religione conſpicuos pręſint.*

15 Ictetum Electionis Diffinitorum Cap. Gen. ſit autenticum, & petitiones pro graduanc, & quibuſcunque alijs rebus Prouincię ſigo muniantur. Vlyſſiponę 1618. *Admonemvt iuxta ſapius ordinata in Capitulis Generalibu decretum electionis Diffinitoris pro Capitulo Gerali ſit autenticum, & petitiones Prouincię aidem Capitulum mittendæ ſignentur ſigillo Proncię, & ſubſcribantur à PP. Prouinciali, & Diffitoribus Prouincialis Capituli.*

16 Moialium Monaſterij Tegulatenſium numerus nn augeatur, niſi duplicata exhibita dote. Vyſſiponę 1622. *Decernimus vt non augeatur nmerus Monialium Conuentus Tegularenſium pepè Attrebatum, niſi dotem tribuerint duplicatam uxta decretum Pontificium. His verò Monialibus concedimus, vt Feſtum S. Margaritę ſub Toto Duplici celebrare poſſint, non intermiſſo tamen Officio B. Virg.*

17 In Prouincialis facienda electione alternatiua ex tribus Nationibus ſeructur. Romæ 1608. *Ordinamus in eadem Prouincia Germania Inferioris ad eius petitionem, vt Prouinciales deinceps alternatiuè eligantur ex tribus præcipuis Nationibus inchoando à Natione Gallicana, deinde Brabantica, tertiò Flandrica; dummodò digni, & idonei in his electionibus habeantur. Et idem quidem ſtatuimus, vt mutua pax & amor inter eas Nationes conſeruetur, ſuuſque honor cuique deferatur. Delarantes quod ſi aliquando mori vel amoueri contigerit aliquem Prouincialem, non poſſit reelegi ex eadem Natione, ſed deuoluatur electio ad ſubſeqnentem electionem.*

18 Prouinciales electi, à die ſuæ electionis, tanquam Vicarij Prouinciæ gubernium aſſumant, atque ab eadem die quadriennij ſumantur exordia. Romæ 1608. *Ordinamus vt quamprimum R. A. P. Prouincialis expleuerit quadriennium ſui officij, Prouincialis electus à die electionis ſuæ, tanquam Vicaris Generalis illius Prouinciæ eandem regat, & gubernet, & exinde incipiat numerari eius quadriennium. Quod imposterum obſeruari mandamus more in quibuſdam Prouincijs vſitato.*

19 Priores, & Prioriſſæ ſint triennales. Romę 1580. conceſs. 13. *Concedimus eidem Prouinciæ* (ſcil Germanię Inferioris de qua habetur ſermo in antecedenti conceſs. 12.) *ad eius petitionem quod Priores, & Prioriſſæ ſint triennales, quo triennio expleto ipſo facto ſint abſoluti à talibus officijs, quos præſenti ſtatuto abſoluimus, & abſolutos declaramus.* Quod ita fuit confirmatum Romæ 1608. ord. 39. *Declaramus quod Prioriſſæ Monialium debent eſſe triennales, vt Priores Conuentuum.* Et Romæ 1601. de Prioribus ita fuit mandatum. *Ordinamus in Prouincia Germaniæ Inferioris quod Priores ſint triennales.*

20 Fugitiui Fratres huius Prouincię non recipiantur in alijs Prouincijs, neque ad ſtudia admittantur. Romę 1546. conf. 8. *Item confirmamus quod fugitiui à Prouincia Germaniæ Inferioris non retineantur in aliqua Prouincia, nec admittantur ad quodcumque Studium Generale, nec Fratres alterius Prouinciæ abſque ſuorum Prouincialium licentia in dicta Prouincia Germaniæ recipiantur.*

21 Huius Prouincię Patres ſe Dominicos Canes contra heręſis labe detentos, verbo, & opere exhibeant, illorum falſa dogmata impugnantes, atque apertè, & animosè pro fide Catholica loquantur. *Vide in p. par. de Hæreſi num. 1.*

PRO PROVINCIA S. THOMAE.

XXIV.

APuliæ Prouincia ſub S. Thomæ Aquinatis nomine à Prouincia Regni auulſa, in Generali Capitulo Romę ann. 1530. celebrato in peculiarem Prouinciam conſtabilita fuit; ita enim approbat. 1. dicitur. *Approbamus Prouinciam Germaniæ Inferioris, & ſimiliter Prouinciam S. Thomæ in Regno Neapolitano, & hæ habent tria Capitula*. Antecedentia autem Capitula fuere Valliſoletanum 1523. & Romanum 1525. atque in hoc ſecundo fuit eidem Prouinciæ nouiter inſtitutę conceſſum Generale Studium. Ita enim in eiuſdem Capituli Actis teſtatum reperitur. *Item ordinamus, & inſtituimus Generale Studium in Conuentu Barolitano Prouinciæ S. Thomæ cum omnibus gratijs, & priuilegijs, indultis, exemptionibus conſuetis dari huiuſmodi Generalibus Studij in Ordine noſtro*. In præfato autem Conuentu non fuiſſe poſtea cum effectu Generale Studium appoſitum ex eo colligitur, quod in ſequenti Capitulo illud in Andrienſi Conuentu iam collocatum cognoſcitur ex §. *Aſſignationes* vbi ſingulis Ordinis Generalibus Studijs de Officialibus fuit prouiſum, & de Studio huius Prouincię ita habetur. *Conuentui Andrienſi Apuliæ de Officialibus prouidebit Reuerendiſſimus Magiſter*.

Dum autem Apuliæ Conuentus ad Prouinciam Regni ſpectarent, inter illos regularis obſeruantia vigebat; vnde in Regeſtis P. F. Leonardi de Manſuetis Magiſtri Ord. ita legitur ſub die 5. Iulij 1474. *F. Syluester de Venuſio fuit inſtitutus Vicarius in Natione Apuliæ, & terræ Ydronti ſuper Conuentibus Reformatis, & Monaſterijs cum pleniſſima auctoritate, etiam abſoluendi in capite, & membris*. Et ibidem immediatè ita ſubditur. *Prioribus, & Fratribus vitæ regularis Nationis Apuliæ fuit conceſſum quod illa Natio eſſet ſeparata à Congregatione terræ laboris, & quod poſſit facere Congregationem, & Vicarium eligere; & ſi maior pars congregatorum petierit abſolutionem Vicarij, ipſo facto ſit abſolutus. Et fuit factum præceptum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quod nullus à Congregatione recedat ſine obtenta licentia Vicarij Generalis*.

Cum pluribus eſſet ditata Conuentibus, atque domibus, amplaſque ſuæ extenſionis haberet periodos, ita vt eiuſdem viſitatio Prouincialibus eſſet onerosa nis, in Generalibus Comitijs Salmanticæ an 551. habitis fuit Aprutina Natio ab eadem ſeiuncta, atque in peculiarem Congregationem inſtituta, vt cum de Prouincia Aprutij tractabimus, referemus.

Pro huius igitur Prouinciæ felici conſeruatione ſequentia in pluribus Capitulis emanauere decreta.

1 Bituntini Prouincialis Capituli nouiſſimè celebrati ante Generale Romum Capitulum 1650. Acta fuere in eodē ita confirmata. *Confirmamus Acta Capituli Prouincialis Bituntini, & peculiariter ſanctionem illam præbendæ Fratribus ſufficientia veſtimentorum, medicinalium, ſub pœnis ibidem taxatis*.

2 Vt ſingulis quartis Ferijs non impeditis officium de S. Thoma Aquinate celebretur, conceſſum illi fuit Romæ 1650. *Concedimus, quod per totam hanc Prouinciam feria non impedita recitari poſſit Officium de S. Thoma Aquinate iuxta eiuſdem Prouinciæ morem antiquiſſimum, & immemorabilem conſuetudinem*.

3 Sabbato ante Dominicam *Deus qui errantibus* Prouinciale Capitulum debretur, & Priores Conuentuales in eodem vocales ſuum biennium ſequenti die terminabut. Valentiæ 1647. *Ordinamus, vt Capitulum Prouinciale celebretur iuxta antiquum morem Prouinciæ, vt aliàs ordinatum fuit in Capitulo Neapoli 1600. Sabbatho ante Dominicam* Deus qui errantibus, *& Priores vocales omnes expleant, ſuum biennium in ſero Dominicæ ſequentis, vt aliàs ordinatum fuit in Capitulo Generali Venetijs 1592. etiam authoritate Apoſtolica*: In præfato autem Veneto Capitulo ita dicitur ord. 1. *Ordinamus in Prouincia S. Thomę ad eius petitionem, interueniente etiam Apoſtolica auctoritate quatenus opus ſit, quod Priores tempus ſui Prioratus in ſero Dominicę* Deus qui errantibus, *expleuiſſe intelligantur abſque alia declaratione*.

4 Quando Prouinciale Capitulum eſt celebrandum, à feria 2. poſt Septuageſimæ Dominicam ſocij Prioris electio fieri poteſt. Bononię 1615. quod ita fuit confirmatum Valentiæ 1647. *Confirmamus conceſſionem factam eidem Prouinciæ in Capitulo Generali Bononiæ 1615. vt ſcilicet quando celebrandum eſt Capitulum Prouinciale à feria 2. poſt Septuageſimam*

poſſit

poſſit fieri electio ſocij Prioris pro Capitulo Prouinciali, quamuis Capitulum intimatum non fuerit.

5 Erectio Collegij S.Dominici de Foggia facta à Magiſtro Ord. P.F.Thoma Turco fuit approbata Valentiæ 1647. *Approbamus erectionem Collegij noſtri Conuentus S. Dominici de Foggia factam à Reuerendiſs. noſtro P. Generali cum conditionibus in eius litteris appoſitis, videlicet quod Lectores primi legant pro gradu, & forma, &c. Et dum actu exercent hoc officium gaudeant titulo Regentis, & quod Studentes formales examinentur prius in ſtudio generali S. Dominici de Andria, & expleto triennio in præfato Collegio, iterum examinentur in Studio Andrienſi pro Lectoratu, cum fide de vita, & moribus à Conuentu Foggiarum.*

6 Fratres Conuentus S. Auguſtini de Luceria poſſunt anticipare vigiliam S.P.Dominici, habendam die 2. Menſis Auguſti. Valentiæ 1647. *Concedimus Fratribus Conuentus noſtri S. Auguſtini de Luceria vt poſſint anticipare vigiliam S.P.N.Dominici die 2. Auguſti, cum die 3. celebretur ſolemniter feſtum eiuſdem B. Auguſtini, cuius corpus ibidem ſeruatur, & celebretur etiam in eadem Ciuitate ſolemniter.*

7 Nullus in conuentu S.Io: de Lytio eſt in Priorem eligendus qui non ſit in quadraginta annorum ætate conſtitutus. Valentiæ 1647. *Ordinamus, vt nullus poſſit eligi in Priorem Conuentus S.Io: de Lytio, niſi ſit quadraginta annorum, cum habeat curam annexam Monialium.*

7 Fratres Conuentus S. Mariæ Lauretanę de Ferandina poſſunt ſibi eligere in Priorem, etiam aliquem actu Priorem in alio conuentu. Valentię 1647. *Approbamus conceſſionem factam Conuentui noſtro S. Mariæ Lauretanæ de Ferandina à Reuerendiſs. P. Rodulphio olim Generali Ord. vt ſcilicet poſſit ſibi eligere Priorem ex actualiter exiſtentibus Prioribus in alijs Conuentibus.*

9 Moderatores Studi Generalis, & Lectores à lectionibus habendis deficientes, poſt integrum menſem à ſuis officijs abſoluuntur. Romæ 1629. *Ordinamus, vt ſi aliquis Moderator Studij noſtri Generalis Andriæ, vel Lector actualis alicuius conuentus poſt integrum menſem, à ſui officij functione ceſſauerint, exceptis diebus vacationum conſuetis, ſtatim à P. Prouinciali ſuo officio ſpolietur. Quod ſi aliquis eorum tempore Quadrageſimæ, vel Aduentus de Superiorum licentia conciones habendo à ſuo munere defecerit, tempore conſueto vacationum annualium omnes lectiones omiſſas perlegere ſub eadem pœna teneatur.*

10 Regentes triennales, Baccalaurei verò ſint bienuales Venetijs 1592. ord. 31. *Ordinamus in Prouincia S. Thomæ ad eius petitionem &c. quod Regentes tribus annis, Baccalaurei duobus, in Studio Andrienſi legere debeant, nec quis ad Baccalaureatum promoueri poſſit, niſi honorificè concluſiones in aliquo Prouinciali Capitulo defenderit.*

11 Studentes omnes, & Iuuenes annuale examen ſubire tenentur. Romæ 1629. *Ordinamus, vt omnes Studentes tam Studij Generalis, quam cuiuſcumque Conuentus ſingulis annis ſuper tota lectura annuali præterita, tam Theologica, quam Philoſophica reſpectiuè, examinentur à Moderatoribus Studij in Studio Generali coram P. Prouinciali; in alijs verè conuentibus, ab examinatoribus à P. Prouinciali deputandis, & eoram ipſo examinantibus, eoſdemque per ſecreta ſuffragia approbantibus, vel reprobantibus.*

12 Qui ad Lectoratus officium ſunt promouendi, prius à PP. à Conſilijs per ſecreta vota in moribus, poſtea in litteris à Moderatoribus Studij Generalis approbētur. Romę 1629. *Qui verò ad Lectoratum promouendi fuerint prius à Patribus à Conſilijs per vota ſecreta in moribus approbentur, ac deinde in litteris à ſtudij Moderatoribus examinentur, aliàs promotio eorum nulla ſit.* Et Mediolani 1622. ita mandatum iam fuerat. *Statuimus vt in Conuentu S.Io: de Aymo Ciuitatis Licij ſex ſaltem Studentes Sacerdotes aſſignentur, prius tamen examinati à Moderatoribus Studij Tarantini* (ex Conuentu enim S. Dominici de Andria fuit in eodem Capitulo translatum Generale Studium ad Tarantinum Conuentum), *qui expleto triennio, & habitis PP. Lectorum litteris teſtimonialibus de probitate morum, ac literarum ſufficientia, in eodem Studio Taranti pro Lectoris officio examinari poterunt. Ipſi verò Studentes Conuentus Lycij nullis gaudeant Studentium Formalium priuilegijs, niſi prius à Moderatoribus Studij formali Taranti examinati fuerint. Studentes autem Sacerdotes in eodem Conuentu de Lycio exacto triennio à die, qua Ordinem presbyteratus ſuſceperint incipiendo, Studium formale adire poterunt ibi examen ſubituri pro Lectoris officio conſequendo.* Hoc autem anno 1655. quo hæc ſcribimus Reuerendiſs. P. N. Magiſter Ordinis Generale Studium huius Prouinciæ ex Conuentu Andrienſi ad Conuentum de Lycio iuſtis de cauſis transtulit.

13 Ne Prouinciales cōcedere poſſent licentiā Prioribus conciones habendi extra proprias Eccleſias in Aduentu, vel Quadrageſima, interdictum illis fuerat ſub pœna abſolutionis ab eorum officio Mediolani 1621. hoc modo. *Mandamus A. R. P. Prouinciali pro tempore ſub pœna abſolutionis ab officio, ne permittat Priores extra ſuas Eccleſias tempore Aduentus, & Quadrageſimæ conciones habere.* Veruntamen poſtea Romæ 1629. cum huius decreti limitatione ita fuit ordinatum. *Concedimus P. Prouinciali pro tempore vt ſi aliquando per temporis anguſtias non liceat à Magiſtro Ordinis impetrare licentiam concionandi in Aduentu, & Quadrage-*

ſima pro Prioribus Conuentualibus extra ſuas Ecleſias, poſſit ipſe Prouincialis eam Prioribus concedere, dummodo regimen Conuentus damnum aliquod ex Prioris abſentia non patiatur; non obſtante conſtitutione Capituli Generalis Mediolanenſis ann.1622.

14 Socius Prouincialis loco, & titulo Prioris, non verò voce, gaudeat. Romę 1629. *Concedimus Socio Prouincialis pro tempore vt gaudeat titulo, & loco tantum Prioris Idrutini.*

15 Collectæ ſoluantur à Conuentibus iuxta taxam in Prouinciali Capit. Andriæ factam. Romæ 1629. *Concedimus, vt collecta huius Prouinciæ ſoluantur à Conuentibus iuxta taxam in proximo Capitulo Prouinciali Andrię celebrato factam.*

16 Aliarum Prouinciarum Fratrum affiliationes in Prouincialibus Capitulis acceptentur. Mediolani 1622. *Decernimus, vt affiliationes Fratrum aliarum Prouinciarum non acceptentur, niſi in Capitulo Prouinciali à PP. Diffinitoribus, & PP. Prouinciæ per vota ſecreta.*

17 Ordinationes in Congregatione habita in Conuentu S. Dominici de Monopoli ante celebrationem Capituli Mediolanenſis 1622. in eodem Generali Capitulo fuere ita approbatæ. *Acceptamus omnia Acta, & ordinationes factas in Congregatione proximè celebrata in Conuentu S. Dominici de Monopoli.*

18 Priores proprio muneri cedentes ad aliorum Conuentuum regimen aſſumi non poſſunt. Mediolani 1622. *Ad euitanda plurima incommoda ſtatuimus, vt Priores, qui officio ceſſerint, non poſſint eligi in Priores aliorum Conuentuum, niſi fortè cauſa infirmitatis, ſeu expleto biennio ſe ſe officio, permittente Prouinciali, abdicauerint.*

19 Qui etiam in Prouincialibus Capitulis Prioratibus renunciauerint, in eiſdem in aliorum Conuentuum Priores aſſumi non poſſunt. Vlyſſiponæ 1618. *Nolumuſque, vt Priores Conuentuum, qui in Prouinciali Capitulo ſuis Prioratibus renunciauerint, in eodem Capitulo aſſumi poſſint in Priores aliorum Conuentuum.*

20 In Conuentibus ſufficientem vocalium numerum pro electione Prioris habentibus, nullus propriæ voci renunciare poteſt, ſi ex eius renunciatione electio impediatur. Vlyſſiponæ 1618. *Ordinamus, vt in Conuentibus vbi eſt ſufficiens eligentium numerus, Priores per electionem fiant, nulluſque vocalium (ad cauendas fraudes) voci ſuæ renunciare poſſit.*

21 In Conuentibus Tarentino, Monopolitano, Lucerino & S. Io: de Lytio poſſunt in Priores illi aſſumi, qui in minoribus Conuentibus tali munere funguntur. Pariſijs 1611. *Ordinamus, quod in Conuentibus Tarentino Monopolitano, Lucerino, & S. Io: de Lytio, in quibus Nouitij aluntur, poſſint propter Conuentuum dignitatem, atque vtilitatem eligi, & aſſumi in Priores etiam ij, qui actu in alijs Conuentibus minoribus prioratus munus exercent, ſi aquè benè nequeat eis aliter prouideri.*

22 Idem Andrienſi Conuentui in ſubſequenti Romano Capitulo 1612. fuit conceſſum. *Concedimus Conuentui Andrienſi, vt poſſit ſibi eligere Priores actu fungentes officio Prioratus in alijs Conuentibus minoribus, ſi aquè bene nequeat dicto Conuentui aliter prouidere.*

23 Conuentus Lucerię, & Foggiarum, Vicariæ Capitanatę: Andriæ, Bitonti, Medicæ, & Barij, Vicariæ Terræ Barij: Altamurę, Grauinę, Materę, & Griptolarum, Vicarę Baſilicatę, Lycei, Neritoni, Tarenti, & Meſapię, Vicarię Otranti, fuere conceſſi Vlyſſiponę 1618. *Damus Vicariæ Capitanatæ Conuentus Luceriæ, & Foggiarum: Vicariæ Terræ Barij Conuentus Andriæ, Bitonti, Medicæ, & Barij: Vicariæ Baſilicatæ, Conuentus Altamuræ Grauinæ, Materæ, & Griptolarum: Vicariæ autem Otranti, Conuentus Lycei, Neritoni, Tarenti, & Meſapiæ.*

24 Affines, conſanguinei, vel vterini Fratres duo tantùm in eodem Conuentu vocem conſequantur. Pariſijs 1611. *Ordinamus, & diſtrictè præcipimus quod ſi plures affines, conſanguineos, vel vterinos Fratres, aſſignatos, vel affiliatos eſſe in eodem Conuentu contingat, duo dumtaxat, nempe antiquiores in profeſſione, tum in electionibus, tum in conſilijs vocem habeant. Et imposterum ſimiliter ordinamus non poſſe plures, quam duos affines, conſanguineos, ac vterinos Fratres in eodem Conuentu affiliari; & ſi ſecùs factum fuerit, inanis, ac nulla cenſeatur prædicta affiliatio; & Prælati eos recipientes ſint ipſo facto abſoluti, vocaleſque actiua, & paſſiua voce priuati.*

26 Qui ab habitus ſuſceptione, vel profeſſionis emiſſione iuſtis de cauſis excluduntur, ſi in alijs poſtea Prouincijs recipiantur ad habitum, & profeſſionem, illarum erunt filij. Pariſijs 1611. *Ordinamus quod illi Fratres, qui ante acceptationem ad habitum clericalem ob ignorantiam, & inſufficientiam repulſam paſſi, ad propria dimiſſi ſunt; & illi, qui ante profeſſionem habitu clericali ob requiſitorum carentiam iuxta ſanctiones Apoſtolicas priuati, ad alias Prouincias confugiunt, ibique habitum legitimè ſuſceperunt, & ſeruatis ſeruandis profeſſionem emiſerunt, vel in futurum confugient, & ſimiliter profeſſionem emittent, non obſtante, quòd litteras acceptationis pro filio alicuius Conuentus huius Prouinciæ S. Thomæ, in eandem redeuntes ſecum deferant, volumus, & declaramus eos filios eſſe illarum Prouinciarum, illorumque Conuentuum, in quibus profeſſionem emiſſerunt, vel in futurum emittent.*

26 Suppriores, Locorumque Vicarij terminato biennio ab eorum officijs amoti intelli-

telliguntur. Venetijs 1592. ord. 31. *Ordinamus in Prouincia S. Thomæ, &c. Quod Suppriores, & Vicarij Locorum expleto biennio à ſuis officijs abſoluti intelligantur, nec in eiſdem per aliud biennium confirmari poſſint; in illis Supprioribus exceptis, quorum biennium completur vacante Prioratu ſui Conuentus, quos durare volumus quouſque Priorem præſentem habuerit.*

27 In Prouincialatus, ſeu Prioratus munere affines, ſeu conſanguinei in primo, & ſecundo gradu non poſſunt ſibi inuicem ſuccedere. Ita ſubditur in prædicto Cap. Veneto, ord. 31. *Conſanguinei, & affines in primo, & ſecundo gradu non poſſunt ſuccedere conſanguineis, & affinibus in officijs Prouincialatus, vel Prioratus.*

28 Nouitijs illi Conuentus medicinalia, atq; veſtimenta præbeant, pro quibus habitum ſuſcipiunt. Ita ſubditur in præfato Cap. Veneto 1592. & ord. 31. *Conuentus, in quibus Nouitij ſuſcipiunt habitum, teneantur eiſdem, dum in nouitiatu manent, de veſtibus, & medicinis prouidere.*

29 Prouinciales, etiam abſoluti, terminato ſuo munere remanent Vicarij Prouinciæ, & electionis, donec alter electus, & confirmatus fuerit, præſenſque in Prouincia extiterit. Romæ 1546. ord. 22. *Vide ſupra Pro Prouincia Aragoniæ num. 48.*

30 In Prouincialium electione (quæ Dominica *Deus qui errantibus* eſt celebranda) nulla adeſt alternatiua in hac Prouincia; & licet aliquando hæc fuerit illi conceſſa, tamen in Capitulo Neapolitano 1600. ita fuit reuocata reuocat. 2. *Reuocamus conceſſionem aliàs factam in Prouincia S. Thomæ de alternatiua in electione Prouincialium; volumuſque quod Capitulum Prouinciale celebretur iuxta antiquum morem in Dominica; Deus qui errantibus.* Quando autem, & à quo fuerit talis alternatiua huic Prouinciæ conceſſa, in Capitulis non inuenitur.

31 Graduatorum numerus primò in Romano Capitulo 1545. ord. 24. ita fuit determinatus, vt Magiſtri duodenarium numerum non excederent. *Ordinamus quod in Prouincia S. Thomæ cum Magiſtris in Theologia, & alijs quomodolibet graduandis ſeruetur ordo profeſſionis; & nihilominus numerus Magiſtrorum non excedat numerum duodenarium.* Poſtea verò Romæ 1583. ſancitum fuit, vt Magiſtri eſſent xxv. Baccalaurei xii. & Prædicatores Generales vi. idemque fuit confirmatum Romæ 1589. *Vide ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26.* Tandem Romæ 1644. Prædicatorum Generalium numerus ad octonarium fuit ita extenſus. *Ordinamus Prædicatores Generales ob multitudinem Conuentuum extendi vſque ad numerum octonarium.*

32 Ordinationes factæ à Magiſtro Ord. P. F. Auguſtino Galamino in ſua huius Prouinciæ viſitatione fuere, ita confirmatæ Romæ 1612. *Confirmamus ordinationes factas in viſitatione ab Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Card. de Aracœli tunc Ord. noſtri Magiſtro Generali pro bono regimine dictæ Prouinciæ, volumuſque vt inuiolabiliter obſeruentur.*

33 Conuentus S. Dominici de Foggia, & S. Petri Mart. de Tarento ſtrictiori obſeruantiæ Romæ 1644. fuere addicti. *Ordinamus vt Conuentus S. Dominici de Foggia, & S. Petri Mart. de Tarento ſint ſtrictioris obſeruantiæ, in quibus ad amuſſim obſeruentur noſtræ Conſtitutiones iuxta Capitulorum Generalium ordinationes, & declarationes; præcipientes A. R. P. Prouinciali pro tempore, vt rigidè puniat Priores horum Conuentuum, quos in regulari diſciplina promouenda inuenerit negligentes, & remiſſos, in quibus Conuentibus nullus Frater aſſignetur, neque detineatur inuitus, niſi aliquis in pœnam.*

34 Ex Romani Capituli 1644. decreto biennales ſint Prouinciales, & Priores. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt impoſterum omnes Priores ſint biennales iuxta antiquum morem, & conſuetudinem dictæ Prouinciæ: idem etiam dicimus de Prouincialibus.*

35 Vt Formales Studentes Licienſis Conuentus à moderatoribus Generalis Studij Andrienſis tantum examinandi eſſent, mandatum fuerat Romæ 1644. Verumtamen in eodem Licienſi Conuentu ſtabilitum eſt poſtea Gener. Prouinciæ Studium ex moderni Generalis Magiſtri decreto, vt ſupra diximus, vnde tales ordinationis verba hic non recenſemus.

PRO PROVINCIA CALABRIAE.

XXV.

PRæſtantiſſima eſt inter cæteras Ordinis Calabriæ Prouincia ob pretioſum S. P. N. Dominici à B. Virgine de Cœlis delatæ Sacræ Imaginis teſaurum, quod in Conuentu de Suriano ſumma veneratione, confluentibus eo votis, ac deuotionis cauſa ob innumera quæ patrantur miracula ex omnibus Europæ partibus Fidelibus, aſſeruatur. Regni Prouinciæ nobile germen exiſtit, à qua auulſa, atque in peculiarem Congregationem aliquando erecta, in Generali Capitulo Romano MDXXX. fuit in Prouinciam erecta in cuius Actis acceptat. 7. ita dicitur. *Item acceptamus Congregationem Calabriæ in Prouinciam, volentes ipſam gaudere, & potiri omnibus gratijs, priuilegijs & indultis, quibus gaudent, & potiuntur reliquæ Prouinciæ in Ordine noſtro: nihilominus volentes quod Vicarius modernus ſub nomine Vicarij remaneat per duos annos cum auctoritate, quam habent Prouinciales in Prouincijs ſuis, tam de iure, quam de conſuetudine: his autem duobus annis elapſis eligatur Prouincialis in loco Vicarij.* Et in ſubſequenti Romano Capitulo MDXXXII. denunciat. 4. ita habetur. *Item* (ſcil. denunciamus) *Congregationem olim Calabriæ auctoritate Capituli præcedentis translatam etiam in Prouinciam Calabriæ nominatam, cuius primum Prouincialem instituit Reuerendiſſimus Generalis F. Auguſtinum de Neocaſtro, cuius Prouincialatum, & eorum, qui pro tempore erunt, ad petitionem Prouinciæ durare volumus ſine augumento contributionis Generalis, ſed tantum Procuratori Ord. annuatim ducatos duos de Camera contribuant.* P. F. Michael Piò de Viris Illuſt. Ord. noſtri p. 2. quem P. F. Theodorus Vallus in Hiſt. de Prouincia noſtra Regni ſequitur, aſſerunt hanc Prouinciam circa annum Dom. 1445. à Prouincia Regni fuiſſe diuiſam, atque in peculiarem Congregationem ſub immediato proprii Vicarij regimine, qui, ſolum Magiſtrum [illegible] in Superiorem venerabatur, inſtitu[illegible]ius veritatis teſtimonium extat in Regeſtis P. F. Leonardi de Perufio in hunc modum. *Die 5. Iunij* 1474. *F. Michael Calamarus fuit inſtitutus Vicarius Nationis Calabriæ vſque ad futuram electionem noui Vicarij Generalis, quem ipſe poſſit confirmare: ſi verò ipſemet eligatur, ipſo facto ſit confirmatus.* Et in eodem Regeſto ita paulo inferius ſubditur. *Die 6. Iunij* 1474. *F. Michael Calamatus de Neapoli Vicarius Generalis Congregationis Calabriæ habuit licentiam reformandi Conuentum Caſtri Placanicæ ad inſtantiam Illuſtriſſimi Henrici filij Regis Ferdinandi; & ſic vnitus fuit dictus Conuentus officio dicti F. Michaelis.* Ex quibus colligitur dictam Congregationem Calabriæ fuiſſe Congregationem obſeruantem, & reformatam.

Præfatæ tamen Congregationis nulla in Generalium Capitulorum Actis mentio ante Romanum Capitulum 1525. reperitur, in quo cum inſtitutum fuiſſet Generale Studium in Conuentu Barulitano Prouinciæ Apuliæ, idem quoque pro hac Congregatione fuit in Cuſentino Conueutu ita fundatum. *Item ordinamus & inſtituimus aliud Studium Generale in Conuentu Coſentino Congregationis Calabriæ cum gratijs, & priuilegijs.*

Pro regularis igitur obſeruantiæ augumento ſequentia fuere in Generalibus Capitulis pro hac Prouincia ſancita.

1 Prioratus titulus à Conueutu S. Mariæ Salutis de Neapoli, qui eidem Romæ 1644. fuerat conceſſus, fuit ſublatus, mandatumque P. Prouinciali pro tempore, vt de Vicario eidem prouideat, Romæ 1650. *Ob cauſas admodum vrgentes, & maturrime ponderatas ſubtrahimus Conuentui Neapolitano S. Mariæ Salutis huic Prouinciæ ſubiecto titulum Prioratus, & Conuentui, ipſumque reducimus in ſuum ſtatum anteriorem: Mandantes Ad. R. P. Prouinciali quatenus ex nunc incipiat dicto loco prouidere de Vicario.*

2 Fratres cuiuſcunque ſint conditionis non permaneant in ſupradicto Conuentu vltra biennium, Romæ 1650. *Item ſtatuimus, & declaramus quod Fratres huius Prouinciæ, cuiuſcunque fuerint qualitatis, ex nunc deinceps non poſſint, nec debeant vltra biennium in dicto loco perpermanere, niſi ex cauſa valde rationabili per ipſum Reuerendiſſ. Magiſtrum Ord. diſcutienda, & approbanda; idque PP. Prouinciales huius Prouinciæ pro tempore ſub pœna abſolutionis ab officijs teneantur obſeruare, & obſeruari faciant, compellendo refractarios omnibus facti, & iuris remedijs opportunis.*

3 Nullus ſub grauioris culpæ pœna ad hanc Prouinciam pertinens, Neapolim petat abſque expreſſa P. Prouincialis licentia. Romę

mæ 1650. *Mandamus etiam omnibus dictæ Prouinciæ Fratribus, cuiuſcunque ſint conditionis, aut gradus, ſub pœna grauioris culpæ, ne ſub quocunque prætextu audeant adire Neapolim ſine cauſa rationabili per ipſum P. Prouincialem in ſcriptis approbanda; aliter venientes in carceribus recipiantur, & ad dictam pœnam per ſententiam condemnentur.*

4 In eodem Conuentu S. Mariæ Salutis ſit idoneus P. Procurator pro negotijs huius Prouinciæ pertractandis à Prouinciali inſtitutus. Romæ 1650. *Inſuper iniungimus A.R.P. Prouinciali, vt in prænominato loco noſtro S. Mariæ Salutis inſtituat idoneum Procuratorem, cui debent committi omnes lites, ac negotia, tum Fratrum, tum Prouinciæ in externis Tribunalibus ibidem pertractanda.*

5 Caſale Græcorum Conuentus Altimontis cuique in emphiteuſim abſque Prouincialis Capituli conſenſu non concedatur. Romę 1650. *Volumus, ac determinamus quod Caſale Græcorum de iuriſdictione noſtri Conuentus Altimontis nulla ratione alienari, aut in emphyteuſim concedi poſſit, niſi præter conſenſum Sedis Apoſtolicæ ex more, ac lege communi neceſſarium, accedat etiam conſenſus Capituli Prouincialis; ſecus huiuſmodi contractus ſit irritus, ac inanis.* Idem quoque fuerat ſancitum Valentię 1647.

6 Neapolitano Conuentui Salutis nullus poteſt affiliari. Valentię 1647. *Ordinamus, vt impoſterum nullus affiliari poſſit Conuentui Salutis Ciuitatis Neapolis.* Antea verò Romę 1644. ita hoc idem vetitum fuerat. *Ordinamus, vt pro eodem Conuentu S. Mariæ Salutis nullo modo fiant affiliationes Fratrum ſub pœna abſolutionis ab officio Prouinciali, & priuationis vtriuſque vocis alijs Fratribus; & ſi fiant, nullæ ſint, & inualidæ.*

7 Nullus Conuerſorum ad profeſſionem recipiatur, niſi prius per ſex annos in Tertiarij habitu fuerit. Valentię 1647. *Ordinamus, vt impoſterum nullus Conuerſus admittatur ad profeſſionem, niſi prius per ſex annos à 16. ætatis anno computandos in aliquo Conuentu in habitu Tertiarij vixerit; & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.* Idem mandatum fuerat Romę 1644. abſolutionis pœna ab officijs Prouincialibus impoſita. *Ordinamus, & ſub pœna abſolutionis ab officio A.R.P. Prouinciali pro tempore mandamus, ne Tertiarios ad habitum Conuerſorum recipiat, niſi poſt ſex annos, à receptione tunicæ.*

8 Ciues Terræ S. Dominici de Suriano eiuſdem Conuentus nomine poſſunt ad habitum Ord. recipi. Valentiæ 1647. *Concedimus vt qualibet alia ordinatione non obſtante ciues Terræ S. Dominici de Suriano nomine Conuentus Suriani ad habitum clericorum, ſeu conuerſorum recipi poſſint.* Oppoſitum autem mandatum fuerat Romæ 1629.

9 Studentes Formales Cuſentini Studij ſint tantum decem. Romæ 1644. *Ordinamus, vt in Studio Generali Cuſentino Studentes Formales eiuſdem Prouinciæ non augeantur vltra numerum denarium; & ſi ſecus fiat, totum ſit irritum, & inane.*

10 Lectores Theologię in Conuentu S. Dominici de Suriano lectura pro forma, & gradu Magiſterij non gaudeant. Romæ 1644. *Declaramus, vt impoſterum Lectores actuales Theologiæ Conuentus Suriani nullo modo pro gradu, & forma Magiſterij gaudeant: remouentes ab eodem omnia præterita priuilegia.*

11 Graduatorum numerus fuerat Romæ 1546. ord. 15. ita inſtitutus in hac Prouincia, vt Magiſtri eſſent XII. nulla facta mentione de Baccalaureis, & Prædicat. General. deinde ibidem 1583. ord. 16. atque iterum ibidem 1589. conſt. 29. fuit ſtabilitum, vt Magiſtri eſſent XX. Baccalaurei VI. & Prædicatores Generales VI. vt diximus ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26. poſtea tamen Valliſoleti 1605. conceſſum illi fuit in conceſſ. 11. vt Baccalaurei eſſent X. *Concedimus Prouinciæ Calabriæ, vt numerus Baccalaureorum ſit denarius.* & Romæ 1629. Magiſtrorum numerus ad XXV. fuit auctus. *Augemus in hac Prouincia numerum Magiſtrorum vſque ad viginti quinque, quo maior eſſe nequeat.* Romæ tandem 1644. fuit ad numerum XXX. extenſus. *Ordinamus vt in dicta Prouincia non poſſit augeri Magiſtrorum numerus vltra numerum trigeſimum.*

12 Conuentus S. Dominici de Suriano fuit ad inſtantiam Magiſtri Ord. P.F. Nicolai Rodulphij pro ſtrictiori obſeruantia deſtinatus Romæ 1629. *Ordinamus, ac deſignamus Conuentum S. Dominici de Suriano pro ſtrictiori obſeruantia iuxta Gloſſ. Conſtit. diſt. 2. cap. 2. in fine, & educatione Nouitiorum dictę Prouinciæ. Quapropter à dicto Conuentu auferimus Studium Generale* (quod ibidem in Cap. Generali Mediolanen. 1622. fuerat inſtitutum) *& ad Conuentum Neocaſtrenſem cum ſenario numero Studentium Formalium transferimus. Volumus autem, & ſtatuimus vt Moderatores pro gradu, & forma Magiſterij in dicto Studio legant.*

13 Domus Sanctiſſimi Roſarij Paulæ fuit huic Prouinciæ adiudicata Romę 1629. *Ordinamus, & mandamus P. Prouinciali Aprutino, Fratribuſque in loco noſtro Paulæ exiſtentibus, vt quamprimum locum Sanctiſſ. Roſarij dictæ Ciuitatis, huius Prouinciæ expenſis fundatum, reſtituant; ſicut de facto præſtito iam in præſenti Diffinitorio aſſenſu P. Prouincialis Aprutini, præfatum locum SS. Roſarij Paulæ præſenti decreto huic Prouinciæ reſtituimus.*

14 Ordinationes factæ pro hac Prouincia à Card. de Araceli P.F. Auguſtino Galamino, dum Magiſtri Ord. onus ſubiret, fuere in Generali Capitulo Mediolanen. 1622. confirmatę.

Con-

Confirmamus ordinationes factas ab Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D.D.Card.de Aracœli in viſitatione huius Prouinciæ cum Generalis officio fungeretur. Vide infra num.17.

15 Prouinciale Capitulum Dominica *Deus, qui errantibus* celebretur. Bononię 1615. *Quoniam ad itinera hyeme in Calabria conficienda, ob frequentes fluuiorum inundationes, pro Capituli Prouincialis celebratione non modica eſt Fratribus difficultas, ideo concedimus eidem Prouincię, vt Dominica* Deus qui errantibus *illud celebrare poſſit.*

16 Prouincialium, & Diffinitorum electiones alternatiuè fiant, ita vt vna vice ex Superiori, altera verò ex inferiori Calabria eligantur. Romę 1589. ord. 18. *Ordinamus pro noſtra Prouincia Calabriæ, eius petitionibus annuentes, vt quemadmodum Priores Prouinciales altera vice ex Superiori Calabria, altera ex Inferiori eligi ſolent, idem etiam obſeruetur in electione Diffinitoris Capituli Generalis.* Quod ita fuit confirmatum Romę 1612. *Concedimus pro pace, & vnione ſeruanda inter Patres vtriuſque Calabriæ, vt ſeruetur alternatiua, tam in electione Prouincialium, quam Diffinitorum mittendorum ad Capitulum Generale, ſicuti ordinatum fuit in Capitulo Romæ celebrato anno 1589. quæ alternatiua ſeruetur non ſolum quando Diffinitor eligitur per Capitulum Prouinciale, ſed quomodocumque contingat mitti Diffinitorem ad Capitulum Generale ſiuè ex vi noſtrarum Conſtitutionum, ſiuè per electionem, ſiue ex quacumque alia cauſa; hoc modo; videlicet, quod ſi in vno Capitulo Generali diffinierit Diffinitor ex Prouincia Superioris Calabriæ, in Capitulo Generali immediatè ſequenti diffiniat Diffinitor ex Prouincia Inferioris Calabriæ, & è conuerſo.*

17 Ordinationes à Magiſtro Ord. P.F. Auguſtino Galamino circa Nouitios factę, fuere Romę 1612. approbatę conceſſa huic Prouincię facultate duos Nouitiatus inſtituendi: *Concedimus eidem Prouinciæ, vt poſſit eligere duos Nouitiatus pro recipiendis, & alendis Nouitijs puris, vnum quidem in Conuentu Coſentino, alterum verò in Conuentu S. Gregorij, in quorum erectione ſeruentur ordinationes præſcriptæ ab Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Card. de Aracœli tunc Magiſtro Generali Ord. in viſitatione eiuſdem Prouinciæ, quas, & alias omnes ordinationes ab eodem Illuſtriſſ. et Reuerendiſſ. tunc Magiſtro Ord. in eadem viſitatione pro bono regimine eiuſdem Prouinciæ vtriuſque Calabriæ factas, confirmamus, ac inuiolabiliter obſeruari præcipimus, tam à R.P. Prouinciali, ſeu Pręſidente Prouinciæ pro tempore, & à Prioribus, vel Præſidentibus Conuentuum pro tempore, ſub pœna abſolutionis ab eorum officijs ipſo facto incurrenda, quam reliquis Fratribus Prouinciæ, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque.*

18 Lectores in Priores, ſeu Conuentuum Pręſidentes nō eligi debent niſi per triennium Lectoratus officium cōpleuerint. Romę 1612. *Ordinamus, vt Lectores non poſſint eligi in Priores, nec inſtitui Vicarij locorum, niſi per triennium adminus officium Lectoris actu laudabiliter functi fuerint.*

19 Baccalaurei tenentur actu legere vſque ad ſuſceptionem Magiſterij. Ita ſubditur in eadem ordinatione ſupradicti Capituli Romani 1612. *Et volumus, quòd Baccalaurei teneantur actu legere vſque ad ſuſceptionem gradus Magiſterij, niſi legitimè impediti fuerint.* Venetijs autem 1592. mandatum antea fuerat vt Baccalaurei ad Magiſterium promouendi tenerentur per biennium in Cuſentino Studio legere. Ita enim ordinat. 32. habetur. *Ordinamus in Prouincia Calabrię quod Baccalaureus, qui promouendus erit ad Magiſterium, legiſſe teneatur in Studio Coſentino per biennium; quod ſi non fecerit, nullo modo admittatur.*

PRO PROVINCIA S. CRVCIS INDIARVM.

XXVI.

BEnedictus Deus, & Pater Dom. noſtri Ieſu Chriſti Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: Nam cum perfidus Lutherus impię ſuę Doctrinę virus effundens Ordinem noſtrum vna cum catholica fide ex Septentionalibus partibus eliminaſſet, Prouinciaſque in illis exiſtentes euertiſſet, in Indijs eodem tempore ipſa catholica fides fuit ſtabita, pluresque Prouincię in Ordine noſtro institutę.

Inter has ergò primum conſequitur locum Prouincia S. Crucis, quę in Generalibus Comitijs Romę ann. M.DXXX. habitis, prout acceptat. 8. dicitur, fuit in hunc modum inſtituta. *Item acceptamus Conuentus nouos iam*

con-

conſtructos, & impoſterum conſtituendos in Inſulis Occidentalibus repertis ab anno Domini M.CCCC.LXXXXII. & in noua Hiſpania, & terra firma nouiter inuenta pro Prouincia ſub nomine S.Crucis: Declarantes huiuſmodi Conuentus eſſe ſeparatos à Prouincia Bethicæ, & poſſe eligere vnum Prouincialem, qui dumtaxat per quadriennium duret, & completo quadriennio non poſſit immediatè reeligi; & dum electus fuerit, completo capitulo culparum, per Prouincialem antiquum volumus ipſum eſſe confirmatum: Nihilominus inſtituentes pro iſto futuro quadriennio proximo authoritate noſtra in Prouincialem dictæ Prouinciæ R.P.F.Thomã de Barlanga cum authoritate quam habent Prouinciales in ſuis Prouincijs ſecundum tenorem noſtrarum Conſtitutionum, volentes ipſam Prouinciam gaudere, & potiri omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus gaudent, & potiuntur aliæ Prouinciæ in Ordine noſtro. Et in ſequenti Capitulo Romę pariter ann. 1532. celebrato acceptat. r iterum fuit eadem Prouincia ita acceptata. *Acceptamus Prouinciam S.Crucis de Inſulis, ſeu de Terra Noua in Capitulo præcedenti inſtitutam.*

Cum verò in illis partibus, fauente Deo bonorum omnium largitore, multiplicarentur in dies Conuentus, Patres noſtri in Generali Capitulo Salmanticę ann. 1551. congregato nouas alias Prouincias, conſtitutis vnicuique proprijs terminis, inſtituere. Ita enim in eiuſdem Capituli Actis acceptat. 2. dicitur. *Item acceptamus noſtras nouas Prouincias Indiarum: Videlicet S.Crucis in Inſula Hiſpaniola, S.Iacobi de Mexico, & S.Io: Baptiſtæ del Perù, & propter earum magnitudinem eas iterum diuidendas, & ſecundum petitionem Conſilij Regij, & earundem Prouinciarum oportunitatem iuxta Audientias Regias terminandas cenſuimus, & ita diuidimus, & terminamus.*

Prouincia S.Crucis habeat Inſulam Hiſpaniolam cum adiacentibus Inſulis, videlicet de Cuba, S.Ioannis, Portus Diuitis, & Iamayca.

Prouincia S.Iacobi habeat Nouam Hiſpaniam à terra Tequantepeque excluſiuè vſque ad Floridam.

Aliam Prouinciam ibidem de nouo erigimus à Tequantepeque incluſiuè vſque ad Oppidum de Nata Hiſpanorum per litus Antarticum. Item à litore Artico ad Oppidum de Guazaqualco incluſiuè, ita quod contineat quatuor Epiſcopatus, videlicet, de Chiappa, Guatimala, Nicaraſgua, Honduras, & appelletur Prouincia S.Vincentij de Chiappa, quam cum alijs recipimus cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus Prouincia S. Iacobi potitur, nec non, & aliæ Prouinciæ noſtri Ord. dantes ſibi pro hac prima vice in Prouincialem per quatuor annos F. Thomam de Turre; & in Terra Veræ Pacis mandamus conſtrui Conuentum ſub nomine B. Dominici Patris N. cui pro prima vice præficimus in Priorem F. Petrum de Angulo.

Prouinciam S.Io: Baptiſtæ terminamus à portu Nominis Dei incluſiuè, & vltra quouſque terminetur, quam diuidentes, aliam Prouinciam erigendam decernimus ſub nomine S. Antonini de Nouo Regno, cui aſſignamus nouum Regnum de Granata, & Regnum de Popayan vſque ad Prouinciam de Quito excluſiuè, & per terram interiorem quouſque terminetur per litus verò maris ab oppido de Acla cum Prouincia Cartagenæ, & S.Marthæ, & Promontorij de la Acla, & Venezuela, Cumana, cum Inſula de Cubagua, & cæterum litus, quouſque terminetur. Quia tamen pro nunc ſufficientem numerum Fratrum, & Conuentuum non habet; Volumus, vt ſub titulo Congregationis ſub Prouincia ſupradicta S.Io: Baptiſtæ per Vicarium gubernanda remaneat, quouſque melius coaleſcat, & noſtro Reuerendiſs. P. Generali aliter videatur, cui nunc damus in Vicarium F. Petrum Miranda, aſſignantes in ea F. Ioſeph de Robles cum omnibus Fratribus, qui in ea ſunt, & qui cum eo deputati fuerant pro Proaincia del Rio della Plata.

Quibus Prouincijs propter maximam ab Orbe noſtro diſtantiam concedimus quod ſtare poſſint Conſtitutionibus, & ordinationibus Capitulorum Generalium antiquis vſque ad annum 1505. neque ad nouas teneantur, niſi quatenus eis innotuerit. Supradictas autem quatuor Prouincias erectas, & conſtitutas mandamus in noſtris Conſtitutionibus, poſt Prouincias S.Thomę, & Calabrię ſub titulis, & nominibus aduotari.

Pro fœlici igitur huius Prouincię conſeruatione ſequentia in Generalibus Capitulis fuere ſancita.

1 In Conuentu S. Thomę de Puertorico fuit Generale Studium huius Prouincię erectum, Valentię 1647. *Erigimus Conuentum S.Thomæ Aquinatis de Puertorico in Studium Generale huius Prouinciæ; volentes quòd Lectores ibi legentes legant pro forma, & gradu Magiſterij; & confirmamus conceſſionem eidem Conuentui factam in Capitplo Generaliſſimo Romæ 1644. vt ſcilicet in eo poſſint recipi ad habitum, & profeſſionem Nouitij, & ibi educari.* Pręfati autem Capituli 1644. conceſſio talis eſt. *Confirmamus, & approbamus erectionem factam* (ſcilicet in Capit. Prouinciali huius Prou. ann. 1642. prout in antecedentibus aſſeritur) *in domum Nouitiorum Conuentus S.Thomæ Aquinatis de Puertorico, vt in eo poſſint educari Nouitij recepti ad habitum, & ſolemnem emittere profeſſionem.* In eodem quoque Capitulo Gener. 1644. omnia Acta Capituli Prouincialis anno 1642. in hac Prouincia celebrati, fuere ita confirmata. *Item denunciamus Acta Capituli Prouincialis huius Prouinciæ celebrati anno Domini 1642. fuiſſe viſa, & examinata, & quantum ad omnia in illis contenta, tam*

quo-

Digitized by Google

quoad inſtitutiones, quam quoad ordinationes confirmata.

2 Fratres huius Prouinciæ ſtudiorum cauſa in Hiſpaniam miſſi, à contributionibus perſoluendis fuere exempti Vlyſſiponæ 1618. *Attenta Prouinciæ huius paupertate, ad ipſius petitionem concedimus quod eius Fratres ad Prouincias Hiſpaniarum cum licentia Reuerendiſs. Magiſtri Ord. Studij cauſa tranſmeantes, nullas ſoluere teneantur contributiones Conuentibus, ſeu Studijs, in quibus erunt aſſignati.*

3 Fratres ad Ciuitatem Abana declinantes in Conuentu commorentur. Vlyſſiponæ 1618. *Mandamus omnibus, & ſingulis Patribus, Fratribus ad Ciuitatem Abana declinantibus ne vllo modo extra Conuentum noſtrum pernoctent, aliter à Præſidente dicti Conuentus ſeuerè puniantur.*

4 Magiſtrorum numerus, binarius; Baccalaureorum, quaternarius; Prædicatorum verò Generalium iuxta Conuentuum numerum fuit Romæ 1601. in hunc modum determinatus in conceſs. 17. *Concedimus Prouinciæ S. Crucis, & concedendo præfigimus numerum graduatorum in illa Prouincia, qui ſit Magiſtrorum, binarius, & Præſentatorum quaternarius; Prædicatorum autem Generalium, iuxta numerum Conuentuum.*

5 Nulla in Monialem recipiatur niſi mille aureorum adminus dotale ſubſidium ſecum ad Monaſterium deferat. Romæ 1601. ord. 42. *Ordinamus in Prouincia S. Crucis, vt nulla ratione recipi poſſint Moniales, quæ ad ſuum victum, & alia neceſſaria in dotem, ſeu eleemoſynam dotalem non afferant adminus mille aureos.*

PRO PROVINCIA HIBERNIAE. XXVII.

AB ipſius Ordinis noſtri incunabulis in Hiberniȩ Regnum properaſſe Fratres, ex lib. 2. de Vitis Fratrum à B. Vmberto conſcripto manifeſtè habetur, prout in Ordinis Annalibus refert Maluenda noſter. Fuiſſe verò primum ibidem Priorem inſtitutum F. Reginaldum, qui miraculo de panibus, à B. P. N. in S. Nicolai Bononienſi Cõuentu patratrato ad fuit, ex eorundem Auctorum teſtimonio manifeſtè conſtat. Plura in eodem Regno fundauit Reginaldus Cœnobia, & inter cœtera Dirrenſe in Vltonia, à Principe Odonel ex Regio ſanguine, cui S. Pater Dominicus data epiſtola Ordinem ſuum commendauerat, magnificè conſtructum.

Sub Angliȩ Prouincia permanſere diu Hiberniæ Conuentus, quibus Nationalis Vicarius (vt ſupra Pro Prouincia Scotiȩ retulimus) præficiebatur. Tandem in peculiarem fuere Prouinciam aliquando erecti, prout ex Magiſtrorum Ordinis Regeſtis manifeſtè colligitur, quorum vnum, vel alterum teſtimonium hic referemus.

Primum Regeſtum P. F. Ioachini Turriani ita exordium ſumit. *Regiſtrum litterarum Reuerendiſs. Magiſtri Ord. Prædicatorum videl. Magiſtri Ioakini Turriani Veneti, Theologi Sapientiſſimi, qui Venetijs in Conuentu SS. Io: & Pauli vnanimiter ab omnibus Electoribus per viam ſcrutinij electus fuit in Vigilia Pentecoſtes die ſcil. 2. Menſis Iunij MCCCCLXXXVII.*

Ordo & numerus Prouinciarum ſecundum curſum Regiſtri, & litteras Alfabeti, ſub quibus litteræ in Regiſtro ſignantur, & quoto quæque Prouincia ſignetur folio, videlicet.

1 *A Hiſpania. fol. 2.*
2 *B Tholoſa. fol. 10.*
3 *C Francia. fol. 22.*
4 *D S. Dominici. fol. 46.*
5 *E Romana. fol. 72.*
6 *F Regnum Siciliæ. fol. 94.*
7 *G Theutonia. fol. 114.*
8 *H Trinacria. fol. 135.*
9 *I Vngaria. fol. 155.*
10 *K Polonia. fol. 167.*
11 *L Anglia. fol. 177.*
12 *M Græcia. fol. 189.*
13 *N Aragonia. fol. 194.*
14 *O Datia. fol. 210.*
15 *P Prouincia. fol. 220.*
16 *Q Terra Sancta. fol. 230.*
17 *R Lombardia Superior. fol. 233.*
18 *S Bohemia. fol. 268.*
19 *T Dalmatia. fol. 276.*
20 *V Saxonia. fol. 286.*
21 *X Portugallia. fol. 300.*
22 *Y Scotia. fol. 302.*
23 *Z Hibernia. fol. 303.*

In citato autem fol. 303. in initio ita habetur.

Digitized by Google

B Hibernia.

Vbi inter multa alia ad hanc Prouinciam ſpectantia, ita ſubditur. *F. Mauritius Prior Prouincialis obtinuit licentiam reformandi Conuentus B. Mariæ de Ponte, Bannia, Corkagiæ, & quoſcunque duxerit reformandos in præfata Prouincia. Mediolani die* 10. *Nouemb.* 1484. Et ibidem ita ſubditur. *Conceditur Magiſtro Mauritio Prouinciali quod poſſit diſpenſare omnia bona ſua in Ordine, & quod poſſit equitare cum ſocio, vel ſine ſocio. Die vt ſup.*

Quomodo autem, & à quo, fuerit in Prouinciam tunc inſtituta, nullibi inuenimus: Hoc vnum indubitatum habentes præfatam inſtitutionem non fuiſſe in Ordine acceptatam, imò neque à Prouincia Angliæ approbatam, prout ex ſequentibus, Regeſti primi, Magiſtri Ord. P. F. Thomæ de Vio memorijs colligitur. *Tribus ſe gerentibus pro Vicarijs in Hibernia; vnus ſuper tres Conuentus Reformatos, alius ſuper totam Nationem ex inſtitutione Magiſtri Vincentij* (ſcil. Bandelli ad Ordinis regimen poſt Ioachinum Turrianum aſſumpti) *tertius dictus ſit Vicarius Prouincialis Angliæ; mandatur vt ſinguli ſcribant inſtitutionem, & auctoritatem ſuam, à quo, ſuper quot Conuentus, cum quibus exemptionibus, quem Superiorem recognoſcant, cui contributiones ſoluant; litteras ſuæ inſtitutionis, vel eorum copias autenticas mittant. In contrarium, &c. vt poſſit prouideri illi Inſulæ* 4. *Nouemb. an.* 1509. *Lucæ.* Et ibidem immediatè quoque ſubditur. *Omnibus Præſidentibus Conuentuum prædictæ Nationis, cuicumque Vicario ſubijciantur, mandatur ſub pœna abſolutionis, vt in manus Magiſtri Simonis Lacy Vicarij Prouincialis Angliæ ſuper Hibernia, ſoluant ſinguli pro rata ſua contributionem debitam Magiſtro Generali, vt ei quoad totum de* 114. *ducatis ſatisfiat. In contrarium, &c. Die* 14.

Vt autem regularis obſeruantia in huius Nationis Conuentibus repararetur, indixit Magiſter Ord. Ioachinus Turrianus, quod munus Magiſtro Mauritio (prout in eiuſdem Regeſtis continetur) ita demandauit. *Approbatur reformatio Conuentus Ioachia per Magiſtrum Bartholomæum facta: & Vicarius Generalis Prouinciæ Magiſter Mauritius poteſt reformare quoſcumque alios Conuentus, quos cognouerit eſſe reformandos, eo quod fertur quod omnes Conuentus ſunt Fratribus natiuis, & alijs expoliati, & corrupti malis moribus; ita tamen quod illi Fratres illorum Conuentuum, quos voluerit reformare, ſi voluerint in reformatione perſeuerare, debeant illos retinere, &c. Dat. Romæ* 7. *Auguſti* 1493.

Multiplicatis autem obſeruantiæ Conuentibus, particularis quædam Vitæ Regularis Congregatio in eadem coaluit, quæ in Generali Capitulo Romæ MDXVIII. congregato in hunc modum fuit acceptat. vltima approbata. *Item acceptamus, & approbamus Congregationem Vitæ Regularis factam in Natione Hiberniæ, cum gratijs, & priuilegijs ei per bon. mem. Mag. Vincentium Bandellum Generalē Magiſtrum Ord. in fauorem vitæ Regularis conceſſis. Hoc adijcientes quod Priores Conuentuales durent in officijs ſuis ſecundum tenorem Conſtitutionum noſtrarum. Vicarius autem illius Congregationis finito triennio ſui officij ſit abſolutus à ſuo officio; poſſit tamen reelegi, & confirmari.*

Fuit verò poſtea præfata Congregatio à Paulo Papa III. ann. MDXXXVI. in peculiarem Prouinciam inſtituta. Ita enim in Actis Generalis Capituli Romani an. 1558. in conf. 14. habetur. *Confirmamus determinationem factam circa Ordinem Prouinciarum, hoc addito quòd reſtituimus Prouinciæ Dalmatiæ locum ſibi in præcedenti Capitulo præreptum à Prouincia Trinacriæ, abſque præiudicio iurium eiuſdem Prouinciæ Trinacriæ, & recenſemus Prouinciam Hiberniæ anno* 1536. *à Paulo Papa III. ſeparatam, & erectam, & à Magiſtro Ord. acceptatam, damuſque ei locum inter cæteras.* Stante tamen præfata Apoſtolica inſtitutione, atque dicti Generalis Capituli decreto, nunquam in Ordine noſtro fuit hæc Prouincia locum, vocem, cæteraque Prouinciæ iura conſecuta, prout in Comitiorum Generalium Actis apparet in quibus neque Prouinciales, neque Diffinitores illius nominantur, neque Prouinciæ nomen eidem vnquam attributum conſpicitur ante Mediolanenſe Capitulum ann. 1622. celebratum. Tantæ nouitatis cauſa in eorundem Capitulorum Actis non eluceſcit. In prædicto autem Mediolanenſi Capitulo Prouinciæ titulus, & iura fuere eidem in hunc modum reſtituta. *Reſtituimus noſtræ Congregationi Hiberniæ nomen, & titulum Prouinciæ, damuſque ei Prouincialem R. Præſentatum F. Rochum de Cruce.*

Pro regulari igitur obſeruantia in hac Prouincia conſeruanda, ſequentia fuere in Generalibus Capitulis mandata.

1 Huius Prouinciæ Fratres in alijs Prouincijs charitatiuè recipiantur, & Iuuenes in Generalibus Studijs occupentur. Romæ 1650. *Cum in hac Prouincia per has temporum calamitates vix vlla poſſint vigere ſtudia litterarum; ideo ne ex hoc paulatim ei deficiant Miniſtri Euangelij, diſtrictè mandamus, inque meritum S. Obedientiæ iniungimus reliquarum Prouinciarum Ad. RR. PP. Prouincialibus, vt Fratres huius afflictæ Prouinciæ vbique peculiari charitate, ac promptitudine ſuſcipiant, foueant, & in ſuis Studijs Generalibus iuxta locorū vacationem, ſaltim vnum, alterumuè accepteant, & habeant. Inſuper quoque, vbi poſſunt, ſatagant adiuuare Nationem pro acquirendis, & inſtruendis Seminarijs, ſicubi Deus adhoc fundatorem, aut benefactores excitarit.*

2 Etiam ſi debitus Fratrum numerus in Conuentibus non habeatur, Priores omnes

O voce

voce gaudeant, & cæteris priuilegiſs, ac ſi illos alerent. Romę 1650. *Declaramus quod cum hęc Prouincia nunc quam maximè bellorum cladibus, & graui perſecutioni Acatholicum miſerrimè ſit implicita, non debeant eidem obeſſe ſtatuta poſtremi Capituli Valentini in hoc quominus in illa Priores Conuentuales, qui requiſitum numerum Fratrum non alunt, equidem gaudeant iuribus, voce, ac priuilegijs ſuis, ac ſi integrè dictum numerum ſuſtentarent.* Quid autem in prędicto Capitulo circa hoc fuerit ordinatum, vide in prima par. de Elect. Prior. Prouinc. num. 5. 18. & 21.

3 Vt in Louanienſi huius Prouincię Collegio ſcholaſtici actus pro gradu, & forma fiant, conceſſum illi fuit Romę 1650. *Concedimus quòd in eiuſdem Prouincia Louanienſi Collegio fiant actus, & exercitia ſcholaſtica pro gradu, & forma, pro vt Collegio Vlyſſiponenſi ann. 1644. conceſſit Capitulum Generaliſſimum. Porro vtrumque hoc Collegium, videlicet Vlyſſiponenſe, & Louanienſe vna cum Monaſterio Monialium Vlyſſiponæ fundatum pro Natione Hibernica ob cauſas benè nobis viſas eximimus à iuriſdictione P. Prouincialis Hiberniæ pro tempore, ſubijcientes ea immediatè officio, ac regimini Reuerendiſs. Magiſtri Ord. in ſpiritualibus, & temporalibus.* In pręfato autem Generaliſſimo Capitulo Romano 1644. de Vlyſſiponenſi Collegio ita fuerat decretum. *Acceptamus nomine eius Prouinciæ Collegium, ſeu Conuentum Fratrum, & Manaſterium Monialium pro Natione Hibernica Vlyſſiponæ fundatum ſub cura, & regimine R. Ad. P. Prouincialis Hiberniæ pro tempore, & concedimus, vt in eodem Collegio fiant actus, & exercitia pro gradu, & forma.*

4 Omnes huius Prouincię Conuentus ſub P. Prouincialis regimine ſubſint; neque eiuſdem diuiſionem quamcumque aliquis attentare audeat. Romę 1644. *Ad ſtabiliendam perpetuis futuris temporibus eam, qua Dei benignitate in præſentiarum Prouincia hæc fruitur vnitate, ac charitate, ordinamus quod omnes Conuentus eius ſubſint Prouinciali illius pro tempore, ac in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ ſub formali præcepto inhibemus, ne de cætero Frater aliquis cuiuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat, diuiſionem eius, aut exemptionem alicuius Conuentus à regimine Prouincialis, aut erectionem Congregationis vllo modo procurare audeat, etiam prętextu cuiuſuis diuiſionis, aut exemptionis antea factę, quam, ſi quę talis fuerit, præſenti decreto omnino abolemus.*

5 Prouinciales pro tempore poſſunt reuocare quoſcumque Fratres huius Prouincię ad illam, ſi extra exiſtant, etiam cenſuris, & pręceptis adhibitis. Romę 1644. *Vt autem de numero competentiŋs,* (ſcilicet Conuentibus Fratribus, & Prioribus deſtitutis) *ac alijs Conuentibus, quantum fieri poſſit, prouideatur, concedimus, vt Prouincialis pro tempore reuocare valeat omnes Fratres Hibernos vbiuis exiſtentes, ac vt in hanc Prouinciam redeant, per præcepta, & cenſuras, ſi neceſſe fuerit, compellere.*

7 In Prouincialibus Capitulis pro electione Prouincialis congregatis, Diffinitores, eorumque Socij pro futuro Generali Capitulo eligi debent, Romę 1644. *Ad euitandos magnos ſumptus, & ob magnam congregandi Fratres ex omnibus Regni partibus difficultatem, concedimus, vt poſſint in Capitulo Prouinciali electionis Prouincialis prouidè electionē facere, tam Diffinitorum, quam Socij Prouincialis pro proximo futuro Capitulo Generali, vel Generaliſſimo, ſi quod ante ſequens Capitulum Prouinciale celebrandum contigerit, & alios nominare, qui caſu mortis ſic electorum, ad diffiniendum vel eligendum in prędicto Capitulo reſpectiuè admittantur.*

7 Prouinciales nouiter electi ſtatim Prouinciam tanquam Prouinciales regunt. Romę 1644. *Concedimus huic Prouinciæ ob magnam diſtantiam eius ab Vrbe, & difficilem ad Reuerendiſſimum Magiſtrum Ord. acceſſum, vt Prouincialis nouiter electus regat Prouinciam, & gaudeat titulo Prouincialis, donec ſcrutinium electionis eius quam primum fieri poſſit mittatur ad Generalem pœnes quem electionem caſſandi, vel confirmandi libera ſit facultas, prout in domino videbitur expedire.* Romę autem 1629. eiſdem electis Prouincialibus conceſſum fuerat, vt tanquam Generales Vicarij illam regerent, additumque vt quadriennij eorundem exordium ab electionionis die ſumatur. *Concedimus, vt Prouinciales electi, tanquam Vicarij Generales Prouinciæ, ſtatim Prouinciam regere incipiant, omniaque, & ſingula peragere valeant, ac ſi confirmati eſſent: Porro quam primum ad Magiſtrum Ord. ſcrutinium electionis Prouincialis tuto tranſmittatur, & confirmatio impetretur. Tempus verò quadriennij Prouincialatus ab ipſa die electionis ſumat exordium.*

8 Pręcedentia Conuentuum cum eorum limitibus fuit determinata Romę 1644. *Cum nihil authenticè innoteſcat de Conuentuum huius Prouinciæ antiquitate, ac limitibus, ſeu diſtrictibus eorundem, volumus, & decernimus, vt impoſterum Priores inter ſe locum habeant iuxta antiquitatem ſuorum Conuentuum ex veteri quodam manuſcripto, opera D. Iacobi Vuaræi equitis aurati collecta, prout in Congregatione intermedia Correnſi ordinatum fuit anno 1640. ordinationem in hac parte confirmamus, & innouamus. Pro limitibus autem Conuentuum omnium reſpectiuè aſſignandis deputamus Iudices in Lagenia RR. PP. F. Dominicum Nugentium Mag. & F. Thomam Erangan Præſentatum. Pro Memonia F. Albertum Obrien Mag. F. Petrum Eſtrange Mag. & F. Tadæum Moriarty. Pro Conacia F. Danielem de Cruce Mag. & F. Humbertum Delphinum. Ac demum pro Vltonia F. Io: Geuory, & F. Dominicum Connor, ita vt*

quid-

quidquid ipſi reſpectiuè cum A. R. P. Prouinciali pro tempore ſtatuerint, firmum, ac ſtabile perpetuis futuris temporibus maneat. Quod ſi quæ ſit difficultas pro limitibus Prouinciarum, decidetur per eos ex prænominatis, qui ex neutra Prouinciarum diſſidentium extiterint. Si quem autem ex his nominatis ante cauſæ terminationem mori contigerit, Prouincialis de conſenſu Fratrum à Conſilijs dictæ Prouincia, alium loco illius valeat nomine.

9 Quinque Vniuerſitates in hac Prouincia fuere Romæ 1644. erectę in hunc modum. *Vt huic Prouinciæ de litterarum Studijs ſit prouiſum, erigimus in ea quinque Vniuerſitates, ſeu Studia Generalia pro quinque Regni partibus, Conuentum videlicet Dublinenſem, Lemericenſem, Caſheliæ, de Athenrij, & Culrahanenſem, ita vt in ijs actus ſcholaſtici, & exercitia fieri poſſint pro gradu, ac forma; ſi autem temporum iniuria aliquando in aliquo ex iſtis reſpectiuè ſtudium nequeat haberi, poſſit Prouincialis pro tempore alium Conuentum deputare, donec in ea commodè exercitia fieri poſſint, cum ijſdem priuilegijs.*

10 Omnes ſeculares, ſcapulare noſtrum deferentes infra huius Prouinciæ limites, ſunt participes bonorum operum, quæ in noſtro Ordine fiunt. Ita illis fuit conceſſum Romæ 1644. *Cum in hac Prouincia pia inoleuerit conſuetudo vt fideles vtriuſque ſexus habitum regularem diuerſorum Ordinum pro ſua reſpectiuè deuotione ferant, & in eo mori deſiderent, concedimus ijs omnibus, qui noſtrum habitum, ſeu ſcapulare portauerint, vt participes ſint beneficiorum noſtri Ordinis, ac bonorum operum, quæ per vniuerſum Ordinem fiunt.*

11 Prouinciales de eleemoſynis Imagini B.V. Mariæ de Yoghel oblatis diſponere non poſſunt; ſpectant enim ad Conuentum eundem. Romæ 1644. *Applicamus eleemoſynas omnes, quæ fiunt ad deuotiſſimam Imaginem B.V. Mariæ de Yoghel in vſum ipſius Conuentus Yoghellenſis, nec de ijs in futurum aliter diſponere valeat Prouincialis.*

12 Cum in Generalibus Romanis Capitulis ann. 1583. & 1589. celebratis præfixus vnicuique Prouinciæ fuerit graduarorum numerus, huic verò nequaquam, Romæ 1629. fuit decretum vt Magiſtri, ſex; Præſentati verò, & Baccalaurei, octo eſſent, in hunc modum. *Concedimus huic Prouinciæ vt numerus Magiſtrorum in Theologia ſit ſenarius, & Præſentatorum, & Baccalaureorum octonarius, quorum poſtulatio fiat in Capitulo Prouinciali attentis meritis perſonarum.* Romę autem 1644. auctus fuit Magiſtrorum numerus ad octonarium, Baccalaureorum verò, ſeu Præſentatorum, ad denarium. *Extendimus numerum graduandorum in hac Prouincia, ita vt numerus Magiſtrorum ſit octonarius, & Præſentatorum denarius cum gratijs, ac priuilegijs.* Romę tandem ann. 1650. decretum fuit, vt tam Magiſtri, quam Pręſentati eſſent duodecim. *Extendimus numerum graduum pro hac Prouincia, ita vt in ea deinceps, tam Præſentati, quam Magiſtri cum loco, & voce, computari poſſint vſque ad numerum duodenarium.*

13 Omnes ſupradictæ ordinationes in Generali Capitulo Romano 1644. factę, fuere Romę 1650. ita confirmatæ. *Confirmamus omnes, & ſingulas ordinationes, & conceſſiones pro hac Prouincia* (ſcilicet Hiberniæ) *factas Romæ in Capit. Generali 1629. & in Generaliſſimo 1644.*

14 Fratres in Louanienſi Collegio S. Io: Baptiſtæ exiſtentes, in Studiorum prouiſionibus non ſe ingerant. Romæ 1629. *Ordinamus, & omnino prohibemus omnibus Fratribus in Collegio Louanienſi S. Io: Baptiſtæ pro hac Prouincia deſtinatis ne ſe ſe ingerere; audeant in Studiorum prouiſionibus, ſed Rector, ſeu Prælatus dicti Collegij cæterique moderatores, & Studentes eiuſdem à P. Prouinciali Hiberniæ tantùm de conſilio Patrum, vel Diffinitorum Capituli Prouincialis eligantur, & inſtituantur, ipſumque Collegium dicto P. Prouinciali pro tempore in omnibus omnino ſubiectum ſit.*

15 Fratres Hiberni alterius Prouinciæ filij ſtatim ac in Hiberniam peruenerint, eligant ſibi Conuentum cum P. Prouincialis conſenſu, cuius habeantur in ſucceſſione bonorum tanquam filij. Romæ 1629. *Ordinamus, vt ſtatim ac Frater aliquis Hibernus alterius Prouinciæ filius, Hiborniam appulerit, de conſenſu P. Prouincialis pro tempore Conuentum aliquem ſibi deligat, cuius quantum ad ſuorum bonorum ſucceſſionem, erit quaſi filius, confirmantes diſpenſationem conceſſam Patribus huius Prouinciæ à Capitulo Generali Mediolanenſi 1622. Quod ſcilicet quamdiu in Regno Angliæ, eiuſque ditionibus res Catholicorum pacatæ non fuerint, nullam bonorum Fratrum defunctorum partem ad Conuentum aliarum Prouinciarum, quorum orant filij, mittere teneantur. Cuilibet verò Fratri huiuſmodi morienti, quoad ſuffragia, gratias, & onera, teneatur Conuentus ab ipſo in ſuo aduentu in iſtam Prouinciam delectus, qui quaſi natiuus eiuſdem tam quoad hæc, quam quoad cætera omnia filijs Conuentuum debita, cenſendus erit.* Romæ autem 1629. circa eorundem FF. decedentium bona hæc fuete ſancita. *Confirmamus decretum editum in Capitulo Prouinciali Gliguen. 1627. circa diuiſionem bonorum Fratrum defunctorum, quo ſtatuitur vt huiuſmodi bona in tres partes diuidantur, quarum vna detur Conuentui ſuæ affiliationis, ſecunda Conuentui ſuæ aſſignationis, tertia detur pro miſſis, & ſuffragijs in ſubſidium defuncti perſoluendis Conuentui affiliationis, & Cõuentui aſſignationis pro rata, qui huiuſmodi ſuffragia perſoluere teneantur, præter quę celebrentur pro quolibet Fratre defuncto omnia, quę à noſtris Conſtitutionibus pro ſuffragijs deſcribuntur.*

16 Fratres Hiberni, qui in alijs Prouincijs habitum Ord. ſumpſerint, & in aliquo huius Prouinciȩ Conuentu fuerint aſſignati, cenſeantur ſimpliciter ad illam tranſlati. Romȩ 1629. *Concedimus Fratribus Hibernis, qui habitum in alijs Prouincijs ſuſceperunt, vel ſuſcipient, & in aliquo Hiberniæ Conuentu aſſignati fuerint, vt cenſeantur incorporati iſti Prouinciæ, & ad eam ſimpliciter tranſlati, ita vt omnibus gratijs, priuilegijs, immunitatibus, officijs, ſuffragijs, & vtraque voce gaudeant, Diffinitores & Electores Capituli Generalis eligi valeant, æquè ac ſi in iſta Prouincia profeſſionem emiſiſſent.*

17 Capitulorum, tam Generalium, quam Prouincialium Diffinitores, etiam ſi definierint, in ſubſequenti Capitulo ad idem munus reaſſumi poſſunt. Romȩ 1629. *Iuſtis de cauſis diſpenſamus cum hac Prouincia vt Diffinitores Capituli Generalis, & Prouincialis poſſint in ea reeligi, & in duobus Capitulis Generalibus, ſiuè Prouincialibus immediatis diffinire.*

18 Idem quoque priuilegium Socijs Diffinitorum Capituli Generalis, & Priorum Conuentualium fuit conceſſum Romæ 1629. *Item* (ſcil. diſpenſamus) *vt ſocij Diffinitorum Capitulorum, Generalium, & Priorum Conuentualium euntium ad Capitulum Prouinciale poſſint reeligi, & in duobus electionibus Prouincialium immediatis ſuffragium ferre, durante neceſſitate, & penuria Fratrum prouectioris ætatis.*

19 Prouinciales pro tempore, acceptandi quæcumque loca pro nouis Conuentibus conſtruendis, auctoritate pollent. Romȩ 1629. *Concedimus P. Prouinciali nunc, & pro tempore exiſtenti acceptandi quæcumque loca, prædia, terras, domos, & alia huiuſmodi bona, quæ Religioni à quocumque oblata fuerint, ad effectum in eis Conuentus erigendi, aut reſidentiæ pro Fratribus in eis habendæ.*

20 Habent Prouinciales auctoritatem diſpenſandi aliquando ſuper ordinationes Capitulorum Generalium, & etiam Conſtitutiones, cum neceſſitas id expoſcat. Romȩ 1629. *Item cum multa in noſtris Conſtitutionibus, earumque gloſſis, & ordinationibus Capitulorum Generalium inueniantur, quæ in iſta Prouincia ſecundum præſentem rerum ſtatum commodè obſeruari nequeunt; Concedimus P. Prouinciali nunc, & pro tempore exiſtenti, ad tollendos ſcrupulos conſcientiȩ Fratrum, facultatem ſuper huiuſmodi, iuxta temporis neceſſitatem, bonique regiminis exigentiam, in omnibus, cuiuſcumque generis fuerint.*

21 Poſſunt Prouinciales inſtante neceſſitate mittere aliquem Fratrem Procuratorem pro negotijs huius Prouinciæ pertractandis ad Romanam Curiam. Romæ 1629. *Concedimus P. Prouinciali pro tempore exiſtenti, vt mittere poſſit ad Romanam Curiam Fratrem aliquem religioſis moribus, & prudentia ornatum, qui procuratoris partes in negotijs iſtius Prouinciȩ tractandis, & expediendis agat, qui ita authenticè miſſus poſſit in Vrbe permanere donec dicta negotia expediantur, vel à P. Prouinciali reuocetur.*

22 PP. Prouincialibus huius Prouinciæ iniuncta fuit Scotiæ, Inſularumq; adiacentium cura pro Ordinis reparatione in illis. Romæ 1629. *Committimus P. Prouinciali pro tempore curam Prouinciæ Scotiæ, et Inſularum adiacentium, ipſiq; omnino iniungimus, vt quamprimum fieri poterit Fratres aliquos Hibernos propagatioris Fidei, noſtreque Religionis zelo pollentes eò tranſmittat qui collapſam in illis partibus Chriſtianam, noſtramque Religionem reparare, ac reſtituere ſuis prædicationibus, & exemplis conentur.*

23 Prouinciales omnes, Fratres huius Prouinciæ in Studijs recipiant. Romæ 1629. *Summoperè commendamus AA. RR. PP. Prouincialibus Ordinis omnes huius Prouinciæ Fratres, eoſque in Domino hortamur, vt in eis complectendis faciles, ac benignos ſeſe exhibeant, eoſque ad ſtudia promptè admittant, memores ſe ad id ex diuina lege, noſtriſque Conſtitutionibus, & profeſſione teneri; cum præſertim huius Prouinciæ Fratres egregiè, ſtrenueque vſque ad ſanguinem in Fide tuenda, & propaganda quotidie inſudare non deſiſtant.* Et Mediolani 1622. conceſſum fuit vt in omnibus Generalibus Studijs vnus, vel duo huius Prouinciæ Studentes eſſe poſſint. *Concedimus vt in quolibet Studio Generali locis vacantibus adſint vnus, vel duo Fratres huius Prouinciæ Hiberniæ.* In eodem quoque Capitulo conceſſa fuit P. Prouinciali reuocatio Studentium in Prouinciam, atque vetitum ne vllus ab hac Prouincia diſcedat ſine licentia in ſcriptis à P. Prouinciali obtenta. *Item concedimus P. Prouinciali huius Prouinciæ, vt reuocare poſſit omnes Studentes Hibernos, cum ſibi expedire videbitur; nullum verò Fratrem volumus ſine eiuſdem Prouincialis licentia in ſcriptis obtenta poſſe recedere à Prouincia ſub pœna carceris, & alijs arbitrarijs.*

PRO

PRO
PROVINCIA S. IACOBI DE MEXICO.
XXVIII.

NOua huius Prouinciæ inſtitutio fuit in Salmantino Capitulo anno MDLI. celebrato ſancita aſſignatis eiдem terminis, intra quos Nouam Hiſpaniam à terra Tequantepeque excluſiuè vſque ad Floridam, complecteretur, vt Pro Prouincia S. Crucis Indiarum ſupra retulimus. Fuit autem poſtea in Veneto Capitulo anno 1592. celebrato in duas diuiſa, quarum vna S. Iacobi de Mexico nomen conſeruaret, altera verò S. Hipoliti Martyris de Oaxaca, Prouincia nuncuparetur, prout, quando de dicta Prouincia tractabimus referemus.

Sequentes fuere pro hac Prouincia in Generalibus Capitulis ordinationes ſancitæ.

1 Conuentuum Præſidentes in Capitulis voce gaudentes, à Prouincialibus inſtituantur de Patrum conſilio. Romæ 1650. *Ordinamus quod tam in Vicariatibus, quam in Conuentibus, vbi non obſtante Fratrum paucitate Superiores nihilominus ex indulto Apoſtolico gaudent iure ſuffragij in Capitulis Prouincialibus, inſtitutio huiuſmodi Priorum, & Vicariorum pertineat ad Prouincialem dependenter à Conſilio Patrum, quod pro hoc effectu peculiariter congregare tenebitur, ſiuè in Conuentu Mexicano, ſiuè Angelopolitano, vocando ad illud Priorem loci eum ſolis quinque antiquioribus Magiſtris, qui tunc in illo Conuentu reperientur*. Et electionem Priorum de Zachatechas, Guadalaiara, & Veracruz habendam eſſe à P. Prouinciali cum Diffinitorio, aut ſex Patribus, declaratum fuit Toloſæ 1628. *Declaramus quod electio Priorum de Zachatechas, Guadalaiara, & Veracruz à P. Prouinciali cum Diffinitorio, aut ſex Patribus facienda, debet eſſe canonica, ſcilicet à maiori parte eligentium iuxta leges noſtras*. Quod etiam mandatum fuerat Mediolani 1622. prout dicitur infra num. 7.

2 In Regali S. Ludoci Collegio ſtatuta eiuſdem ad amuſſim obſeruentur: Nulluſque non Sacerdos in illo Studens eſſe debet. Romę 1650. *Mandamus in Regali noſtro Collegio S. Ludouici omnia, & ſingula eius ſtatuta obſeruari ad amuſſim, vt iacent; nec in eo ad Sac. Theologiæ ſtudium admitti poſſit, niſi qui fuerit Sacerdos; nec dari poſſint cathedræ dicti Collegij, niſi illis, qui in eodem fuerunt Magiſtri Studentium, vel Lectores Artium; nec ibidem inſtituatur Lector Artium, qui prius illic non fuerit Collega*.

3 Ordinationes factæ in Prouinciali Capitulo celebrato in Conuentu S. Dominici de Mexico anno 1646. fuere Valentiæ ita confirmatæ 1647. *Confirmamus ordinationes, quæ in Actis Capituli Prouincialis anno præterito in Conuentu Mexico celebrati continentur ſub titulo illo, videlicet*. Iſta ſunt præcepta.

4 Petitiones graduandorum à Prouinciali, & Diffinitoribus fiant. Valentiæ 1647. *Declaramus nullo modo impleri ordinationem 18. Capituli Romani 1629. de modo, quo debent fieri poſtulationes graduatorum per compromiſſionem Diffinitorum factam in perſona P. Prouincialis, ſed debere eandem ordinationem ſeruari ad litteram, & poſtulationes fieri per Prouincialem, & Diffinitores, & Magiſtros, & Patres Prouinciæ, vt ibi ſtatuitur*. Idem etiam mandatum fuerat Vlyſſiponæ 1618.

5 Alternatiua in electionibus, tam Prouincialium, quam Diffinitorum pro hac Prouincia eſt auctoritate Apoſtolica ſtabilita; ita enim denunciatum fuit Romæ 1644. *Denunniamus alternatiuam inter duos principaliores Conuentus, videlicet Mexicanum, & Angelopolitanum litteris Apoſtolicis eſſe confirmatam, & roboratam ea forma, qua in duobus Capitulis præcedentibus fuit poſtulata, ſcilicet quod vnum quadriennium pertineat ad filios Conuentus Angelopolitani, & alia duo quadriennia ſucceſſiuè ad filios Conuentus Mexicani, ſeruata in eiuſcemodi electionibus alternatiua Prouinciæ inter natos in Indijs, & in Hiſpania; & declaramus prædictam alternatiuam intelligi in omnibus officijs à Prouincialatu vſque ad minimam exemptionem, atque in electionibus Diffinitorum Capituli Generalis, ita quod in electionibus detur ſemper tertia pars filijs Conuentus Angelopolitani, vt latius in ipſis litteris Apoſtolicis habetur. Quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane*. Quod ita fuit confirmatum Valentiæ 1647. *Confirmamus, quòd in Capitulo Generaliſſimo fuit acceptatum, & denunciatum, nempe Breue Apoſtolicum, quo cauetur ſeruandam eſſe alternatiuam inter duos principaliores Conuentus, Mexicanum, & Anglopolitanum, ea forma, qua in duobus Capitulis præcedentibus fuit poſtulata; ſcilicet quòd vnum quadriennium pertineat ad filios Conuentus Angelopolitani, & alia duo quadriennia ſucceſſiuè ad filios Conuentus Mexicani, ſeruata in huiuſmodi ele-*

ctio-

Digitized by Google

ctionibus alternatiua Prouinciæ inter natos in Indijs, & Hiſpania; & declaramus prædictam alternatiuam intelligi debere in omnibus officijs à Prouincialatu vſque ad minimam exemptionem, atque de Vicariatu Generali Prouinciæ vacante Prouincialatu, & de electionibus Diffinitorum Capituli Generalis, ita quod detur tertia pars filijs Conuentus Angelopolitani; volentes quod in proxima vacantia Prouincialatus Prior Angelòpolitanus ſit Vicarius Generalis, & ſucceſſiuè in alijs duabus vacantijs immediatè ſequentibus Prior Mexicanus: Quod ſi ſecus factum fuerit, nullius eſſe roboris, vel momenti declaramus. Circa eandem autem alternatiuam ſtabiliendam, hæc in Generali Toloſano Capitulo 1628. fuerant antea ſancita. *Confirmamus ordinationem de alternatiua, & æqualitate ſeruanda ex natis in Indijs, & natis in Hiſpania. Declarantes tamen quod propter huiuſmodi æqualitatem ſeruandam nullus recipi poſſit, qui non habeat requiſita iuxta noſtras leges, & Apoſtolica decreta, ac propterea, ſi ex Hiſpanis, qui ſponte recipi cupiunt, nullus ſit idoneus, adducantur potius Fratres ex Hiſpania ad huiuſmodi æqualitatem conſtituendam: Et ne numerus natiuorum ex Indijs exuperet, & excedat, quamprimum quotquot erunt neceſſarij pro æqualitate ſtatuenda ex Regnis Hiſpaniarum, etiam, ipſius Prouinciæ expenſis, traducantur.* Quod fuerat etiam ordinatum Mediolani 1622. & Romæ 1612. ita dicitur. *Approbamus quæ ab eodem Illuſtriſs. Card.* (ſcil. de Aracœli F. Auguſtino Galamino) *auctoritate Apoſtolica conceſſa ſunt de alternatiua officij Prouincialis inter natos in Hiſpanijs, & natos in Indijs; non tamen extendatur hæc conceſſio alternatiuæ ad officium Prioratus.* Idem fuerat etiam confirmatum in antecedenti Capitulo Pariſijs 1611. Et Valliſoleti 1605. ita ſancitum fuit ord. 37. *In Prouincia Mexicana cum pauciſſimus ſit numerus filiorum Hiſpaniæ, ordinamus vt electio Prouincialis alternatiuè fiat ex natis in Hiſpania, ſiue ſint filij Prouinciarum Hiſpaniæ, ſiue filij Prouinciarum Indiæ, & ex natis in Indijs. Quod ſi aliter fiat, ipſo facto electio ſit nulla, & inanis, non obſtante ordinatione Capituli Generalis Romæ proxime celebrati.* In citato autem Capitulo Romano 1601. hæc habentur conſ. 29. *Confirmamus in Prouincia Mexicana ordinationem factam à bon. mem. P. Generali præterito* (fuit P. F. Hyppol. M. Beccaria) *ſcilicet quod Prouinciales alternatim eligantur ex filijs Hiſpaniæ, & ex filijs Prouinciæ, irritum decernentes quidquid in oppoſitum factum fuerit.* Supradicta verò ordinatio Valliſoletani Capituli 1605. ita fuit confirmata Romæ 1608. *Vt ordinatio 37. Capituli Valliſoletani 1605. de alternatiua eligendi Prouincialem viciſſim ex natis in Hiſpania, & ex natis in Indijs, commodius obſeruetur, ordinamus quod etiam in Capitulo Prouinciali eiuſdem Prouinciæ ſtatutum ſuit, vt Nouitij in Prouincia Mexicana quantum fieri poterit pari, & æquali numero habeantur, & recipiantur ad ordinem: nimirum quot ex natis in Indijs, tot ex natis in Hiſpania, comprehendentes etiam natos in Inſulis Tertiarijs, ſiuè Azorum, & in Inſulis fortunatis, quæ vulgo Canariæ dicuntur: Nomine verò Indiarum intelligentes reliquas Inſulas, & continentem Noui Orbis, ſeu Americæ.* Et Barcinonæ 1574. ord. 13. ita habetur. *Item ordinamus ad petitionem Prouinciæ Mexicanæ quod electiones Prioris, & Prouincialis, & trium Conuentuum, ſcil. Mexicani, Antequerentis, & Ciuitatis Angelorum alternis vicibus impoſterum celebrentur, idest primò de naturalibus filijs Prouinciæ, deinde de exteris, & ſic ſucceſſiuè, irritum decernentes quidquid ſecus factum fuerit.* Cum autem aliquando ordinatum fuiſſet, vt nullus in Priorem eligeretur in hac Prouincia, qui non eſſet illius filius, hoc fuit poſtea ita reuocatum Valentiæ 1596. reuocat. 2. *Reuocamus ordinationem pro Prouincijs noſtris S. Jacobi de Mexico, & S. Hypoliti Mart. de Oaxaca ad illarum inſtantiam aliàs factam, quod videlicet nullus poſſet eligi in Priorem in Conuentibus illarum Prouinciarum, qui non eſſet in ipſiſmet Prouincijs affiliatus, & hoc ad nouam earundem Prouinciarum petitionem, quòd male ipſis præfatam ordinationem cadere cognouerint.*

6 Vicarij voce gaudentes, ſi poſt Septuageſimam tempus ſui muneris terminent, nihilominus vſque ad celebrationem Capituli perſeuerent. Toloſæ 1628. *Declaramus quòd Vicarij voce gaudentes, ſi quadriennium poſt Septuageſimam expleuerint, in officio eodem modo, vt Priores, perſeuerare debent.*

7 Vocales electionis Prioris della Puebla, & de Mexico habeant duodecim annos à profeſſione. Mediolani 1622. *Concedimus huic Prouinciæ facultatem petendi à Summo Pont. vt Vicarij trium domorum ſcil. Chimaluacan, Chalco, & de Quenıla de las amilpas, & de Tequeſcetepec ſuffragium habere poſſint in electione Prouincialis. Item vt tres Priores Conuentuum de Zacatecas, Guadalaxara, & Veracruz eligantur à Prouinciali cum Definitorio, aut ſex Patribus Prouinciæ. Inſuper, vt vocales ad electionem Prioris Conuentuum de la Puebla, & de Mexico, duodecim annos à profeſſione habere debeant.*

8 Prouinciales de grauiorum PP. conſilio in Vicarijs vacantibus poſſunt Vicarios inſtituere. Mediolani 1622. *Concedimus P. Prouinciali pro tempore, vt poſſit in Vicarijs vacantibus Vicarios inſtituere de conſilio ſex grauiorum Patrum per vota ſecreta, quando commodè totidem Magiſtros, ad quod iuxta aliàs ordinata huiuſmodi conſilium præſtare ſpectat, conuocare non poterit.* Et antecedenter in Capitulo Valliſoletano 1605. ord. 37. ita fuerat mandatum. *Ordinamus etiam ad petitionem eiuſdem Prouinciæ quòd Vicarijs vacantibus, & vocem habentibus ante cele-*

Digitized by Google

lebrationem Capituli non poſſit R. A.P. Prouincialis aſſignare Vicarios, niſi de conſilio ſex Patrum Prouinciæ, & ex aſſenſu maioris partis eorum.

9 Prouinciales poſſunt compellere Fratres ad Prouinciam Philippinarum deſtinatos, ſtante nauigationis opportunitate, vt ad eandem ſe conferant. Mediolani 1622. *Damus facultatem A.R.P. Prouinciali pro tempore, vt Fratres ad Prouinciam Philippinarum deſtinatos, ſeu deſtinandos, prima data nauigationis occaſione, ad pergendum in eandem Prouinciam compellere poſſit.* Romæ autem 1612. de hac re ita mandatum fuerat. *Præcipimus etiam in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ ſub formali præcepto, nec non ſub pœna excommunicationis omnibus noſtris Fratribus, qui expenſis Regijs mittuntur ad Philippinas, ne diutius remorentur in Prouincijs Mexicanis, ſed iter ſuum prima data occaſione nauigandi ſine dilatione proſequantur. Auferentes hoc decreto omnem auctoritatem, & facultatem à quibuſcunque Superioribus illarum Prouinciarum inferioribus Magiſtro Ord. aſſignandi Fratres miſſos ad Philippinas in Prouincijs Mexicanis.* Quod etiam Pariſijs 1611. mandatum fuerat.

10 Lectiones, quę in Cõuentu de Guadalaxara habentur cõputentur pro conſequendis gradibus. Mediolani 1622. *Concedimus ad petitionem Prouinciæ, & quantum in nobis eſt, vt Lectiones, quæ habebunt in Conuentu de Guadalaxara, cum Studium ex munificentia Regia fuerit inſtitutum, valeant pro gradibus in Ordine ſuſcipiendis.*

11 Ex Mauris, hæreticis, atque Iudæis originem ducentes non recipiantur in Ordine. Mediolani 1622. *Statuimus ne recipiantur ad habitum, neque clericalem, neque laicorum, qui ex Mauris, hæreticis, atque Iudæis vſque ad quartam generationem originem traxerint; neque qui vulgo mulatos, & meſtizos nuncupantur; ſicut neque qui per SS. Inquiſitionis tribunal abiuratione formali fuerint reconciliati.*

12 Non iuſtituantur Prædicatores Generales, niſi cum hac lege, vt permanere, ac degere debeant in Conuentibus, pro quibus inſtituuntur. Mediolani 1622. *Ordinamus ne deinceps inſtituantur Prædicatores Generales, niſi hac lege, vt permanere, ac degere debeant in Conuentibus, pro quibus fuerint inſtituti, & non aliàs.*

13 Qui ex domo Nouitiorum ſunt, non ſint cubicularij, nec etiam Prouincialium. Mediolani 1622. *Diſtrictè probibemus ne Fratres ex domo Nouitiorum ſint cubicularij quorumcunque Patrum, nec etiam Prouincialium.*

14 Patres huius Prouinciæ tranſire non poſſunt ad Hiſpaniarum Regna ſine licentia Magiſtri Ord. Vlyſſiponæ 1618. *Admonemus Fratres non poſſe iuxta pluries ordinata ex iſtis Prouincijs ad Hiſpaniarum Regna tranſire, niſi ex ſola licentia Magiſtri Ord. quem rogamus, vt diſponat huiuſmodi licentias (ſi quando aliquas vrgenti neceſſitate conceſſerit) nullius fore valòris, niſi proprius Prouincialis præbuerit conſenſum in ſcriptis.*

15 Præſentaturę titulo prædicationis non concedantur. Vlyſſiponæ 1618. *Decernimus vt Præſentaturæ titulo Prædicationis in hac noſtra Prouincia ſupprimantur, poſtquam tales Præſentati hodierni defecerint, nulluſque deinceps tali gradu, nec titulo gaudeat, niſi per viam lectoratus promotus fuerit iuxta Conſtitutiones noſtras.*

16 Conuerſi peracto probationis anno profeſſionem emittant. Vlyſſiponæ 1618. *Ad petitionem Prouinciæ concedimus, vt Conuerſi peracto probationis anno profiteri poſſint, vt antea conſuetum erat.*

17 In Prouincialibus Capitulis legantur Acta Capituli Generalis, & litteræ Magiſtri Ord. antecedenter ad omnes Capitulorum actiones. Bononiæ 1615. *Committimus P. Prouinciali, vel Vicario Generali, aut Præſidenti pro tempore noſtræ Mexicanæ Prouinciæ, vt in Capitulo Prouinciali ante omnia, Acta Capituli Generalis, & litteras Magiſtri Ord. (ſi quæ fuerint) coram toto Capitulo legi, & publicari faciat, prout in Conſtitutionibus noſtris cap. 2. de officio Prouincialis per Reuerendiſs. Vmbertum Magiſtrum Ord. habetur.*

18 Per biennium poteſt Vicarijs protrahi tempus ſui muneris. Bononię 1615. *Impoſterum verò concedimus eidẽ Prouinciæ, vt de aſſenſu maioris partis vocalium Capituli Prouincialis huiuſmodi Vicariorũ prolongationem ad duos annos R. P. Prouinciali committere poſſit; dummodo tamen quadrageſimum annum attigerint.* Hæc autem facultas in dicto Capitulo tantùm actuali huius Prouinciæ Prouinciali tunc temporis, fuerat conceſſa.

19 Prouinciales terminato proprio munere, in Diffinitores ſubſequentis immediati Capituli eligi poſſunt. Bononiæ 1615. *Declaramus quòd Prouincialis eiuſdem Prouinciæ, expleto officio ſui Prouincialatus, cum nullam habeat in immediatè ſequenti Capitulo Prouinciali gubernationem Prouinciæ, eligi poteſt in Diffinitorem eiuſdem Capituli Prouincialis immediatè ſequentis.* Antecedenter autem in Capitulo Valliſoletano 1605. conceſſum fuerat, vt Prouincialis terminato proprio munere, in eiuſdem Prouinciæ regimine vſque ad 4. Dominicam poſt Octauam Paſchæ perſeueraret. Ita enim conceſs. 12. habetur. *Concedimus Prouinciæ S. Iacobi de Mexico, vt eius Prouincialis, poſtquam officium Prouincialatus expleuerit, perſeueret in regimine dictæ Prouinciæ vſque ad Dominicam quartam poſt Octauas Paſchæ immediatè ſequentem, titulo Vicarij Generalis.*

20 Qui Theologiam non docuerint, neque poſtulari, neque acceptari poſſunt in Magiſtros. Bononię 1615. *Diſtrictè probibemus ne in eadem Prouincia acceptari, aut poſtulari valeant*

in

in Capitulo Prouinciali, vel extra Magiſtri in Sacra Theologia, qui nunquam legerunt Theologiam iuxta tenorem Conſtitutionum noſtrarum. Quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane, ijs dumtaxat Magiſtris exceptis, qui ante notitiam præſentium ab eadem Prouincia fuerint acceptati.

21 Fratres prędicationi Indorum linguę Otomi diligenter dent operam. Bononię 1615. *Comittimus Capitulo Prouinciali proximè futuro eiuſdem Prouinciæ, vt ſummo ſtudio procuret, vt Fratres prædicationi Indorum linguę Otomi diligenter incumbant, & eos, qui eidem difficillimę linguæ inſudauerint, & in ea profecerint, vel impoſterum inſudabunt, eamque addiſcent, condignis præmijs donet; & ſi eidem Capitulo Prouinciali videbitur, vnum pro eadem lingua Prædicatorem Generalem à nobis poſtulet, qui in eodem munere prædicationis, & lingua addiſcenda magis profecerit.*

22 Omnes ordinationes à Magiſtro Ord. F. Auguſtino Galamino factæ, fuerę confirmatę. Romę 1612. *Approbamus inſuper ea omnia, & ſingula, quæ idem Illuſtriſſimus, dum eſſet Magiſter Generalis Ordinis decreuit, declarauit, ordinauit, & approbauit in eadem Prouincia. eaque omnia volumus inuiolabiliter obſeruari.*

23 Cum Graduatorum numerus in hac Prouincia ita fuerit diſpoſitus in Generali Romano Capitulo 1589. vt Magiſtri 4. Pręſentati 6. & Prędicatores Generales 4. (vt ſupra Pro Prou. Toloſana num. 26. retulimus) eſſent, in alio tamen Romano Capitulo, nempe 1608. fuit hoc modo auctus. *Augemus numerum Magiſtrorum ad octonarium; ſimiliter & numerum Præſentatorum ad titulum Lectoratus ad octonarium; numerum verò Præſentatorum ratione prædicationis, quæ maximo in pretio in illis regionibus ob conuerſionem Indorum habetur, volumus eſſe quaternarium.* Deinde Romę 1644. idem Magiſtrorum, & Pręſentatorum numerus ad duodenarium fuit ita extenſus. *Concedimus huic Prouinciæ quod numerus Magiſtrorum, & Præſentatorum extendatur vſque ad duodenarium, ad ſui petitionem.* Tandem in nouiſſimo Romano Capitulo anno Iubilei 1650. celebrato fuere huic Prouincię bina graduatorum loca ſuperaddita titulo linguarum Mexicanę, & Miſtecę. *Denique cum ad procurandam animarum ſalutem, quam Ordo noſter ex vi proprij inſtituti præcipuè vbique intendit, peritia vernaculi idiomatis apprimè neceſſaria ſit, de nouo addimus huic Prouinciæ bina graduum loca, videlicet vnum Magiſterium, & vnam Pręſentaturam pro titulo, & lectione linguarum Mexicanæ, & Meſtica, quarum profeſſores legitimè deputati poſſint expleto ſuæ lectionis ſexennio ad Præſentaturam; peracto verò in eadem decennio, ad Magiſterium exponi, ac poſtulari. Proinde volumus, quod P. Prouincialis quam primum talibus exercitijs commodas horas deſignet, uſque omnes Studentes, ſaltim per biennium teneantur interuenire, aliàs nequeant exponi ad audiendas, ſiue Hiſpanorum, ſiue Indorum confeſſiones, neque ad munus prædicandi, & inſuper carebunt vbique voce paſſiua; niſi tamen de aliquibus conſtiterit per examen publicum, & approbationem ſecretam, quòd ante euolutionem talis biennij in alterutra dictarum linguarum ad ſufficientiam inſtructi euaſerint. Porro Prouincialis cum Diffinitorio deputet harum linguarum idoneos Profeſſores, & Studentes ex duabus illam, quam Prouincialis iuſſerit, teneantur addiſcere.*

Cum verò præter has communiores linguas etiam extet in Mexico Chonzona, aliæq; minorum populorum, uolumus etiam talium linguarum profeſſores ſuo fraudari pręmio, cuius interim maturam deliberationem, & arbitrium remittimus Diffinitorio Prouinciali.

24 Mexicanus Conuentus de Porta Cœli fuit in Generale Studium erectus Valliſoleti 1605. acceptat. 11. *Acceptamus in Ciuitate Mexicana fundationem Collegij S. Dominici de Portacœli, & inſtituimus in Studium Generale, poſt cuius abſolutam erectionem, & ſufficientem ſuſtentationem Studentium, & Lectorum, comittimus R. A. Prouinciali, & Diffinitoribus, vt poſſint nominare, inſtituere, & creare primum Rectorem, qui habeat vocem in electionibus.* Cum autem fuiſſet Studiũ & Collegium ab eodem Conuentu amotum, ex Romani Capituli 1650. decreto fuit eidem in hunc modum reſtitutum. *Reſtituimus Collegium noſtrum S. Dominici de Portacœli priſtino ſuo ſtatui quoad ſtudia litterarum in illo, non obſtante quacumque alia diſpoſitione aliquando facta in contrarium.*

25 Conuentus quoque Ciuitatis Angelorum fuit in Vniuerſitatem inſtitutus Valliſoleti 1605. conceſs. 12. *Eidem etiam concedimus Prouinciæ, vt Conuentus Ciuitatis Angelorum erigatur in Vniuerſitatem, ſicut de facto erigimus.*

26 Conuentus S. Dominici de Mexico fuit in Generale Studium inſtitutus Romę 1589. conf. 15. *Confirmamus in Prouincia S. Iacobi de Mexico, & quatenus opus eſt de nouo inſtituimus, & acceptamus in Studium Generale, & Ordinis Vniuerſitatem Conuentum S. Dominici de Mexico, et Collegium S. Ludouici Ciuitatis Angelorum, cum omnibus gratijs, & priuilegijs, iuxta noſtrarum Conſtitutionum tenorem conſuetis.*

27 Vicarij domorum tenentur vacare ante quam ad idem munus ibi vel alibi aſſumantur. Valliſoleti 1605. ord. 37. *Item in eadem Prouincia ordinamus ad petitionem eiuſdem quòd qui fuerint Vicarij vnius Domus, vel Plurium per ſpatium quatuor annorum, vacent per duos annos, vel ſaltem per vnum integrum ad minus.* Romæ autem 1580. concef. 14. conceſſum fuerat

rat

rat, vt Vicarij in Capitulo inſtituti poſſent pluribus vicibus immediatè in eadem Domo præfici.

28 Diffinitores non ſibi aſſumant nouas Vicarias. Valliſoleti 1605. ord. 37. *Item ordinamus ad petitionem eiſdem Prouinciæ quod Diffinitores Capituli Prouincialis, vel intermedij non ſibi aſſumant, vel accipiant Vicarias præter illas, quas habebant antequam in Diffinitores eligerentur, dummodò quatuor anni non fuerint completi: quod ſi contrarium factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.*

29 In Conuentu S. Domini de Mexico habeatur lectio Biblica. Romæ 1601. conf. 22. *Confirmamus illam pro Prouincia Mexicana quòd in Conuentu S. Dominici de Mexico habeatur quotidie lectio Sacrorum Bibliorum, quam per triennium ad minus audire teneantur Fratres antequam conciones in Ciuitatibus Hiſpanorum habere poſſint.*

30 Prouinciales grauiter delinquentes à Diffinitoribus poſſunt ſuſpendi. Barcinonæ 1574. ord. 14. *Item ordinamus, & eidem Prouinciæ* (ſcilicet Mexicanæ) *concedimus quod Diffinitores Capit. Prouincialis, ſi poſt legitimum examen illis conſtiterit Prouincialem ſuum grauiter deliquiſſe, etiam non incorrigibilem, valeant, & debeant illum ab officio ſuſpendere quouſque conſultus fuerit Reuerendiſſimus Magiſter Ord. & dederit reſponſum.* Quod ita fuit confirmatum Romæ 1580. conf. 24. *Confirmamus ſimul, & ordinamus, quòd in Prouincia Mexicana Diffinitores Capituli Prouincialis cum octo Patribus eiuſdem Capituli, antiquioribus Prioribus, & Vicarijs, ſi poſt legitimum examen illis conſtiterit Prouincialem ſuum grauiter deliquiſſe, etiam non incorrigibilem, valeant, & debeant illum ab officio ſuſpendere, quouſque conſultus fuerit Reuerendiſſimus Generalis Mag. Ord. & reſponſum dederit. Diffinitores autem, & Patres Capituli* (ſcil. intermedij) *aliquem Patrem in Vicarium nominabunt, qui durante præfata ſuſpenſione, Prouinciam regat.* Vide infra Pro Prou. S. Vincentij de Chiappa num. 1.

31 Vicarij domorum à Prouincialibus ob mortem, vel amotionem aliorum Vicariorum inſtituti eandem habent auctoritatem, quam habent qui a Capitulo deſignantur. Romæ 1580. conceſs. 16. *Concedimus etiam eidem Prouinciæ quod Vicarij Domorum, quos Prouinciales ob mortem, vel amotionem Vicarij deſignant, vel nominant, eandem in omnibus habeant auctoritatem, quam habent alij à Capitulo deſignati.*

32 Vt Vicarii Domorum de Cuyoacan, & Deiyanguitlan deſignarentur a Capit. Prouinciali, & Diffinitoribus mandatum fuit Romæ 1580. conceſs. 14. *Item concedimus quod Vicarij Domorum de Cuyoacan, & Deiyanguitlan deſignentur, & nominentur a Capitulo Prouinciali & Diffinitoribus ſicut aliarum domorum Vicarij vtiſacere conſueuerunt, habeantque voces, & ſuffragia in electionibus Capitulorum, ſicut etiam in alijs Vicarijs, non obſtante quauis alia ordinatione alias facta.*

33 Stante morte, vel amotione Prouincialis Vicarij munus ita fuit deſtinatus. Romæ 1570. conceſs. 17. *Concedimus ad petitionem eiuſdem, quod ſi quando ob mortem, vel amotionem Prouincialis, Vicarius Generalis Prouinciæ deberet eſſe Prior, vel Vicarius Conuentus, in quo Capitulum eſt celebrandum, tunc eo caſu ſit Prior Mexicanus pro prima vice, pro ſecunda Prior Antequerenſis, pro tertia verò Prior ciuitatis Angelorum, & deinceps hac ſerie terminata reincipiatur à Conuentu Mexicano ordine, quo ſupra.*

34 Nullus gaudeat Magiſterij, ſeu Præſentaturæ loco, niſi ſit à Prouincia acceptatus. Romæ 1580. conceſs. 18. *Concedimus etiam ad petitionem eiuſdem* (ſcil. Prouinciæ) *quod nullus Frater inſignitus gradu Magiſterij, ſeu Præſentaturæ ſuo gaudeat loco, & honore, niſi prius à Prouincia fuerit exceptus, & acceptatus.*

35 Prouincialis aliarum Prouinciarū Fratres in hac Prouincia delinquentes punire atq; habitu priuare poteſt. Romę 1589. conceſs. 19. *Item concedimus eidem* (ſcil. Prouincię Mexicanæ) *quod Prouincialis, vel eius Vicarius pro tempore poſſit aliarum Prouinciarum filios in ſua Prouincia delinquentes punire, & caſtigare, habituque priuare, ſeruata tamen Conſtitutionum forma* (& etiam decreti Apoſtolici ſub die 2. Septemb. 1624. emanati, prout diximus in p. par. De Incorrigibilib. num. 2.) *ſicut poteſt filios ſuæ Prouinciæ, ſibique ſubditos.*

36 Prouincialis, & Diffinitores dubia, quæ ex ordinationibus Capit. Generalium, vel Magiſtri Ord. oriri poſſent, interpretari, & declarare debent. Romæ 1580. conceſs. 20. *Concedimus etiam eidem Prouinciæ quòd Prouinciales & Diffinitores Capituli, vel ipſe Prouincialis, & PP. à conſilijs S. Dominici de Mexico poſſint dubitationes, quæ ex ordinationibus Capitulorum Generalium, vel Magiſtri Generalis Ord. ſuboriri forte videbuntur, interpretari, & declarare, dummodò ſcribant eidem Magiſtro Generali de his, & vſque ad reſcriptionem, ſeu ſecundam iuſſionem, ſecuri in conſcientia maneant.*

37 Prouincialis poteſt in hac Prouincia, aduenientes Fratres aſſignare. Romæ 1580. conceſs. 21. *Concedimus etiam eidem Prouinciæ quòd Prouincialis poſſit aſſignare in dicta Prouincia eos, qui aliundè venientes volunt in ea remanere, quamuis conſenſum Superiorum ſuorum ad hoc non deferant.*

39 Domus S. Dominici de Tepexic vocem in electionibus conſequuta eſt Valliſoleti 1605. conceſs. 12. *Concedimus etiam Domui noſtræ S. Dominici de Tepexic eiuſdem Prouinciæ* (ſcilicet Mexicanæ) *vocem in electionibus habere.*

39 Poſſunt huius Prouincię Fratres de Prouincialis aſſenſu, conſequendi cauſa lecturas in Vniuerſitate Mexicana. promoueri ad gradus. Valentiæ 1596. conceſs. 7. *Concedimus Prouinciæ Mexicanæ ad eius petitionem quod de aſſenſu R. P. Prouincialis poſſint eius Fratres promoueri ad gradus reſpectiuè cauſa conſequendi lecturas in Artibus, vel in Sacra Theologia in Vniuerſitate Mexicana. Qui tamen ſic promoti fuerint, gratijs, & priuilegijs illorum graduum nullo pacto potiri poterunt, nec etiam titulo in Ordine.*

40 Prouincialis huius Prouincię inſtante Vicario Conuentus S. Hyacinthi Philippinarum, Fratres ad eandem Prouinciam deſtinatos, ad illam ire compellat. Valentię 1647. *Vide infra Pro Prou. Philippinarum num. 5.*

PRO PROVINCIA S.IO:BAPT. DE PERV' XXIX.

IN Generali Salmantino Capitulo anno MDLI. celebrato fuit hæc noua Prouincia in Ordine cum duabus alijs, nempè S. Crucis (quę Romæ 1530. inſtituta fuerat in Ordine, vt ſupra de ea diximus) & S. Iacobi de Mexico, conſtitutis vnicuique proprijs terminis, acceptata. ex qua poſtea illa S. Antonini, vt ſuo loco dicemus, promanauit, de quibus omnibus copioſum ſupra Pro Prouincia S. Crucis habuimus ſermonem. Cum verò huius Prouincię Conuentus in dies, diuino fauente Numine multiplicarentur, Patres in Generali Capitulo Bononiæ anno 1564. Congregati Magiſtro Ord. P. F. Vincentio Iuſtiniano eiuſdem Prouincię diuiſionem commiſere, quod & in ſequenti Romano Capitulo 1569. in hunc modum commiſs. 10. confirmauere. *Commiſſionem in præcedenti Capitulo Bononienſi datam Reuerendiſs. Magiſtro Ord. ſuper diuiſione Prouinciæ S. Io: Baptiſtæ del Però confirmamus, cum facultate dandi propria auctoritate pro prima vice Prouincialem Prouinciæ de nouo erigenda, ſi id ſibi videbitur.*

Duæ ergo alię ex hac germinauere Prouincię, nempè S. Catherinę Martyris del Quito, atque S. Laurentij de Chile, de quibus Romę 1589. conf. 16. ita dicitur. *Confirmamus diuiſionem Prouinciæ S. Io: Baptiſtæ del Però in tres Prouincias, quarum vna dicatur, & ſit S. Io: Baptiſtę, eius nomen, & antiquitatem per omnia retinens: Secunda autem ſit S. Catherinæ Martyris del Quito: Tertia verò S. Laurentij de Chile. Quo pacto etiam nunc diuiſæ reperiuntur, confirmamuſque earundem Prouinciarum Prouinciales in præſentiarum exiſtentes.*

Pro fœlici igitur huius Prouincię gubernio ſequentia fuere à Generalibus Capitulis mandata.

1 Sint in hac Prouincia Lectores, qui linguas de la Quichoa, & la Aymara doceant, ad quas lectiones audiendas Studentes accedant, ipſique Lectores laborum ſuorum pręmia conſequantur. Romę 1650. *Ordinamus pro hac Prouincia idem, quod pro Mexicana, quoad cathedras linguarum vernacularum, quas vocant la Quichoa, & la Aymarà, cum iiſdem conditionibus, gradibus, obligatione Studentium, &c. prout in Mexicana iam expreſſum eſt §. Denique cum ad procurandam: & Cum verò præter.* Quam ordinationem vide ſupra Pro Prouincia S. Iacobi de Mexico num. 22.

2 Ordinationes pro regularis obſeruantię incremento à P. Prouinciali F. Franciſco de la Cruz, fuere in Valentinis Generalibus Comitijs confirmatę ann. 1647. *Confirmamus ordinationes factas ab Ad. R. P. Prouinciali Magiſtro F. Franciſco de la Cruz, & datas in Doctrina S. Dominici de Guari die 15. Martij 1646.*

3 Prouinciales terminato proprio regimine, ſuę adminiſtrationis iudicium ſubire, & de omnibus datis, atque acceptatis rationem reddere tenentur. Valentię 1647. *Pro hac Prouincia confirmamus ordinationem Capituli Valentini 1596. prout habetur in Gloſs. Conſtit. diſt. 2. cap. 3. §. 12. litt. K. in qua ſtatuitur, vt Prouinciales finito officio ſui regiminis debeant ſubire iudicium ſuæ adminiſtrationis, prout latius ibidem continetur. Volentes inſuper, vt executioni mandetur id, quod in Conſtitut. habetur diſt. 1. cap. 14. §. 5. litt. K, ſcilicet quod Prouinciales reddant Diffinitoribus Capituli Prouincialis rationem rerum omnium, quas habuerunt, ſiuè ad officium, ſiuè ad perſonas eorum ſpectent.* Pręfatas autem ordinationes vide in pr. parte De Prioribus Prouincial. num. 55. & 57. vbi licet prior ordinario de ſui regiminis iudicio ſubeundo reuocata aſſeratur Romæ 1601. reuocat. 4. tamen cum in hoc Capitulo ſpecialiter

pro

prò hac Prouincia ſit ſtabilita, in eadem erit quoque ſpecialiter obſeruanda.

4 Narratiuæ litterarum patentim examen eorum, qui ad gradus promouentur, ad duodecim antiquiores Magiſtros in aliquo ex Conuentibus exiſtentes pertinet. Valentiæ 1647. *Ordinamus, vt examen narratiuæ litterarum patentium eorum, qui ad aliquem gradum promouentur, pertineat ad duodecim Magiſtros antiquiores exiſtentes in aliquo ex Conuentibus, vel Collegio Ciuitatis Limenſis.*

5 Collegium S. Ludouici Limæ ſub immediata Magiſtri Ord. cura exiſtit ex decreto Capit. Valentini 1647. *Sub immediata cura Magiſtri Ord. reponimus Collegium S. Ludouici Limæ, volentes quòd Prouincialis, vt delegatus eiuſdem Magiſtri Ord. illud viſitet duabus vicibus in ſuo quadriennio; ſed ita tamen vt infra ſpatium octo dierum viſitationem terminare teneatur, & his tranſactis, expiret eius authoritas.*

6 Ad præfatum Collegium, Prouinciæ de Chile, & de Quito duos Studentes mittere poſſunt. Valentiæ 1647. *Concedimus Prouincijs de Chile, & de Quito, vt quælibet earum poſſit mittere duos Studentes ad dictum Collegium, ſed ita tamen vt illæ Prouinciæ teneantur ad ſoluendas expenſas pro victu, & ſuſtentatione dictorum Studentium.*

7 Libros imprimendi facultatem concedere poſſunt Prouinciales. Valentiæ 1647. *Concedimus licentiam P. Prouinciali dictæ Prouinciæ pro tempore exiſtenti vt poſſit Fratribus ſuæ Prouinciæ concedere licentiam vt ſeruatis ſeruandis poſſint in lucem edere ſcripta eorum, ſaluis ſemper ordinatis in confirmatione tertia præſentis Capituli.* Quæ autem in prædicta confirmatione fuerint ſancita, habes in Indice primæ partis §. *Libri Imprimendi* in fine.

8 Qui ſtudiorum curſum non abſoluerint, in Priores, Prædicatores Generales, ſeu Doctrinarium ſunt ineligibiles. Romæ 1644. *Ordinamus ne quis Fratrum huius Prouinciæ in Priorem, doctrinarium, ſiue Prædicatorem Generalem aſſumi poſſit, qui ſua ſtudia completè non abſoluerit.*

9 Studentes Conuentus de Tima lectiones Cathedraticorum frequentent. Romæ 1644. *Mouemus R.P. Priorem Conuentus noſtri Sanctiſs. Roſarij de Tima, vt curet quatenus omnes Fratres Theologiæ Studentes, ſaltem primi noſtri Cathedratici in Vniuerſitate lectionem frequentent: Ad Lectiones autem cæterorum Cathedraticorum (ſi quæ fuerint) media eorundem Studentium pars accedere teneatur.*

10 Cathedratici Ciuitatis de Lima poſſunt ibidem in Priores eligi. Romæ 1644. *Cum circa noſtros in Vniuerſitate Limenſi publicos Cathedraticos, dubitatum fuerit in dicta noſtra Prouincia, num ad Prioratum Conuentuum noſtrorum intra eandem Vrbem aſſumi poſſint, decernimus ac declaramus eoſdem Patres Cathedraticos vtique eligi poſſe in Priores dictorum Conuentuum, non obſtante moderatione ſuarum Cathedrarum.*

11 Nullus in Studentium Magiſtrum aſſumatur, qui Artium curſum non legerit; neque in Lectorem, niſi per duos annos Magiſtri Studentium munus exercuerit. Romæ 1644. *Ordinamus, vt nullus poſſit promoueri ad Magiſtrum Studentium qui prius curſum Artium non perlegerit; neque in Lectorem Theologiæ, qui per duos annos officio Magiſtri Studentium non functus fuerit.*

12 In Romano autem Generaliſſimo Capitulo 1644. ſupradicto circa præfatas ordinationes in eodem Capitulo ſancitas ita vltimo loco ſubditur. *Supradicta omnia pro hac Prouincia diſpoſita intelligimus, ac intelligi volumus, dummodo non contrarientur alijs ordinationibus ac diſpoſitionibus vltimò circa hanc Prouinciam factis per Reuerendiſs. P. F. Nicolaum Rodulphium, quibus omnino has conceſſiones, ac diſpoſitiones cupimus per omnia conformari, niſi in quantum placuerit Reuerendiſſimo aliter diſpenſare, quod eius prudentiæ omnino remittimus.*

13 Prouincialis cum Diffinitoribus, vel cum PP. à Conſilijs poteſt quaſcumque dubietates ex Capitulorum Generalium, vel Magiſtri Ord. ordinationibus promanantes declarare. Romæ 1629. *Confirmamus, & ampliamus pro iſta Prouincia ordinationem olim factam pro Prouincia Mexicana Romæ 1580., conceſſione xx.* (quam ſupra Pro eadem Mexicana Prouincia num. 35. retulimus) *quòd ſcilicet Prouinciales, & Diffinitores Capituli, vel ipſe Prouincialis vna cum Patribus à Conſilijs S. Dominici de Mexico dubitationes, quæ ex ordinationibus Capitulorum Generalium, vel Magiſtri Ord. ſuboriri poſſent, reſoluere, interpretari, & declarare valeant, dummodo eidem Magiſtro Ord. ſupra eiſdem difficultatibus quam primùm ſcribant, & vſque ad eius reſponſum, ſeu ſecundam inuiſſionem ſecuri in conſcientia permaneant. Volumus tamen vt huiuſmodi Congregatio Patrum in Ciuitate Limenſi cum Priore, & Patribus à conſilijs SS. Roſarij, & S. Mariæ Magdalenæ à Prouinciali fieri poſſit.*

14 Fratres Conuerſi poſt ſuæ probationis annum profeſſionem emittere poſſunt. Romæ 1629. *Concedimus huic Prouinciæ ob penuriam Fratrum Conuerſorum, vt Conuerſi poſt annum ſuæ probationis poſſint emittere ſolemnem profeſſionem, ſeruatis ſeruandis; quibuſcumque ordinationibus Capitulorum Generalium in contrarium non obſtantibus.*

15 Vt Magiſtri in hac Prouincia eſſent ſex, & Baccalaurei totidem, & Prædicatores Generales quatuor, decretum fuerat in Romanis Capitulis 1583. & 1589. vt ſupra Pro Prouin-

uincia Toloſana retulimus num. 26. Et Venetijs 1592. conceſſę fuere duę Pręſentaturę pro duobus Prędicatoribus, qui per decennium prędicauerint. Ita enim conceſs. 5. habetur. *Concedimus quod ſupra numerum Baccalaureorum taxatum in Capitulo Generali proximè prateriito* (ſcilicet Romano 1589.) *pro eadem Prouincia poſſint dari dua Praſentatura duobus Pradicatoribus, qui per decennium adminus in pradicandi officio pro animarum ſalute procuranda ſollicitè ſe exercuerint; qui tamen ad Magiſterij gradum neutiquam promoueri poſtea debebunt.* Veruntamen poſtea in Generalibus Comitijs Romę 1608. Magiſtrorum numerus ad denarium; Pręſentatorum titulo Lectoratus ad duodenarium; titulo verò prędicationis ad quaternarium fuit auctus. *Augemus numerum Magiſtrorum ad denarium, Præſentatorum verò ad titulum Lectoratus ad duodenarium, Præſentatorum autem ad titulum pradicationis ad quaternarium.* Romę tandem ann. 1629. prędatus Graduatorum numerus ita fuit immutatus. *Extendimus numerum Præſentatorum ad titulum Pradicationis vſque ad ſenarium.* Et ibidem immediatè ſubditur. *Extendimus numerum Magiſtrorum huius Prouincia ad duodenarium, eidemq; concedimus octo Pradicatores Generales ad titulum linguarum Indorum.* Romę deinde 1650. bina Graduatorum loca pro Lectoribus vernacularum linguarum, quas vocant *la Quichoa*, & *la Aymara* fuerunt ſuperaddita, prout hic ſupra num. 1 retulimus.

16 Ordinationes pro hac Prouincia à Magiſtro Ord. P. F. Seraphino Sicco editæ, fuere confirmatæ Toloſæ 1628. *Ad petitionem Prouincia confirmamus ordinationes Reuerendiſs. P. N. Generalis, inſertas Actis Capituli Prouincialis in hac Prouincia celebrati anno ſuperiori 1625. in Ciuitate Cuzquenſi.*

17 Collegij S. Ludouici fundatio fuit confirmata Toloſæ 1628. *Confirmamus fundationem Collegij S. Ludouici, ſeruatis ſeruandis.*

18 Fratrum proceſſus in Prouinciæ Archiuio ſeruentur. Toloſæ 1628. *Proceſſus Fratrum, etiam à Commiſſarijs, & Viſitatoribus confecti, ſeruentur in Archiuio Prouincia; & ſi neceſſe ſit, copia tantum authentica inde auferri poſſint.*

19 Nouitij vſque ad Sacerdotium in Nouitiatu permaneant. Toloſæ 1628. *Nouitij vſque ad Sacerdotium maneant in Nouitiatu ſub cura Magiſtri, & nulla ratione cum alijs conuerſentur.*

20 Si in Prouincialis electione aliquod dubium circa validitatem electionis occurrat, PP. Prouinciæ, Magiſtri, Præſentati, & Diffinitores definiant quid ſit faciẽdum. Toloſę 1628. *Concedimus huic Prouincia id quod aliàs Prouincia de Quito conceſſum fuit, nempe vt ſi fuerit aliquod dubium circa electionem Prouincialis, vel quod non ſit ritè facta, & ſecundum ius; ad euitanda ſcandala, Patres Prouincia, Magiſtri, & Praſentati, cum Diffinitoribus determinent, & diffiniant quid ſit faciendum. In qua Congregatione praſidebit antiquior Diffinitor in profeſſione; ipſe autem Prouincialis electus non intrabit cum pradictis Patribus ad Conſilium; & quidquid ipſi diffinierint, ſcilicet vel quod maneat electus, vel quod procedatur ad aliam electionem, pro rato habeatur, & inuiolabiliter obſeruetur vſque dum ad Reuerendiſſimum mittatur decretum electionis, & factus ſit certior de omnibus, eiuſque reſponſum habeatur.*

21 In Conuentibus S. Roſarij de Lima, S. Dominici de Cuſco, S. Dominici de Chuquiſaca, S. Dominici de Potoſi, & S. Mariæ Magdalenæ de Lima, Filij Prouinciæ præcipuè in Priores eligantur. Vlyſſiponæ 1618. *Concedimus vt in Conuentibus S. Roſarij de Lima, S. Dominici de Cuſco, S. Dominici de Chuquiſaca, & S. Dominici de Potoſi, & S. Maria Magdalena de Lima, pracipuè filij Prouincia in Priores eligantur.*

22 Qui ex Mauris Iudæis, atque hæreticis conuertuntur, ad Ordinem non recipiantur. Vlyſſiponæ 1618. *Item ordinamus ad petitionem Prouincia quod in ea nequaquam recipiantur ad habitum, neque Clericalem, neque Laicorum, qui ex Mauris, hareticis, atque Iudais, vſque ad quartam generationem originem traxerint, neque qui vulgo mulatos, & meſtizos nuncupantur, ſicuti neque qui per Sanctiſs. Inquiſitionis tribunal abiuratione formali reconciliati fuerint.*

23 Synodorum dimidium ſingulis annis inueſtiatur. Vlyſſiponæ 1618. *Confirmamus ordinationem Capituli Generalis Valliſoletani, vt ſcil. ſingulis annis dimidium Synodorum inueſtiatur, & expendatur ad poſſeſſiones, vel cenſus perpetuos emendos pro ſuſtentatione Conuentuum.*

24 Magiſtri Ord. Commiſſarij ſuę inſtitutionis litteras in Conuentu Limenſi prius oſtendant ante quam tale munus exerceant. Vlyſſiponæ 1618. *Mandamus (inſtante Prouincia) quòd Commiſſarij, qui à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. mittentur, antequam ſua auctoritatis actum vllum exerceant, in Conuentu de Lima litteras ſua commiſſionis publicare teneantur.*

25 Per Prouinciam ſine licentia diſcurrentes omnibus collectis eleemoſynis priuentur. Vlyſſiponæ 1618. *Decernimus, vt qui ſine licentia per Prouinciam vagantes reperti fuerint, omnibus eleemoſynis, quas intra terminos huius Prouincia collegerint, à P. Prouinciali priuentur, & Conuentibus tenuioribus applicentur.*

26 Nullus Luſitanus, non præhabita de puritate ſanguinis inquiſitione, ad habitum recipiatur in hac Prouincia. Vlyſſiponę 1618. *Confirmamus ordinationem ſape factam quòd nullus Luſitanus ad habitum recipiatur, niſi prahabito à P. Prouinciali noſtra Prouincia Portugallia*

le-

legitimo teſtimonio de puritate ſanguinis.

27 Prouincialium actualium germani Fratres in Hiſpaniam in Procuratores, ſeu Diffinitores non mittantur. Vlyſſiponæ 1618. *Prohibemus ne Fratres carnales, & germani actualium Prouincialium in Hiſpaniam titulo Procuratorum, vel Diffinitores Generalis Capituli mittantur*.

28 Contributionum, P. Prouinciali perſoluendarum, taxa obſeruetur. Romę 1608. *Confirmamus taxam factam in Capitulo Prouinciali Limenſi de contributionibus reddendis R. Ad. P. Prouinciali ob viſitationem Prouinciæ; quæ ſanè ſint moderata, vt Prælatum religioſum decet, nec vllo pacto augeantur*.

29 Conuentus S. Dominici Ciuitatis de la Plata fuit in Generale Studium erectum Romę 1608. *Inſtituimus, & erigimus in Studium Generale, ſeu Vniuerſitatem Conuentum noſtrum S. Dominici Ciuitatis de la Plata in Prouincia Charcarum, cum omnibus priuilegijs, & gratijs, quibus alia Studia Generalia eiuſdem Prouinciæ Peruanæ potiri conſueuere*.

30 Prouincialis ſibi ſubditos in Magiſtros pro Cathedris conſequendis promouere poteſt. Romæ 1580. conceſs. 22. *Concedimus in Prouincia S. Io: Baptiſtæ del Perù R. Prouinciali, qui pro tempore fuerit, vt poſſit promouere Fratres ſuæ Prouinciæ idoneos in Magiſtros, non quidem Prouinciæ, aut Ordinis, ſed pro cathedris dumtaxat obtinendis, & regendis in Vniuerſitatibus regionis illius; qui tamen nullo Magiſtrorum priuilegio in noſtro Ordine interim gaudeant, niſi vt poſſint cathedras illas obtinere, & regere*.

31 Alternatiua in Prouincialium electione ita fuit mandata Romæ 1571. ordinat. 21. *Item ordinamus quod deinceps in Prouincia S. Io: Baptiſtæ del Perù in Prouinciales alternis vicibus aſſumantur filij aliarum Prouinciarum: declarantes quod prima electio Prouincialis futura ſit de filijs aliarum Prouinciarum, ſiuè præſentibus, ſiuè abſentibus; ſecunda verò ſit de filijs eiuſdem Prouinciæ; tertia rurſum de extraneis, & ſic ſucceſſiuè alternent in futurum. Quod ſi aliter electio fiat; ex vi præſentis ſtatuti irrita cenſeatur, abſq; Mag. Ord. ſpeciali conceſſione*. Quod de verbo ad verbum fuit in ſequenti Barcinonenſi Capitulo 1574. in confirmatione 34. confirmatum.

32 Ab hac Prouincia non recedat Prouincialis abſque Diffinitorum, ſeu decem primorum Patrum eiuſdem conſenſu, ſub pœna abſolutionis à ſuo munere. Romæ 1571. ordinatione 15. *Item ordinamus, & præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. obedientiæ Prouincialibus pro tempore exiſtentibus in Prouincia S. Io: Baptiſtæ del Perù, ne à Prouincia recedant ſine conſenſu Diffinitorum, vel x. primorum Patrum ſuæ Prouinciæ; quam in ſcriptis accipiant, ſed eam concedere nõ poſſint, niſi prius rationem reddant ſuæ adminiſtrationis. Quod ſi contrarium fecerint, pœnam abſolutionis à ſuis officijs ipſo facto incurrant*. Quod ſub eiſdem verbis fuit Barcinonæ 1574. in conf. 28. confirmatum.

33 Congregatio loco Capituli intermedij habeatur. Venetijs 1592. conceſs. 5. *Concedimus Prouinciæ S. Io: Baptiſtæ del Perù ad eius petitionem quod propter diſtantiam Conuentuum, & expenſas maximas, incommoditateſque itinerum Congregatio loco Capituli intermedij celebrari poſſit; modo ab eademmet Prouincia in proximè futuro Prouinciali Capitulo matura cum Diffinitoribus, & alijs grauioribus Patribus habita deliberatione, ſtatuendo, quem & ſignificare Reuerendiſs. P. Generali quamprimum teneantur, eiuſmodi approbationem ab eo habitura*.

PRO PROVINC. S. VINCENTII DE CHIAPPA.

XXX.

S. Vincentij Prouincia à Mexicana exordium ſumens, ab eadem ſeiuncta, atque in peculiarem Prouinciam erecta fuit in Salmantino Generali Capitulo anno MDLI. celebrato, eidem proprijs terminis, atque primo Prouinciali Priore P. F. Thoma de Turre (prout copioſè ſupra Pro Prouincia S. Crucis enarrauimus) conſtitutis.

Pro optimo huius Prouinciæ regimine ſequentia in pluribus Capitulis fuere ſancita.

1 Prouinciales grauiter delinquentes, à Patribus in intermedijs Congregationibus congregati à ſuo munere ſuſpendi poſſunt. Romæ 1650. *Item concedimus Congregationi intermediæ huius Prouinciæ id., quod pro correctione Prouincialis conceſſum fuit Capitulo intermedio ſiue Congregationi intermediæ Prouinciæ Mexicanæ; ſic tamen vt ad eam Congregationem intermediam non addantur plures Fratres, quam qui de iure ad eam pertinent*. Præfatam autem con-

ceſſionem vide ſupra Pro Prouincia S. Iacobi de Mexico num. 29.

2 Congregationes intermediæ non omittantur. Valentiæ 1647. *Ordinamus vt Congregatio intermedia omnino fie i debeat, nec poſſit à Prouinciali prætermitti; quæ Congregatio eandem in omnibus auctoritatem habebit, quam ſolebat habere Capitulum intermedium, maximè circa correctionem Prouincialis. Volentes quòd deputentur illi, qui ad dictam Congregationem debent pertinere, ita vt non ſit liberum Prouinciali vocare hos, vel illos, ſed ſemel deputetur numerus, & perſonæ, quibus competere debeat ad dictam Congregationem pertinere, & his tantùm impoſterum competat habere vocem in dicta Congregatione. Huius verò numeri, & perſonarum deſignationem committimus P. Prouinciali, & duodecim PP. Prouinciæ antiquioribus, quibus mandamus, vt citius præfatum numerum, & perſonas deſignent, quatenus in proxima futura Congregatione, quod modò ordinatur, poſſit exerceri.*

3 Prouinciales completo proprio munere ſui regiminis iudicium ſubire teneantur. Valentiæ 1647. *Pro hac Prouincia confirmamus ordinationem Capituli Valentini 1596. prout habetur in Gloſſ. Conſtit. diſt. 2. cap. 3. §. 3. litt. K. & in qua ſtatuitur, vt Prouincialis finito officio ſui regiminis, debeat ſubire iudicium ſuæ administrationis, prout latius ibidem continetur. Volentes inſuper, vt executioni mandetur id, quod habetur in Conſtit. diſt. 1. cap. 14. §. 5. litt. K. ſcilicet quòd Prouinciales Diffinitoribus Capituli Prouincialis reddant rationem rerum omnium, quas habuerunt, ſiue ad officium, ſiue ad perſonas eorum ſpectent.*

4 Prouinciales Prioribus ſuorum Conuentuum regimen liberum relinquant. Valentiæ 1647. *Ordinamus quod Prouinciales liberum exercitium ſuorum officiorum permittant Prioribus, præcipuè principaliorum Conuentuum, tam in temporalibus, quam in temporalibus; nec ſe intromittant in promouendis, vel amouendis officialibus, Vicarijs villarum, ſeu adminiſtratoribus bonorum quorumcumque; & ſi aliquando graues defectus prædictorum officialium exigant, vt ab officio deponantur, præcipiatur hoc Priori, ad quem vlterius pertinebit de alio, vel alijs officialibus prouidere.*

5 Non vtantur Prouinciales priuilegio *Omnimodæ* ad diſpenſandum cum Fratribus ſuper ſtatutum tempus ſuſceptionis Ordinum. Valentiæ 1647. *Prohibemus, quantum in nobis eſt, ne Prouinciales in hac Prouincia poſſint vti priuilegio* Omnimodæ, *ad diſpenſandum cum Fratribus in hoc quod ante tempus præſcriptum à iure poſſint ad aliquem ex ſacris Ordinibus promoueri; cum huius diſpenſationis non ſit neceſſitas in Prouincia iſta.*

7 Neque electiones caſſare poſſunt ſine grauiorum Patrum Prouinciæ conſilio. Valentiæ 1647. *Ordinamus quod Prouincialis non poſſit aliquam electionem caſſare, vel confirmare, niſi in Conuentibus præcipuis, vel niſi ad ſe vocatis Patribus grauioribus Prouinciæ.*

8 Neque aliquem ad habitum ipſi, alicuius Conuentus nomine, niſi in illo fuerit acceptatus, recipere poſſunt. Valentiæ 1647. *Declaramus quod Prouincialis non poteſt aliquem nomine alicuius Conuentus recipere ad habitum, vel profeſſionem, niſi ſuppoſito, & habito conſenſu Capituli eius Conuentus, nomine cuius ille ad habitum, vel profeſſionem recipitur.*

9 PP. Conuentus Guatimalæ ineptos ad Ordinem, caueant ne recipiant. Valentię 1647. *Admonemus P. Prouincialem, Priorem, & Patres Guatimalæ, vt attendentes quæ per fæl. recordat. Clementis VIII. & noſtras Conſtitutiones ſancita ſunt circa recipiendos ad habitum, ineptos non admittant, nec ob priuatas cauſas huic vel illi fauentes minus idoneos approbent.*

10 In prædicto Conuentu nullus in Priorem aſſumatur, qui non ſit Pater Prouinciæ, vel Theologiæ Lector non extiterit. Valentiæ 1647. *Ordinamus vt in Conuentu Guatimalæ nullus poſſit eligi in Priorem, qui vel non ſit Pater Prouinciæ, vel Theologiæ curſum non legerit.*

11 Exponendi pro ſacris confeſſionibus tribus vicibus examinentur. Valentiæ 1647. *Inhærentes ijs, quæ in communi ſancita ſunt de examine Confeſſariorum, ſtatuimus quod impoſterum nullus exponatur ad confeſſiones audiendas, niſi prima vice fuerit examinatus, & approbatus in Conuentu Guatimalæ, alijs autem duabus vicibus, vel in Conuentu Guatimalæ, vel in Conuentu Ciuitatis Realis de Chiappa, in quo Capitulum Prouinciale deſignabit quinque examinatores ex doctioribus Patribus exiſtentibus, vel ibi, vel in Conuentibus propinquis, ſicque res ordinabitur, vt examen fiat, vel tempore viſitationis P. Prouincialis, vel alio certo, & ſtatuto tempore, & vſque ad hoc tempus durabunt licentiæ præcedentes pro audiendis confeſſionibus obtentæ, vſque quo examinatus in tertio examine, de triennio in triennium habendo, fuerit ſimpliciter approbatus.*

12 PP. Vicariatus de Otzolam fuere voce in electione Prioris de Chiappa priuati. Valentiæ 1647. *Cum contingat ob maximam diſtantiam quòd Patres Vicariatus de Otzolol am occaſione eligendi Priorem in Conuentu de Chiappa, relinquant Indos ſine Sacerdote Sacramentorum miniſtro cum periculo graui, & damno illorum, præſenti ſtatuto priuamus eos voce in electionibus habendis in præfato Conuentu: magis enim præſtat, vt electiones ſine ipſis fiant, quàm quod populi eorum curę commiſſi, derelinquantur.*

13 Tantum illi ad Conuentuum electiones admittantur, qui bona fide in illis ſunt aſſignati. Valentiæ 1647. *Declaramus in electionibus illos ſolos poſſe admitti ad præſtandum ſuffragium, qui in Conuentu realiter, & bona fide ſunt aſſignati, iuxta formam à legibus noſtris inſti-*

ſtitutum; nec litere vocalibus, etiam omnibus conſentientibus, aliquem non aſſignatum, vt ſupra, inter vocales recipere, & ad electionem admittere. Vide de hac re in p. par. de Elect. Prioris Conuent. num. 23.

14 Dominica prima poſt Octauam Epiphaniæ Prouinciale Capitulũ celebretur, Prouincialeſque vſque ad illud tempus in ſuo officio permanere debent. Valentiæ 1647. *Confirmamus, & ordinamus quòd tempus celebrationis Capituli Prouincialis ſit Dominica prima poſt Octauam Epiphaniæ, & quod Prouincialis ſemper duret vſque ad illud tempus; nec prius eius auctoritas expiret, niſi quando inſtante Diffinitorum electione ipſe vltimum vale dicit Prouinciæ. Quod ſi contingat Prouincialatum vacare per mortem, vel amotionem Prouincialis, in hoc caſu Vicarius Prouinciæ ſtatim intimabit noui Prouincialis electionem*.

15 Pro Indorum Confeſſionibus ſuſcipiẽdis non admittantur indifferenter quicumque. Valentiæ 1647. *Ordinamus vt Confeſſarij pro Indis adminus ſemel examinentur, nec indifferenter quicumque admittantur*.

16 Gradus Magiſterij, atque Præſentaturæ Prædicationis titulo, fuere ab hac Prouincia eliminati Valentiæ 1647. *Ne gradus in hac Prouincia multiplicentur, tollimus, & remouemus gradus Magiſterij, & Præſentaturæ titulo prædicationis*.

17 Caueant huius Prouinciæ Fratres ne ad exteros fauores pro Doctrinis, & quibuſcunque alijs obtinendis recurrant. Romæ 1629. *Ordinamus, & omnino prohibemus ſub cenſuris, & pœnis in Bullis Gregorij XIII.* (prout retulimus in p. parte de Fauorib. extraneorum num. 3.) *Clementis VIII. & Pauli V. contra Fratres, qui per emendicatos fauores perſonarum extra noſtri Ord. obedientiam conſtitutarum, gratias, fauores, & officia impetrare ſtudent, ne quis Fratrum huius Prouinciæ, precibus, muneribus, vel alijs medijs quibuſcunque perſonarum extra obedientiam Ord. conſtitutarum, fauorem, vel opem implorare, ijſdemque doctrinas apud Indos, vel per ſe, vel per alios obtinere ſtudeat: nec in eiſdem doctrinis huiuſmodi via obtentis perſeuerare audeat, aut à P. Prouinciali in eis perſeuerare permittatur: ſed ad nutum eiuſdem Prouincialis, eiuſque libitum, ſtatim ſe nouerint tali officio priuandos*.

18 S. Dominici de Guatimala Conuentus fuit in Generale Studium erectus Romæ 1629. *Inſtituimus, erigimuſque in Studium Generale huius Prouinciæ Conuentum S. Dominici de Guatimala, cum omnibus gratijs, & priuilegijs conſuetis; præcipientes P. Prouinciali præſenti, & pro tempore, vt huiuſmodi Studij Moderatores ingenio, & doctrina præſtantiores inſtituat*.

19 Hiſpani Fratres, qui per decennium cum Magiſtri Ord. aſſignatione in hac Prouincia manſerint, ad eam translati cenſeãtur. Toloſæ 1628. *Concedimus vt Fratres Hiſpani, qui per decennium cum aſſignatione Reuerendiſs. Magiſtri Ord. in hac Prouincia permanſerint, cenſeantur in eam translati, & incorporati*.

20 Graduatorum numerus in hac Prouincia, ita fuit Romæ 1589. ſancitus, vt Magiſtri quatuor, & Præſentati ſex eſſent, prout Pro Prouincia Toloſana num. 26. retulimus. Romæ autem 1629. additi fuere quatuor Generales Prædicatores ad titulum linguarum Indorum. *Concedimus huic Prouinciæ, vt impoſterum habeat quatuor Prædicatores Generales ad titulum linguarum Indorum; dummodo tamen peritiores, & perſeuerantiores in tali munere præferantur, & non aliter*. Et Romæ 1644. ita fuit huic Prouinciæ conceſſum. *Concedimus huic Prouinciæ, vt impoſterum queat habere gradus, tam Baccalaureatus, quam Magiſterij ad quos, & ante hac deſtituti, poſſint reſtitui, nec non, & alij promoueri, ſeruatis ſeruandis. Quodque Prouincia vtens iure ſuo antiquo proponere poſſit Reuerendiſs. Magiſtro Ord. ad lecturam ſententiarum; & ipſe Regens in Capitulo Prouinciali deſignatus, atque à Reuerendiſs. P. Generali approbatus, & confirmatus, legat pro forma, & gradu Magiſterij*. Valentiæ verò 1647. ita fuit ſancitum. *Ne gradus in hac Prouincia multiplicentur, tollimus, & remouemus gradus Magiſterij, & Præſentaturæ titulo Prædicationis*.

21 Vt annuos redditus in Hiſpaniarum partibus emere poſſit pro Fratrum, qui ad eos tranſire debent, ſuſtentatione, & viatico, conceſſum eidem fuit Valentiæ 1596. conceſs. 8. *Concedimus Prouinciæ S. Vincentij de Chiappa quod poſſit annuos redditus emere in partibus Hiſpaniarum, vt quotannis numerum Fratrum conuenientem ad illam Prouinciam ex eiſdem partibus traducere poſſit pro Indorum ſalute procuranda, & regulari obſeruantia conſeruanda*.

22 Alternatiua in electione Prouincialis Apoſtolica auctoritate eſt ſancita ab Vrbano VIII. prout fuit denunciatum Romæ 1644. *Denunciamus emanaſſe Breue Apoſtolicum ſub die 7. Aprilis 1643. circa alternatiuam Prouincialatus inter PP. Hiſpanos, & Criolos; quod quidem iuxta ſuum tenorem executioni demandari præcipimus, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque*.

23 Capituli Prouincialis Acta ſub die 8. Nou. 1642. celebrati fuere, Romæ 1644. ita confirmata. *Approbamus Acta Capituli Prouincialis in hac Prouincia celebrati ſub die 8. Nouembris 1642. excepto articulo conceſſionis diſpenſationum ijs Lectoribus, qui ſuas lecturas peregiſſent; cum iam talibus liceat ad gradus promoueri*.

24 Feria 4. non impedita, de S. Vincentio Ferrerio fiat in hac Prouincia Officium ex conceſſione Generaliſs. Capituli Romani 1644. *Concedimus, vt in omni fer. 4. non impedita fiat*

fiat officium de S. Vincentio Ferrerio in omnibns Conuentibus, dempto Guatemalenſi, vbi ratione Study Generalis fieri debet de S. Thoma.

25 Ordinationes omnes pro hac Prouincia, tam à Capitulo Generali Valentino 1647. quam à Magiſtro Ord. P. F. Thoma Turco factę fuere in hunc modum Romæ 1650. confirmatæ. *Confirmamus omnia, quæ pro bono regimine huius Prouinciæ ordinata fuernnt in proximo Capitulo Valentino, quæ ſeorſim Reuerendiſſimus P. F. Thoma Turcus pro eadem diſpoſuit, ſicut & illa omnia, quæ idem R. P. F. Raymundo Peramato dictæ Prouinciæ procuratori per ſuas patentes litteras, ſeu commiſit, ſeu conceſſit, ſpecialiter quoad conductionem Fratrum ex Hiſpania ad præfatam Prouinciam. Quæ vniuerſa, ac ſingula quoad opus eſt denuo concedimus, committimus, & ordinamus.*

PRO PROVINCIA S. ANTONINI. XXXI.

PEruanæ Prouinciæ filia eſt hæc S. Antonini de Nouo Regno, quæ in peculiarem Congregationem, cum dependentia tamen ab eadem Prouincia, in Salmantino Generali Capitulo anno MDLI. celebrato, fuit erecta, conſtitutis eidem pro terminis Regnis de Granata, & de Popayan, vſque ad Prouinciam de Quito, atque alijs, inſtituto eiuſdem primo Vicario P. F. Petro Miranda, ſicut ſupra Pro Prouincia S. Crucis fuſius retulimus. Poſtea verò in Generali Capitulo, Auenione 1571. celebrato, Magiſtro Ord. P. F. Vincentio Iuſtiniano huius à Peruana totalis diuiſio, atque in nouam Prouinciam erectio, fuit in hunc modum demandata commiſ. 2. *Committimus Reuerendiſſ. Magiſtro Ord. vt prouideat Prouinciæ S. Antonini de Nouo Regno de Prouinciali, qui eam regat per ſe abſque dependentia ad Prouinciam S. Io: Baptiſtæ del Perù: declarantes eandem Prouinciam S. Antonini in omnibus, & per omnia ab præfata Prouincia S. Io: Baptiſtæ ſeparatam.*

Pro fœlici huius Prouinciæ regimine, & conſeruatione, ſequentia in Generalibus Capitulis fuere ſancita.

1 Bina Graduatorum loca, vnum ſcilicet Magiſterium, atque vna Præſentatura pro lectione, titulo linguæ Indicæ fuere huic Prouinciæ conceſſa Romæ 1650. *Ordinamus pro hac Prouincia ad confirmandum, magiſque accendendum Studium linguæ Indicæ ibidem communioris illud ipſum quod ſupra in ordinationibus Prouinciæ Mexicanæ* §. Denique cum ad procurrandum, & §. Cum verò preter. *expreſſimus, cum ipſis in Canonibus, ac gratys Profeſſorum, obligatione Studentium, forma, gradu, conditionibus, &c.* Præfatam ordinationem vide ſupra Pro Prouincia Mexicana num. 22.

2 Studiorum officia diuerſis Fratribus conferantur. Romæ 1650. *Ad abolendos abuſus, & conſeruandas ſtudiorum formalitates, ordinamus, & diſtrictè præcipimus, quòd ſingula omnia, & officia ſtudy in ſingulas diſtribuantur perſonas, ita vt vnus non adminiſtret ſimul duo officia ſcholæ v.g. Lectionem Artium ſimul cum Magiſterio Studentium, &c. Volentes, ac declarantes, quòd talis combinatio plurium officiorum nullo modo ſuffragari debeat, aut valere ad computandos, ex iſto capite plures annos lecturæ pro gradu, & forma. Prouincialis, verò, qui contra hanc ordinationem plura ſcholæ officia in vna perſona congeſſerit, ipſo facto pœnam ſuſpenſionis ab officio ſuo per ſex menſes incurrat.*

3 Requiſita pro graduandis fuere in hunc modum declarata. Romæ 1650. *Ordinamus, & inuiolabiliter obſeruari volumus quod ad gradum Magiſtery in hac Prouincia obtinendum titulo lectionis, exigantur vniuerſim vndecim anni lectionis; ad gradum Præſentaturæ, integer curſus Artium, vnus annus Magiſtery Studentium, & duo anni lectionis Theologiæ: qui verò titulo prædicationis gradum aliquem ſunt obtenturi, teneantur numerum annorum ſuę prædicationis, quem præfixit olim Reuerendiſſ. P. Rodulphius in ſuis ordinationibus pro hac Prouincia editis, quas quoad hoc innouamus ſub eadem taxa pœnarum in illis contenta, præſertim contra Prouincialem, & Diffinitores, quandocumque præſumpſerint exponere ad gradus, vel eos, qui nondum ad hos iuxta præſcripta ſe habilitauerunt, vel locis actu nondum vacantibus.*

4 Nullus ſit Præſentatus, & Prædicator Gen. ſimul Romæ 1650. *Ne verò impoſterum Patres benemeriti præter fas retardentur ex eo quòd interdum vnus bina graduum loca detinet occupata, retinendo videlicet cum Prædicatura Generali ſimul gradum Præſentaturæ, reuocamus ſuper hoc ordinationem eiuſdem Reuerendiſſimi*

P. Ro-

P. Rodulphij, qua mandatur omnibus huiuſmodi PP. Præſentatis, vt Prædicaturas Generales derelinquant, quatenus in eorum locum vacantem alij à Prouincia poſtulentur. Proinde harum ſerie, ac lege perpetuò valitura ſtatuimus, ac declaramus, huiuſmodi ſimultaneam retentionem amborum graduum iuribus Prouinciæ aduerſari, & ſicubi illa obtenta eſt, vel impoſterum obtinebitur, ſine legitima, & expreſſa dictorum iurium derogatione in patentibus exhibenda, ſubreptitiam fore, ac pro nulla habendam eſſe; ſic tamen vt ſic promotis liberum ſit illum è duobus gradibus retinere, quem maluerint, dummodo intra ſpatium à P. Prouinciali ſibi præfigendum, ſe reſoluant.

5 Doctrinæ nouis annuis penſionibus in cuiuſcumque fauorem aggrauari non poſſunt. Romæ 1650. *Prohibemus diſtrictè AA. RR. PP. Prouincialibus huius Prouinciæ pro tempore, ne quocumque titulo, vel prætextu poſſint onerare doctrinas nouis penſionibus annuis in fauorem cuiuſcumque particularis; ſiue Magiſtri, ſiue Præſentati, Lectoris, &c. Sed quidquid emolumenti ex moderata impoſitione colligi poterit, communibus neceſſitatibus religioſè, ac fideliter impendatur, vt fabricis, tum Eccleſiarum, tum Conuentuum, augmento, & decori cultus diuini, veſtiariæ communi Fratrum, &c. ne dum vnus abundat, alter egeſtatem patiatur.*

6 In graduandis cum omni rigore, quæ in Conſtitutionibus noſtris ſancita ſunt, obſeruentur. Romæ 1644. *Ordinamus, & mandamus ad tollendam omnem confuſionem, & iurgia, quæ inter Fratres oriri ſolent, quod in graduandis ad quemcumque titulum obſeruetur ad vnguem, ſtrictè, & rigurosè Conſtitutio, non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus à quocumque Viſitatore, ſiuè præterito, ſiuè futuro emanatis, vel emanandis.*

7 S. Antonini, & B. Ludouici feſta cum ſolemni Octaua celebrentur. Romæ 1644. *Item ordinamus, & mandamus, quòd feſtum S. Antonini in tota Prouincia, quia eſt Patronus, recitetur cum Octaua ſolemni, & idem præcipimus de feſto S. Ludouici Bertrandi ob ſingularem deuotionem Prouinciæ erga ipſum, qui fuit olim multum tempus in eadem ſimpliciter aſſignatus, functuſque in ipſa aliquibus Religionis officijs.*

8 Conſtitutionibus noſtris non abutantur huius Prouinciæ Fratres, quæ circa ea, quæ ad Vicarij Prouinciæ, ſtante Prouincialis morte, vel amotione, ſpectant, ad vnguem obſeruentur. Romæ 1644. *Item ſtrictè præcipimus, quòd Fratres dictæ noſtræ Prouinciæ non abutantur Conſtitutionibus noſtris, nec aliquid circa illas innouare valeant, præcipuè circa Conſtitutionem, quæ habetur de morte, vel amotione Prouincialis, circa quam declaramus quòd quando Priorem Prouincialem mori, vel amoueri contigerit, Prior illius loci, in quo Capitulum fuerit celebrandum gaudeat poteſtate Vicarij Generalis ſolum iuxta præſcriptum, & ius commune noſtrarum Conſtitutionum, non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus factis à quocumque Viſitatore Prouinciæ.*

9 Prouincialia Capitula in vno Conuentu celebranda, ad alium non transferantur. qui autem contrarium attentauerit per quamcumque perſonam extra Ordinem conſtitutam, actiua, paſſiuaque voce priuetur. Romæ 1644. *Item præcipimus in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ nec non ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, quòd quando Capitulum Prouinciæ à Diffinitorio, vel à R.A.P. Prouinciali de conſilio Patrum iuxta ritum noſtrarum Conſtit. fuerit indictum in aliquem Conuentum, nullus Frater quouis prætextu, aut quæſito colore audeat impetrare auxilium à Præſide illius Curiæ, vel ab aliqua alia perſona extra Religionem adhoc vt ad alium Conuentum transferatur.*

10 Aduenientes Fratres non aſſignentur in hac Prouincia ſine Prouincialis illius Prouinciæ, ad quam ſpectant, conſenſu. Romæ 1644. *Statuimus pro pace, & quiete iſtius noſtræ Prouinciæ ne Fratres aliarum Prouinciarum ad ipſam venientes, aſſignentur in illa, niſi ſuffragante conſenſu R. P. Prouincialis alterius Prouinciæ: quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.*

11 Omnes ordinationes pro Conuentu S. Ioſeph de Cartag. factæ, fuere in hunc modum Romæ 1644. confirmatæ. *Confirmamus omnes ordinationes factas, tam à Capitulis Prouincialibus, quàm à Viſitatoribus circa Conuentum S. Ioſeph de Cartag. in quibus erigitur, & inſtituitur in Studium Generale, quodque omnes Lectores in ipſo legentes legant impoſterum pro forma, & gradu Magiſterij.*

12 S. Thomæ Collegium gratijs, & priuilegijs ceterorum Collegiorum Ordinis gaudet. Romæ 1644. *Denunciamus Collegium noſtrum S. Thomæ in hac noſtra Prouincia eſſe optimè erectum, illudque gaudere omnibus gratijs, & fauoribus, quibus ſolent gaudere, & potiri cætera Collegia noſtræ Regionis; & ſi opus eſt quia in ſummum decus conſurgit, denuo illud inſtituimus, damus, facimus, datum, inſtitutum, & factum decernimus, & declaramus.*

13 Prouincialis Capituli ann. 1643. celebrati Acta fuere in hunc modum Romę 1644. confirmata. *Confirmamus Acta Capituli Prouincialis celebrati die 7. Iunij anni 1643. dempta acceptatione Prioratuũ in Conuentibus Indorum inſtitutorum, & Prædicaturarum Generalium ad titulum dictorum Conuentuum obtentarum, quos, & quas nullius roboris, & momenti eſſe declaramus. Inſuper declaramus prædicta Acta, à nobis confirmata, habere vim ordinationum Capituli Generalis.*

14 Vt Magiſtri in hac Prouincia eſſent quatuor; Præſentati ſex; Prædicatores vero Generales duo, decretum fuerat Romæ 1589.

ſicut Pro Prou. Toloſana num. 26. retulimus. Fuit autem poſtea Romæ 1608. in hunc modum immutatus. *Augemus numerum Magiſtrorum à ſenario vſque ad octonarium, & Præſentatorum à denerio vſque ad duodenarium: Volumuſque vt ex duodecim Præſentatis, quatuor ſint titulo prædicationis, quandoquidem prædicandi munus in ea regione præcipuum inprimis habetur, cum prædicatione verbi Dei plurimi infideles ad Eccleſiam quotidie accedant.* Romæ tandem 1644. præfatorum graduatorum numerus ita fuit ſancitus. *Extendimus in hac noſtra Prouincia numerum tam Magiſtrorum, quam Præſentatorum ad titulum lectionis vſque ad denarium quem deinceps præfigimus tali titulo.* Et ibidem fuit vnum Magiſterium ad prædicationis titulum eidem in hunc modum conceſſum. *Concedimus huic noſtræ Prouinciæ ad petitionem eiuſdem vnum Magiſterium ad titulum Prædicationis pro eximijs verbi Dei concionatoribus, ad quod promouemus R.P. Præſentatum F. Hyacinthum de Figuero huius Capit. Generaliſs. Diffinitorem, ad petitionem Prouinciæ.*

15 Omnes ordinationes à Magiſtro Ord. P. F. Seraphino Sicco factę ſub ann. 1613. & 1618. fuere Vlyſſiponę 1618. ita confirmatę, *Confirmamus omnia ordinata à Reuerendiſſimo P. N. Magiſtro Ord. ſub ann. 1613. & 1618. pro regulari obſeruantia, & regimine huius Prouincię.*

16 Conuentus à Prouincialibus non viſitati, contributiones eiſdem non ſoluant. Vlyſſiponę 1618. *Declaramus Conuentus non teneri ad ſoluendas contributiones P. Prouinciali, niſi perſonaliter illos viſitauerit.*

17 PP. Doctrinarij feſtiuis diebus à Doctriuis non recedant. Vlyſſiponę 1618. *Mandamus PP. Doctrinarijs ne diebus Feſtiuis à ſuis Doctrinis recedant.*

18 Contributiones à Prouinciali, & Diffinitoribus imponendę, ſine exceſſu ſint. Vlyſſiponę 1618. *Imponimus RR. PP. Prouinciali, & Diffinitoribus Capit. Prouincialis vt cum taxa aliqua pro contributionibus fuerit ſtatuenda, id fiat ſine exceſſu, & pro Doctrinarum facultate.*

19 Seuere puniantur extra Prouinciam ſine licentia diſcurrentes. Vlyſſiponę 1618. *Fratres, qui extra Prouinciam ſine licentia diſcurrentes reperti fuerint, ſeuerè puniantur iuxta Capitulorum Generalium ordinations, & ſi Lectores vel Graduati ad eorum petitionem extra Prouinciam fuerint aſſignati, ipſorum loca vacare cenſeantur.*

20 Collegij S. Thomę, & SS. Roſarij in Ciuitate S. Fidei erectio fuit à Generali Pariſienſi 1611. Capitulo in hunc modum approbata. *Approbamus acceptationem Collegij S. Thomę, & SS. Roſarij in Ciuitate S. Fidei erecti à D. Gaſpare Nunnes, cum eiſdem conditionibus, & inſtitutionibus Regentis eiuſdem Collegij quibus à Reuerendiſs. P. Magiſtro Ord.* (erat P. F. Auguſtinus Galaminus, qui eodem anno fuit S. R. E. Cardinalis à Paulo Papa V. creatus) *acceptatum eſt, eaque omnia, & ſingula à Reuerendiſs.* P. *ſua circa hoc decreta, & ordinata confirmamus.*

21 In Vniuerſitatem S. Dominici de Tunia Conuentus fuit Romæ 1608. erectus. *Inſtituimus, & erigimus in Studium Generale, ſeu Vniuerſitatem Conuentum noſtrum S. Dominici de Tunia propter eius commoditatem, & aptitudinem ad alendos Studentes.*

22 Fratres in Doctrinis exiſtentes voce in ſuis Conuentibus, in quibus ſunt aſſignati, gaudent. Valentię 1596. declar. vlt. *Declaramus pro Prouincia S. Antonini de Nouo Regno, conſideratis rationibus coram nobis productis, quòd Fratres, qui apud Indos in doctrinis reperiuntur, vocem habeant in Conuentu, in quo ſunt aſſignati.*

23 Ante quamcunique celebrandam electionem non poſſunt vocales per tres antecedentes menſes voce priuari. Valentię 1596. conceſs. 9. *Concedimus Prouincię S. Antonini de nouo Regno ad illius petitionem, quod nullus pæna priuationis vocis puniri poſſit infra trimeſtre ante quamlibet electionem, præter quam in caſibus in Conſtit. noſtris & ordinationibus Capitulorum Generalium expreſſis.*

24 Prouincialis electus ab antiquiori Diffinitore confirmetur. Romę 1580. conceſs. 23. *Concedimus Prouinciæ S. Antonini de Nouo Regno Indiarum Maris Oceani priuilegia, & gratias, quę, & quas habent Prouinciæ alię de Nouo Regno, videlicet quòd Prouincialis electus ab antiquiore Diffinitore Capituli Prouincialis, in quo eſt electus confirmetur, vel caſſetur.* In antecedenti verò Barchinonenſi Capitulo 1574. ord. 15. mandatum fuerat, vt electus Prouincialis Prouinciam tanquam Vicarius regeret.

25 Domorum Vicarij vocem in Prouincialium electionibus fuere Romę 1580. conceſs. 24. ita conſequuti. *Concedimus eidem* (ſcilicet huic Prouincię) *quod Vicarij domorum deſignati à Capitulo, vel ab ipſo Prouinciali, habeant vocem in electione Prouincialium propter paucitatem Prioratuum, ſicut conceſſum eſt Prouincijs S. Iacobi de Mexico.* Vide ſupra Pro Prou. S. Iacobi de Mexico num. 1.

26 Intermedia Prouincialia Capitula non habeantur. Ita in conceſs. 25. præfati Romani Capituli 1580. ſubditur. *Item concedimus eidem quòd Capitula Prouincialia intermedia prętermittantur, & deinceps celebrentur de quadriennio in quadriennium propter magnam Conuentuum diſtantiam, & Indorum pauperiem. Quòd ſi fortè aliqua de cauſa oportuerit congregari Capitulum, eo caſu Prouincialis cum PP. à Conſilijs vnius, vel duorum Conuentuum, quos ipſe elegerit, tractet, & agat ea, quę tractanda, & agenda ſunt abſque conſenſu, & acceſſu Fratrum Prouincię.*

PRO

PRO PROVINCIA OCCITANA.

XXXII.

GRaſſantibus in Gallia Bellotum præſſuris, impiaq; hęreſi, regularis obſeruãtię viror inter noſtros pallere incepit, & ad excidium quaſi, eadẽ fuit perducta. At quia Dominus humiliat, & ſubleuat, quorũdam ex noſtris ad eandem reparandam corda excitauit, qui in plures eiuſdẽ Regni Conuentus eandem reuocauere; Ex quibus particularis quædam Congregatio coaluit, quę Congregationis Francię Reformatę ſibi nomen primò vendicauit, deinde in Romano Capitulo 1569. Occitanę Prouincię nomen impetrauit. Ita enim in eiuſdem Capituli Actis institut. 6. ſancitum reperitur. *Congregationem Franciæ Reformatam, etiam ad eorum petitionem erigimus in Prouinciam ſub titulo Prouinciæ Occitanæ, extincto Congregationis nomine, cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus cæteræ Ordinis Prouincię gaudent. Declarantes ad illam pertinere omnes, & ſingulos Conuentus, quos hactenus ſub titulo Congregationis poſſedit, & poſſidet, dummodo renuntient proprijs indultis, quibus poſſent prætendere exemptionem ab obedientia Magiſtri Ordinis. Dantes eiſdem facultatem in proximo eorum Capitulo eligendi Priorem Prouincialem, & mittendi decretum ad Reuerendiſs. Generalem pro confirmatione.*

Quia verò cuncta cogitatio humani cordis intenta eſt ad malum omni tempore, occidit heu citò nimis in illa obſeruantię iubar; vnde in Valliſoletano Capitulo 1605. illius reformatio fuit Magiſtro Ordinis in commiſſe 2. demandata, & Henrico IV. Chriſtianiſſimo Rege petente, noua Occitana Congregatio in eadem Prouincia ab Ordinis Magiſtro P.F. Auguſtino Galamino fuit instituta, quę in Generalibus Comitijs Pariſijs anno 1611. congregatis fuit in hunc modum confirmata. *Congregationem noſtram Occitanam Reformatam auctoritate Apoſtolica, ad inſtantiam & petitionem Chriſtianiſſimi Francorum Regis Henrici IV. fel. mem. à Reuerendiſs. P. N. Magiſtro Generali Ordinis erectã, & inſtitutam approbamus & confirmamus, eique perpetuę firmitatis robur adijcimus, nec non & Vicarium eius Generalem R.P. Magiſtrum Fratrem Sebaſtianum Michaelis per litteras eiuſdem Reuerendiſſimi Magiſtri Ord. ipſimet Congregationi præfectum, confirmamus cum eadem auctoritate, & poteſtate ſuper Conuentibus, & Fratribus noſtris in dictis litteris contentis, & expreſſis: Non obſtantib. in cont. quibuſcũque.* Hęc autẽ Congregatio fuit poſtea in Prouinciã Pariſiẽſẽ erecta, vt ſuo loco dicemus.

Pro huius ergo Prouinciæ regimine hæc fuere in Generalibus Capitulis mandata.

1 Toloſanus Conuentus, vel alij ab hac Prouincia ſeparati, ſex huius Prouinciæ Iuuenes alere tenentur. Valentiæ 1647. *Conuentus Toloſanus, vel alij ad Prouincia ſeparati gratis alere tenentur ſex Fratres huius Prouinciæ, vel in Nouitiatu non profeſſos, vel in ſtudijs profeſſos, eique de neceſſarijs prouidere, & hoc ſub pœna abſolutionis ab officio Prioribus Conuentuum, ad quos à Prouinciali Toloſano mittentur, & Nouitiatus S. Germani Pariſienſis, quatuor.*

2 Anicienſis, & Auxenſis Conuentus fuere in Theologiæ, & S. Scripturę Studia electi Valentię 1647. *Damus Conuentum Anicienſem, & Auxenſem in Studia Theologiæ, & S. Scripturæ, vbi Lectores, ſiue ſecularibus, ſiue Fratribus legant pro gradibus, ad quos per viam Ordinis promoueri poterunt ſeruatis ſeruandi.*

3 Idem Anicienſis cum Altiuillarenſi Conuentu fuit pro alendis Nouitijs electus. Valentię 1647. *Deſignamus pro Nouitiatibus huius Prouinciæ Conuentus Anicienſem, & Altiuillarenſem, dummodo in illis ſex, vel quatuor Nouitij ſub cura Magiſtri inſtruantur, ibique vigeat vita regularis perfecta, & non aliter.*

4 Vt Magiſtri, quindecim; Baccalaurei verò octo in hac Prouincia eſſent, mandatum fuerat Romæ 1589. ſicut ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26. retulimus, veruntamen Valentię 1647. Magiſtri ad duodecimum Baccalaurei verò ad octauum numerum fuere ita redacti. *Volumus vt impoſterum in hac Prouincia ſint tantum duodecim Magiſtri, & octo Baccalaurei.*

5 Huius Prouincię Syndicus in Toloſano Conuentu gratis alatur. Valentię 1647. *Confirmamus ordinationem factam in vltimo Capitulo Generaliſſimo, & Toloſæ anno præterito à Reuerendiſs. P.* (erat P.F. Thomas Turcus) *confirmatam, qua tenetur Conuentus Tholoſanus nutrire gratis Syndicum Generalem huius Prouincię ad procurandas cauſas Prouinciæ, & Conuentuum ipſius in Parlamento Toloſano, ne cogantur miſeri Conuentus Prouinciæ, aut nullas cauſas mouere in*

Digitized by Google

uincia Toloſana retulimus num.26. Et Venetijs 1592. conceſſę fuere duę Pręſentaturę pro duobus Prędicatoribus, qui per decennium prędicauerint. Ita enim conceſs. 5. habetur. *Concedimus quod ſupra numerum Baccalaureorum taxatum in Capitulo Generali proximè prateritо* (ſcilicet Romano 1589.) *pro eadem Prouincia poſſint dari dua Praſentatura duobus Pradicatoribus, qui per decennium adminus in pradicandi officio pro animarum ſalute procuranda ſollicitè ſe exercuerint; qui tamen ad Magiſterij gradum nequaquam promoueri poſtea debebunt.* Veruntamen poſtea in Generalibus Comitijs Romę 1608. Magiſtrorum numerus ad denarium; Pręſentatorum titulo Lectoratus ad duodenarium; titulo verò prędicationis ad quaternarium fuit auctus. *Angemus numerum Magiſtrorum ad denarium, Praſentatorum verò ad titulum Lectoratus ad duodenarium, Praſentatorum autem ad titulum pradicationis ad quaternarium.* Romę tandem ann. 1629. pręfatus Graduatorum numerus ita fuit immutatus. *Extendimus numerum Praſentatorum ad titulum Pradicationis vſque ad ſenarium.* Et ibidem immediatè ſubditur. *Extendimus numerum Magiſtrorum huius Prouinciæ ad duodenarium, eidemq; concedimus octo Pradicatores Generales ad titulum linguarum Indorum.* Romę deinde 1650. bina Graduatorum loca pro Lectoribus vernacularum linguarum, quas vocant *la Quichoa*, & *la Aymara* fuerunt ſuperaddita, prout hic ſupra num. 1 retulimus.

16 Ordinationes pro hac Prouincia à Magiſtro Ord. P. F. Seraphino Siceo editæ, fuere confirmatæ Toloſæ 1628. *Ad petitionem Prouinciæ confirmamus ordinationes Reuerendiſs. P. N. Generalis, inſertas Actis Capituli Prouincialis in hac Prouincia celebrati anno ſuperiori 1625. in Ciuitate Cuzquenſi.*

17 Collegij S.Ludouici fundatio fuit confirmata Toloſæ 1628. *Confirmamus fundationem Collegij S.Ludouici, ſeruatis ſeruandis.*

18 Fratrum proceſſus in Prouinciæ Archiuio ſeruentur. Toloſæ 1628. *Proceſſus Fratrum, etiam à Commiſſarijs, & Viſitatoribus confecti, ſeruentur in Archiuio Prouinciæ; & ſi neceſſe ſit, copia tantum authenticæ inde auferri poſſint.*

19 Nouitij vſque ad Sacerdotium in Nouitiatu permaneant. Toloſæ 1628. *Nouitij vſque ad Sacerdotium maneant in Nouitiatu ſub cura Magiſtri, & nulla ratione cum alijs conuerſentur.*

20 Si in Prouincialis electione aliquod dubium circa validitatem electionis occurrat, PP. Prouinciæ, Magiſtri, Præſentati, & Diffinitores definiant quid ſit faciẽdum. Toloſę 1628. *Concedimus huic Prouinciæ id quod aliàs Prouinciæ de Quito conceſſum fuit, nempe vt ſi fuerit aliquod dubium circa electionem Prouincialis, vel quod non ſit ritè facta, & ſecundum ius; ad euitanda ſcandala, Patres Prouinciæ, Magiſtri, & Praſentati, cum Diffinitoribus determinent, & diffiniant quid ſit faciendum. In qua Congregatione praſidebit antiquior Diffinitor in profeſſione; ipſe autem Prouincialis electus non intrabit cum pradictis Patribus ad Conſilium; & quidquid ipſi diffinierint, ſcilicet vel quod maneat electus, vel quod procedatur ad aliam electionem, pro rato habeatur, & inuiolabiliter obſeruetur vſque dum ad Reuerendiſſimum mittatur decretum electionis, & factus ſit certior de omnibus, eiuſque reſponſum habeatur.*

21 In Conuentibus S. Roſarij de Lima, S.Dominici de Cuſco, S.Dominici de Chuquiſaca, S. Dominici de Potoſi, & S.Mariæ Magdalenæ de Lima, Filij Prouinciæ præcipuè in Priores eligantur. Vlyſſiponæ 1618. *Concedimus vt in Conuentibus S.Roſarij de Lima, S.Dominici de Cuſco, S. Dominici de Chuquiſaca, & S.Dominici de Potoſi, & S.Maria Magdalena de Lima, pracipuè filij Prouinciæ in Priores eligantur.*

22 Qui ex Mauris Iudæis, atque hæreticis conuertuntur, ad Ordinem non recipiantur. Vlyſſiponæ 1618. *Item ordinamus ad petitionem Prouinciæ quod in ea nequaquam recipiantur ad habitum, neque Clericalem, neque Laicorum, qui ex Mauris, hareticis, atque Iudæis, vſque ad quartam generationem originem traxerint, neque qui vulgo mulatos, & meſtizos nuncupantur, ſicuti neque qui per Sanctiſs. Inquiſitionis tribunal abiuratione formali reconciliati fuerint.*

23 Synodorum dimidium ſingulis annis inueſtiatur. Vlyſſiponæ 1618. *Confirmamus ordinationem Capituli Generalis Vallisoletani, vt ſcil. ſingulis annis dimidium Synodorum inueſtiatur, & expendatur ad poſſeſſiones, vel cenſus perpetuos emendos pro ſuſtentatione Conuentuum.*

24 Magiſtri Ord. Commiſſarij ſuę inſtitutionis litteras in Conuentu Limenſi prius oſtendant ante quam tale munus exerceant. Vlyſſiponæ 1618. *Mandamus (inſtante Prouincia) quòd Commiſſarij, qui à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. mittentur, antequam ſuæ authoritatis actum vllum exerceant, in Conuentu de Lima litteras ſuæ commiſſionis publicare teneantur.*

25 Per Prouinciam ſine licentia diſcurrentes omnibus collectis eleemoſynis priuentur. Vlyſſiponæ 1618. *Decernimus, vt qui ſine licentia per Prouinciam vagantes reperti fuerint, omnibus eleemoſynis, quas intra terminos huius Prouinciæ collegerint, à P. Prouinciali priuentur, & Conuentibus tenuioribus applicentur.*

26 Nullus Luſitanus, non præhabita de puritatę ſanguinis inquiſitione, ad habitum recipiatur in hac Prouincia. Vlyſſiponę 1618. *Confirmamus ordinationem ſæpe factam quòd nullus Luſitanus ad habitum recipiatur, niſi prahabito à P. Prouinciali noſtra Prouinciæ Portugalliæ*

lo-

legitimo teſtimonio de puritate ſanguinis.

27 Prouincialium actualium germani Fratres in Hiſpaniam in Procuratores, ſeu Diffinitores non mittantur. Vlyſſiponæ 1618. *Prohibemus ne Fratres carnales, & germani actualium Prouincialium in Hiſpaniam titulo Procuratorum, vel Diffinitores Generalis Capituli mittantur.*

28 Contributionum, P. Prouinciali perſoluendarum, taxa obſeruetur. Romę 1608. *Confirmamus taxam factam in Capitulo Prouinciali Limenſi de contributionibus reddendis R. Ad. P. Prouinciali ob viſitationem Prouinciæ; quæ ſanè ſint moderata, vt Prælatum religioſum decet, nec vllo pacto augeantur.*

29 Conuentus S. Dominici Ciuitatis de la Plata fuit in Generale Studium erectum Romę 1608. *Inſtituimus, & erigimus in Studium Generale; ſeu Vniuerſitatem Conuentum noſtrum S. Dominici Ciuitatis de la Plata in Prouincia Charcarum, cum omnibus priuilegijs, & gratijs, quibus alia Studia Generalia eiuſdem Prouinciæ Peruanæ potiri conſueuere.*

30 Prouincialis ſibi ſubditos in Magiſtros pro Cathedris conſequendis promouere poteſt. Romæ 1580. conceſs. 22. *Concedimus in Prouincia S. Io: Baptiſtæ del Perù R. Prouinciali, qui pro tempore fuerit, vt poſſit promouere Fratres ſuæ Prouinciæ idoneos in Magiſtros, non quidem Prouinciæ, aut Ordinis, ſed pro cathedris dumtaxat obtinendis, & regendis in Vniuerſitatibus regionis illius; qui tamen nullo Magiſtrorum priuilegio in noſtro Ordine interim gaudeant, niſi vt poſſint cathedras illas obtinere, & regere.*

31 Alternatiua in Prouincialium electione ita fuit mandata Romæ 1571. ordinat. 21. *Item ordinamus quod deinceps in Prouincia S. Io: Baptiſtæ del Perù in Prouinciales alternis vicibus aſſumantur filij aliarum Prouinciarum: declarantes quod prima electio Prouincialis futura ſit de filijs aliarum Prouinciarum, ſiuè præſentibus, ſiuè abſentibus; ſecunda verò ſit de filijs eiuſdem Prouinciæ; tertia rurſum de extraneis, & ſic ſucceſſiuè alternent in futurum. Quod ſi aliter electio fiat; ex vi præſentis ſtatuti irrita cenſeatur, abſq; Mag. Ord. ſpeciali conceſſione.* Quod de verbo ad verbum fuit in ſequenti Barcinonenſi Capitulo 1574. in confirmatione 34. confirmatum.

32 Ab hac Prouincia non recedat Prouincialis abſque Diffinitorum, ſeu decem primorum Patrum eiuſdem conſenſu, ſub pœna abſolutionis à ſuo munere. Romæ 1571. ordinatione 15. *Item ordinamus, & præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. obedientiæ Prouincialibus pro tempore exiſtentibus in Prouincia S. Io: Baptiſtæ del Perù, ne à Prouincia recedant ſine conſenſu Diffinitorum, vel x. primorum Patrum ſuæ Prouinciæ; quam inſcriptus accipiant, ſed eam concedere nõ poſſint, niſi prius rationem reddant ſuæ adminiſtrationis. Quod ſi contrarium fecerint, pœnam abſolutionis à ſuis officijs ipſo facto incurrant.* Quod ſub eiſdem verbis fuit Barcinonæ 1574. in conf. 28. confirmatum.

33 Congregatio loco Capituli intermedij habeatur. Venetijs 1592. conceſs. 5. *Concedimus Prouinciæ S. Io: Baptiſtæ del Perù ad eius petitionem quod propter diſtantiam Conuentuum, & expenſas maximas, incommoditateſque itinerum Congregatio loco Capituli intermedij celebrari poſſit; modo ab eademmet Prouincia in proximè futuro Prouinciali Capitulo matura cum Diffinitoribus, & alijs grauioribus Patribus habita deliberatione, ſtatuendo, quem & ſignificare Reuerendiſs. P. Generali quamprimum teneantur, eiuſmodi approbationem ab eo habitura.*

PRO
PROVINC. S. VINCENTII DE CHIAPPA.
XXX.

S. Vincentij Prouincia à Mexicana exordium ſumens, ab eadem ſeiuncta, atque in peculiarem Prouinciam erecta fuit in Salmantino Generali Capitulo anno MDLI. celebrato, eidem proprijs terminis, atque primo Prouinciali Priore P. F. Thoma de Turre (prout copioſè ſupra Pro Prouincia S. Crucis enarrauimus) conſtitutis.

Pro optimo huius Prouinciæ regimine ſequentia in pluribus Capitulis fuere ſancita.

1 Prouinciales grauiter delinquentes, à Patribus in intermedijs Congregationibus congregati à ſuo munere ſuſpendi poſſunt. Romæ 1650. *Item concedimus Congregationi intermediæ huius Prouinciæ id, quod pro correctione Prouincialis conceſſum fuit Capitulo intermedio ſiue Congregationi intermediæ Prouinciæ Mexicanæ; ſic tamen vt ad eam Congregationem intermediam non addantur plures Fratres, quam qui de iure ad eam pertinent.* Præfatam autem conceſ-

ceſſionem vide ſupra Pro Prouincia S. Iacobi de Mexico num. 29.

2 Congregationes intermediæ non omittantur. Valentiæ 1647. *Ordinamus vt Congregatio intermedia omnino fieri debeat, nec poſſit à Prouinciali prætermitti; quæ Congregatio eandem in omnibus auctoritatem habebit, quam ſolebat habere Capitulum intermedium, maximè circa correctionem Prouincialis. Volentes quòd deputentur illi, qui ad dictam Congregationem debent pertinere, ita vt non ſit liberum Prouinciali vocare hos, vel illos, ſed ſemel deputetur numerus, & perſonæ, quibus competere debeat ad dictam Congregationem pertinere, & his tantùm impoſterum competat habere vocem in dicta Congregatione. Huius verò numeri, & perſonarum deſignationem committimus P. Prouinciali, & duodecim PP. Prouinciæ antiquioribus, quibus mandamus, vt citius præfatum numerum, & perſonas deſignent, quatenus in proxima futura Congregatione, quod modò ordinatur, poſſit exerceri.*

3 Prouinciales completo proprio munere ſui regiminis iudicium ſubire teneutur. Valentiæ 1647. *Pro hac Prouincia confirmamus ordinationem Capituli Valentini 1596. prout habetur in Gloſſ. Conſtit. diſt. 2. cap. 3. §. 3. litt. K. & in qua ſtatuitur, vt Prouincialis finito officio ſui regiminis, debeat ſubire iudicium ſuæ adminiſtrationis, prout latius ibidem continetur. Volentes inſuper, vt executioni mandetur id, quod habetur in Conſtit. diſt. 1. cap. 14. §. 5. litt. K. ſcilicet quòd Prouinciales Diffinitoribus Capituli Prouincialis reddant rationem rerum omnium, quas habuerunt, ſiue ad officium, ſiue ad perſonas eorum ſpectent.*

4 Prouinciales Prioribus ſuorum Conuentuum regimen liberum relinquant. Valentiæ 1647. *Ordinamus quod Prouinciales liberum exercitium ſuorum officiorum permittant Prioribus, præcipuè principaliorum Conuentuum, tam in temporalibus, quam in temporalibus; nec ſe intromittant in promouendis, vel amouendis officialibus, Vicarijs villarum, ſeu adminiſtratoribus bonorum quorumcumque; & ſi aliquando graues defectus prædictorum officialium exigant, vt ab officio deponantur, præcipiatur hoc Priori, ad quem vlterius pertinebit de alio, vel alijs officialibus prouidere.*

5 Non vtantur Prouinciales priuilegio *Omnimodæ* ad diſpenſandum cum Fratribus ſuper ſtatutum tempus ſuſceptionis Ordinum. Valentiæ 1647. *Probibemus, quantum in nobis eſt, ne Prouinciales in hac Prouincia poſſint vti priuilegio* Omnimodæ, *ad diſpenſandum cum Fratribus in hoc quod ante tempus præſcriptum à iure poſſint ad aliquem ex ſacris Ordinibus promoueri; cum huius diſpenſationis non ſit neceſſitas in Prouincia iſta.*

7 Neque electiones caſſare poſſunt ſine grauiorum Patrum Prouinciæ conſilio. Valentiæ 1647. *Ordinamus quod Prouincialis non poſſit aliquam electionem caſſare, vel confirmare, niſi in Conuentibus præcipuis, vel niſi ad ſe vocatis Patribus grauioribus Prouinciæ.*

8 Neque aliquem ad habitum ipſi, alicuius Conuentus nomine, niſi in illo fuerit acceptatus, recipere poſſunt. Valentiæ 1647. *Declaramus quod Prouincialis non poteſt aliquem nomine alicuius Conuentus recipere ad habitum, vel profeſſionem, niſi ſuppoſito, & habito conſenſu Capituli eius Conuentus, nomine cuius ille ad habitum, vel profeſſionem recipitur.*

9 PP. Conuentus Guatimalæ ineptos ad Ordinem, caueant ne recipiant. Valentię 1647. *Admonemus P. Prouincialem, Priorem, & Patres Guatimalæ, vt attendentes quæ per fæl. recordat. Clementis VIII., & noſtras Conſtitutiones ſancita ſunt circa recipiendos ad habitum, ineptos non admittant, nec ob priuatas cauſas huic vel illi fauentes minus idoneos approbent.*

10 In prædicto Conuentu nullus in Priorem aſſumatur, qui non ſit Pater Prouinciæ, vel Theologiæ Lector non extiterit. Valentiæ 1647. *Ordinamus vt in Conuentu Guatimalæ nullus poſſit eligi in Priorem, qui vel non ſit Pater Prouinciæ, vel Theologiæ curſum non legerit.*

11 Exponendi pro ſacris confeſſionibus tribus vicibus examinentur. Valentiæ 1647. *Inhærentes ijs, quæ in communi ſancita ſunt de examine Confeſſariorum, ſtatuimus quod impoſterum nullus exponatur ad confeſſiones audiendas, niſi prima vice fuerit examinatus, & approbatus in Conuentu Guatimalæ, alijs autem duabus vicibus, vel in Conuentu Guatimalæ, vel in Conuentu Ciuitatis Realis de Chiappa, in quo Capitulum Prouinciale deſignabit quinque examinatores ex doctioribus Patribus exiſtentibus, vel ibi, vel in Conuentibus propinquis, ſicque res ordinabitur, vt examen fiat, vel tempore viſitationis P. Prouincialis, vel alio certo, & ſtatuto tempore, & vſque ad hoc tempus durabunt licentiæ præcedentes pro audiendis confeſſionibus obtentæ, vſque quo examinatus in tertio examine, de triennio in triennium habendo, fuerit ſimpliciter approbatus.*

12 PP. Vicariatus de Otzolam fuere voce in electione Prioris de Chiappa priuati. Valentiæ 1647. *Cum contingat ob maximam diſtantiam quòd Patres Vicariatus de Otzololam occaſione eligendi Priorem in Conuentu de Chiappa, relinquant Indos ſine Sacerdote Sacramentorum miniſtro cum periculo graui, & damno illorum, præſenti ſtatuto priuamus eos voce in electionibus habendis in præfato Conuentu: magis enim præſtat, vt electiones ſine ipſis fiant, quàm quod populi eorum curę commiſſi, derelinquantur.*

13 Tantum illi ad Conuentuum electiones admittantur, qui bona fide in illis ſunt aſſignati. Valentiæ 1647. *Declaramus in electionibus illos ſolos poſſe admitti ad præſtandum ſuffragium, qui in Conuentu realiter, & bona fide ſunt aſſignati, iuxta formam à legibus noſtris in-*

ſti-

ſitutam; nec licere vocalibus, etiam omnibus conſentientibus, aliquem non aſſignatum, vt ſupra, inter vocales recipere, & ad electionem admittere. Vide de hac re in p. par. de Elect. Prioris Conuent. num. 23.

14 Dominica prima poſt Octauam Epiphaniæ Prouinciale Capitulũ celebretur, Prouincialeſque vſque ad illud tempus in ſuo officio permanere debent. Valentiæ 1647. *Confirmamus, & ordinamus quòd tempus celebrationis Capituli Prouincialis ſit Dominica prima poſt Octauam Epiphanię, & quod Prouincialis ſemper duret vſque ad illud tempus; nec prius eius auctoritas expiret, niſi quando inſtante Diffinitorum electione ipſe vltimum vale dicit Prouincię. Quod ſi contingat Prouincialatum vacare per mortem, vel amotionem Prouincialis, in hoc caſu Vicarius Prouinciæ ſtatim intimabit noui Prouincialis electionem.*

15 Pro Indorum Confeſſionibus ſuſcipiẽdis non admittantur indifferenter quicumque, Valentiæ 1647. *Ordinamus vt Confeſſarij pro Indis adminus ſemel examinentur, nec indifferenter quicumque admittantur.*

16 Gradus Magiſterij, atque Pręſentaturę Prędicationis titulo, fuere ab hac Prouincia eliminati Valentiæ 1647. *Ne gradus in hac Prouincia multiplicentur, tollimus, & remouemus gradus Magiſterij, & Præſentaturæ titulo prædicationis.*

17 Caueant huius Prouincię Fratres ne ad exteros fauores pro Doctrinis, & quibuſcunque alijs obtinendis recurrant. Romæ 1629. *Ordinamus, & omnino prohibemus ſub cenſuris, & pœnis in Bullis Gregorij XIII.* (prout retulimus in p. parte de Fauorib. extraneorum num. 3.) *Clementis VIII. & Pauli V. contra Fratres, qui per emendicatos fauores perſonarum extra noſtri Ord. obedientiam conſtitutarum, gratias, fauores, & officia impetrare ſtudent, ne quis Fratrum huius Prouinciæ, precibus, muneribus, vel alijs medijs quibuſcunque perſonarum extra obedientiam Ord. conſtitutarum, fauorem, vel opem implorare, ijſdemque doctrinas apud Indos, vel per ſe, vel per alios obtinere ſtudeat: nec in eiſdem doctrinis huiuſmodi via obtentis perſeuerare audeat, aut à P. Prouinciali in eis perſeuerare permittatur: ſed ad nutum eiuſdem Prouincialis, eiuſque libitum, ſtatim ſe nouerint tali officio priuandos.*

18 S. Dominici de Guatimala Conuentus fuit in Generale Studium erectus Romę 1629. *Inſtituimus, erigimuſque in Studium Generale huius Prouinciæ Conuentum S. Dominici de Guatimala, cum omnibus gratijs, & priuilegijs conſuetis: præcipientes P. Prouinciali præſenti, & pro tempore, vt huiuſmodi Studij Moderatores ingenio, & doctrina præſtantiores inſtituat.*

19 Hiſpani Fratres, qui per decennium cum Magiſtri Ord. aſſignatione in hac Prouincia manſerint, ad eam tranſlati cenſeãtur. Toloſæ 1628. *Concedimus vt Fratres Hiſpani, qui per decennium cum aſſignatione Reuerendiſs. Magiſtri Ord. in hac Prouincia permanſerint, cenſeantur in eam tranſlati, & incorporati.*

20 Graduatorum numerus in hac Prouincia, ita fuit Romæ 1589. ſancitus, vt Magiſtri quatuor, & Præſentati ſex eſſent, prout Pro Prouincia Toloſana num. 26. retulimus. Romæ autem 1629. additi fuere quatuor Generales Prædicatores ad titulum linguarum Indorum. *Concedimus huic Prouinciæ, vt impoſterum habeat quatuor Prædicatores Generales ad titulum linguarum Indorum; dummodo tamen peritiores, & perſeuerantiores in tali munere præferantur, & non aliter.* Et Romæ 1644. ita fuit huic Prouinciæ conceſſum. *Concedimus huic Prouinciæ, vt impoſterum queat habere gradus, tum Baccalaureatus, quam Magiſterij ad quos, & ante hac deſtituti, poſſint reſtitui, nec non, & alij promoueri, ſeruatis ſeruandis. Quodque Prouincia vtens iure ſuo antiquo proponere poſſit Reuerendiſs. Magiſtro Ord. ad lecturam ſententiarum; & ipſe Regens in Capitulo Prouinciali deſignatus, atque à Reuerendiſs. P. Generali approbatus, & confirmatus, legat pro forma, & gradu Magiſterij.* Valentiæ verò 1647. ita fuit ſancitum. *Ne gradus in hac Prouincia multiplicentur, tollimus, & remouemus gradus Magiſterij, & Præſentaturæ titulo Prædicationis.*

21 Vt annuos redditus in Hiſpaniarum partibus emere poſſit pro Fratrum, qui ad eos tranſire debent, ſuſtentatione, & viatico, conceſſum eidem fuit Valentiæ 1596. conceſs. 8. *Concedimus Prouinciæ S. Vincentij de Chiappa quod poſſit annuos redditus emere in partibus Hiſpaniarum, vt quotannis numerum Fratrum conuenientem ad illam Prouinciam ex eiſdem partibus traducere poſſit pro Indorum ſalute procuranda, & regulari obſeruantia conſeruanda.*

22 Alternatiua in electione Prouincialis Apoſtolica auctoritate eſt ſancita ab Vrbano VIII. prout fuit denunciatum Romę 1644. *Denunciamus emanaſſe Breue Apoſtolicum ſub die 7. Aprilis 1643. circa alternatiuam Prouincialatus inter PP. Hiſpanos, & Criolos; quod quidem iuxta ſuum tenorem executioni demandari præcipimus, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque.*

23 Capituli Prouincialis Acta ſub die 8. Nou. 1642. celebrati fuere, Romæ 1644. ita confirmata. *Approbamus Acta Capituli Prouincialis in hac Prouincia celebrati ſub die 8. Nouembris 1642. excepto articulo conceſſionis diſpenſationum ijs Lectoribus, qui ſuas lecturas peregiſſent; cum iam talibus liceat ad gradus promoueri.*

24 Feria 4. non impedita, de S. Vincentio Ferrerio fiat in hac Prouincia Officium ex conceſſione Generaliſs. Capituli Romani 1644. *Concedimus, vt in omni fer. 4. non impedita*

fiat

Digitized by Google

P. Rodulphij, cra mandatur omnibus huiuſmodi PP. Præſentatis, vt Prædicaturas Generales derelinquant, quatenus in eorum locum vacantem alij à Prouincia poſtulentur. Proinde harum ſerie, ac lege perpetuò valitura ſtatuimus, ac declaramus, huiuſmodi ſimultaneam retentionem amborum graduum iuribus Prouinciæ aduerſam, & ſicubi illa obtenta eſt, vel impoſterum obtinebitur, ſine legitima, & expreſſa dictorum iurium derogatione in patentibus exhibenda, ſubreptitiam fore, ac pro nulla habendam eſſe; ſic tamen vt ſic promotis liberum ſit illum è duobus gradibus retinere, quem maluerint, dummodo intra ſpatium à P. Prouinciali ſibi præfigendum, ſe reſoluant.

5 Doctrinæ nouis annuis penſionibus in cuiuſcumque fauorem aggrauari non poſſunt. Romæ 1650. *Prohibemus diſtrictè AA. RR. PP. Prouincialibus huius Prouinciæ pro tempore, ne quocumque titulo, vel prætextu poſſint onerare doctrinas nouis penſionibus annuis in fauorem cuiuſcumque particularis; ſiue Magiſtri, ſiue Præſentati, Lectoris, &c. Sed quidquid emolumenti ex moderata impoſitione colligi potuerit, communibus neceſſitatibus religiosè, ac fideliter impendatur, vt fabricis, tum Eccleſiarum, tum Conuentuum, augmento, & decori cultus diuini, veſtiariæ communi Fratrum, &c. ne dum vnus abundat, alter egeſtatem patiatur.*

6 In graduandis cum omni rigore, quæ in Conſtitutionibus noſtris ſancita ſunt, obſeruentur. Romæ 1644. *Ordinamus, & mandamus ad tollendam omnem confuſionem, & iurgia, quæ inter Fratres oriri ſolent, quod in graduandis ad quemcumque titulum obſeruetur ad vnguem, ſtrictè, & rigurosè Conſtitutio, non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus à quocumque Viſitatore, ſiuè preterito, ſiuè futuro emanatis, vel emanandis.*

7 S. Antonini, & B. Ludouici feſta cum ſolemni Octaua celebrentur. Romæ 1644. *Item ordinamus, & mandamus, quòd feſtum S. Antonini in tota Prouincia, quia eſt Patronus, recitetur cum Octaua ſolemni, & idem præcipimus de feſto S. Ludouici Bertrandi ob ſingularem deuotionem Prouinciæ erga ipſum, qui fuit olim multum tempus in eadem ſimpliciter aſſignatus, functuſque in ipſa aliquibus Religionis officiis.*

8 Conſtitutionibus noſtris non abutantur huius Prouinciæ Fratres, quæ circa ea, quæ ad Vicarij Prouinciæ, ſtante Prouincialis morte, vel amotione, ſpectant, ad vnguem obſeruentur. Romæ 1644. *Item ſtrictè præcipimus, quòd Fratres dictæ noſtræ Prouinciæ non abutantur Conſtitutionibus noſtris, nec aliquid circa illas innouare valeant, præcipuè circa Conſtitutionem, quæ habetur de morte, vel amotione Prouincialis, circa quam declaramus quòd quando Priorem Prouincialem mori, vel amoueri contigerit, Prior illius loci, in quo Capitulum fuerit celebrandum gaudeat poteſtate Vicarij Generalis ſolum iuxta præſcriptum, & ius commune noſtrarum Conſtitutionum, non obſtantibus quibuſcumque ordinationibus factis à quocumque Viſitatore Prouinciæ.*

9 Prouincialia Capitula in vno Conuentu celebranda, ad alium non transferantur. qui autem contrarium attentauerit per quamcumque perſonam extra Ordinem conſtitutam, actiua, paſſiuaque voce priuetur. Romæ 1644. *Item præcipimus in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ nec non ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, quòd quando Capitulum Prouinciæ à Diffinitorio, vel à R. A. P. Prouinciali de conſilio Patrum iuxta ritum noſtrarum Conſtit. fuerit indictum in aliquem Conuentum, nullus Frater quouis prætextu, aut quæſito colore audeat impetrare auxilium à Præſide illius Curiæ, vel ab aliqua alia perſona extra Religionem adhoc vt ad alium Conuentum transferatur.*

10 Aduenientes Fratres non aſſignentur in hac Prouincia ſine Prouincialis illius Prouinciæ, ad quam ſpectant, conſenſu. Romæ 1644. *Statuimus pro pace, & quiete iſtius noſtræ Prouinciæ ne Fratres aliarum Prouinciarum ad ipſam venientes, aſſignentur in illa, niſi ſuffragante conſenſu R. P. Prouincialis alterius Prouinciæ: quod ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.*

11 Omnes ordinationes pro Conuentu S. Ioſeph de Cartag. factæ, fuere in hunc modum Romæ 1644. confirmatæ. *Confirmamus omnes ordinationes factas, tam à Capitulis Prouincialibus, quàm à Viſitatoribus circa Conuentum S. Ioſeph de Cartag. in quibus erigitur, & inſtituitur in Studium Generale, quodque omnes Lectores in ipſo legentes legant impoſterum pro forma, & gradu Magiſterij.*

12 S. Thomæ Collegium gratijs, & priuilegijs ceterorum Collegiorum Ordinis gaudet. Romæ 1644. *Denunciamus Collegium noſtrum S. Thomæ in hac noſtra Prouincia eſſe optimè erectum, illudque gaudere omnibus gratijs, & fauoribus, quibus ſolent gaudere, & potiri cætera Collegia noſtræ Regionis; & ſi opus eſt quia in ſummum decus conſurgit, denuo illud inſtituimus, damus, facimus, datum, inſtitutum, & factum decernimus, & declaramus.*

13 Prouincialis Capituli ann. 1643. celebrati Acta fuere in hunc modum Romę 1644. confirmata. *Confirmamus Acta Capituli Prouincialis celebrati die 7. Iunij anni 1643. dempta acceptatione Prioratuũ in Conuentibus Indorum inſtitutorum, & Prædicaturarum Generalium ad titulum dictorum Conuentuum obtentarum, quos, & quas nullius roboris, & momenti eſſe declaramus. Inſuper declaramus prædicta Acta, à nobis confirmata, habere vim ordinationum Capituli Generalis.*

14 Vt Magiſtri in hac Prouincia eſſent quatuor; Pręſentati ſex; Prædicatores vero Generales duo, decretum fuerat Romæ 1589.

ſicut Pro Prou. Toloſana num. 26. retulimus. Fuit autem poſtea Romæ 1608. in hunc modum immutatus. *Augemus numerum Magiſtrorum à ſenario vſque ad octonarium, & Præſentatorum à denerio vſque ad duodenarium: Voluműſque vt ex duodecim Præſentatis, quatuor ſint titulo prædicationis, quandoquidem prædicandi munus in ea regione præcipuum in primis habetur, cum prædicatione verbi Dei plurimi infideles ad Eccleſiam quotidie accedant.* Romæ tandem 1644. præfatorum graduatorum numerus ita fuit ſancitus. *Extendimus in hac noſtra Prouincia numerum tam Magiſtrorum, quam Præſentatorum ad titulum lectionis vſque ad denarium quem deinceps præfigimus tali titulo.* Et ibidem fuit vnum Magiſterium ad prædicationis titulum eidem in hunc modum conceſſum. *Concedimus huic noſtræ Prouinciæ ad petitionem eiuſdem vnum Magiſterium ad titulum Prædicationis pro eximijs verbi Dei concionatoribus, ad quod promouemus R.P. Præſentatum F. Hyacinthum de Figuero huius Capit. Generaliſs. Diffinitorem, ad petitionem Prouinciæ.*

15 Omnes ordinationes à Magiſtro Ord. P. F. Seraphino Sicco factę ſub ann. 1613. & 1618. fuere Vlyſſiponę 1618. ita confirmatę, *Confirmamus omnia ordinata à Reuerendiſſimo P. N. Magiſtro Ord. ſub ann. 1613. & 1618. pro regulari obſeruantia, & regimine huius Prouincię.*

16 Conuentus à Prouincialibus non viſitati, contributiones eiſdem non ſoluant. Vlyſſiponę 1618. *Declaramus Conuentus non teneri ad ſoluendas contributiones P. Prouinciali, niſi perſonaliter illos viſitauerit.*

17 PP. Doctrinarij feſtiuis diebus à Doctriuis non recedant. Vlyſſiponę 1618. *Mandamus PP. Doctrinarijs ne diebus Feſtiuis à ſuis Doctrinis recedant.*

18 Contributiones à Prouinciali, & Diffinitoribus imponendę, ſine exceſſu ſint. Vlyſſiponę 1618. *Imponimus RR. PP. Prouinciali, & Diffinitoribus Capit. Prouincialis vt cum taxa aliqua pro contributionibus fuerit ſtatuenda, id fiat ſine exceſſu, & pro Doctrinarum facultate.*

19 Seuere puniantur extra Prouinciam ſine licentia diſcurrentes. Vlyſſiponę 1618. *Fratres, qui extra Prouinciam ſine licentia diſcurrentes reperti fuerint, ſeuerè puniantur iuxta Capitulorum Generalium ordinations, & ſi Lectores vel Graduati ad eorum petitionem extra Prouinciam fuerint aſſignati, ipſorum loca vacare cenſeantur.*

20 Collegij S. Thomę, & SS. Roſarij in Ciuitate S. Fidei erectio fuit à Generali Pariſienſi 1611. Capitulo in hunc modum approbata. *Approbamus acceptationem Collegij S. Thomę, & SS. Roſarij in Ciuitate S. Fidei erecti à D. Gaſpare Nunnes, cum eiſdem conditionibus, & inſtitutionibus Regentis eiuſdem Collegij quibus à Reuerendiſs. P. Magiſtro Ord.* (erat P. F. Auguſtinus Galaminus, qui eodem anno fuit S. R. E. Cardinalis à Paulo Papa V. creatus) *acceptatum eſt, eaque omnia, & ſingula à Reuerendiſs. P. ſua circa hoc decreta, & ordinata confirmamus.*

21 In Vniuerſitatem S. Dominici de Tunia Conuentus fuit Romæ 1608. erectus. *Inſtituimus, & erigimus in Studium Generale, ſeu Vniuerſitatem Conuentum noſtrum S. Dominici de Tunia propter eius commoditatem, & aptitudinem ad alendos Studentes.*

22 Fratres in Doctrinis exiſtentes vocem in ſuis Conuentibus, in quibus ſunt aſſignati, gaudent. Valentię 1596. declar. vlt. *Declaramus pro Prouincia S. Antonini de Nouo Regno, conſideratis rationibus coram nobis productis, quòd Fratres, qui apud Indos in doctrinis reperiuntur, vocem habeant in Conuentu, in quo ſunt aſſignati.*

23 Ante quamcunque celebrandam electionem non poſſunt vocales per tres antecedentes menſes voce priuari. Valentię 1596. conceſs. 9. *Concedimus Prouincię S. Antonini de nouo Regno ad illius petitionem, quod nullus pœna priuationis vocis puniri poſſit infra trimeſtre ante quamlibet electionem, præter quam in caſibus in Conſtit. noſtris & ordinationibus Capitulorum Generalium expreſſis.*

24 Prouincialis electus ab antiquiori Diffinitore confirmetur, Romę 1580. conceſs. 23. *Concedimus Prouinciæ S. Antonini de Nouo Regno Indiarum Maris Oceani priuilegia, & gratias, quę, & quas habent Prouincię alię de Nouo Regno, videlicet quòd Prouincialis electus ab antiquiore Diffinitore Capituli Prouincialis, in quo eſt electus confirmetur, vel caſſetur.* In antecedenti verò Barchinonenſi Capitulo 1574. ord. 15. mandatum fuerat, vt electus Prouincialis Prouinciam tanquam Vicarius regeret.

25 Domorum Vicarij vocem in Prouincialium electionibus fuere Romę 1580. conceſs. 24. ita conſequuti. *Concedimus eidem* (ſcilicet huic Prouincię) *quod Vicarij domorum deſignati à Capitulo, vel ab ipſo Prouinciali, habeant vocem in electione Prouincialium propter paucitatem Prioratuum, ſicut conceſſum eſt Prouincię S. Iacobi de Mexico.* Vide ſupra Pro Prou. S. Iacobi de Mexico num. 1.

26 Intermedia Prouincialia Capitula non habeantur. Ita in conceſs. 25. præfati Romani Capituli 1580. ſubditur. *Item concedimus eidem quòd Capitula Prouincialia intermedia prętermittantur, & deinceps celebrentur de quadriennio in quadriennium propter magnam Conuentuum diſtantiam, & Indorum pauperiem. Quòd ſi fortè aliqua de cauſa oportuerit congregari Capitulum, eo caſu Prouincialis cum PP. à Conſilijs vnius, vel duorum Conuentuum, quos ipſe elegerit, tractet, & agat ea, quę tractanda, & agenda ſunt abſque conſenſu, & acceſſu Fratrum Prouincię.*

PRO

PRO PROVINCIA OCCITANA.

XXXII.

GRaſſantibus in Gallia Bellorum præſſuris, impiaq; hęreſi, regularis obſeruātię viror inter noſtros pallere incepit, & ad excidium quaſi, eadē fuit perducta. At quia Dominus humiliat, & ſubleuat, quorūdam ex noſtris ad eandem reparandam corda excitauit, qui in plures eiuſdē Regni Conuentus eandem reuocauere; Ex quibus particularis quædam Congregatio coaluit, quę Congregationis Francię Reformatę ſibi nomen primò vendicauit, deinde in Romano Capitulo 1569. Occitanę Prouincię nomen impetrauit. Ita enim in eiuſdem Capituli Actis inſtitut. 6. ſancitum reperitur. *Congregationem Franciæ Reformatam, etiam ad eorum petitionem erigimus in Prouinciam ſub titulo Prouinciæ Occitanæ, extincto Congregationis nomine, cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus cæterę Ordinis Prouincię gaudent. Declarantes ad illam pertinere omnes, & ſingulos Conuentus, quos hactenus ſub titulo Congregationis poſſedit, & poſſidet, dummodo renuntient proprijs indultis, quibus poſſent prætendere exemptionem ab obedientia Magiſtri Ordinis. Dantes eiſdem facultatem in proximo eorum Capitulo eligendi Priorem Prouincialem, & mittendi decretum ad Reuerendiſs. Generalem pro confirmatione.*

Quia verò cuncta cogitatio humani cordis intenta eſt ad malum omni tempore, occidit heu citò nimis in illa obſeruantię iubar; vnde in Valliſoletano Capitulo 1605. illius reformatio fuit Magiſtro Ordinis in commiſſe 2. demandata, & Henrico IV. Chriſtianiſſimo Rege petente, noua Occitana Congregatio in eadem Prouincia ab Ordinis Magiſtro P.F. Auguſtino Galamino fuit inſtituta, quę in Generalibus Comitijs Pariſijs anno 1611. congregatis fuit in hunc modum confirmata. *Congregationem noſtram Occitanam Reformatam auctoritate Apoſtolica, ad inſtantiam & petitionem Chriſtianiſſimi Francorum Regis Henrici IV. fel. mem. à Reuerendiſs. P. N. Magiſtro Generali Ordinis erectā, & inſtitutam approbamus & confirmamus, eique perpetuę firmitatis robur adijcimus, nec non & Vicarium eius Generalem R.P. Magiſtrum Fratrem Sebaſtianum Michaelis per litteras eiuſdem Reuerendiſſimi Magiſtri Ord. ipſimet Congregationi præfectum, confirmamus cum eadem auctoritate, & poteſtate ſuper Conuentibus, & Fratribus noſtris in dictis litteris contentis, & expreſſis: Non obſtantib. in cont. quibuſcūque.* Hęc autē Congregatio fuit poſtea in Prouinciā Pariſiēſē erecta, vt ſuo loco dicemus.

Pro huius ergo Prouinciæ regimine hæc fuere in Generalibus Capitulis mandata.

1 Toloſanus Conuentus, vel alij ab hac Prouincia ſeparati, ſex huius Prouinciæ Iuuenes alere tenentur. Valentiæ 1647. *Conuentus Toloſanus, vel alij ad Prouincia ſeparati gratis alere tenentur ſex Fratres huius Prouinciæ, vel in Nouitiatu non profeſſos, vel in ſtudijs profeſſos, eique de neceſſarijs prouidere, & hoc ſub pœna abſolutionis ab officio Prioribus Conuentuum, ad quos à Prouinciali Toloſano mittentur, & Nouitiatus S. Germani Pariſienſis, quatuor.*

2 Anicienſis, & Auxenſis Conuentus fuere in Theologiæ, & S. Scripturę Studia electi Valentię 1647. *Damus Conuentum Anicienſem, & Auxenſem in Studia Theologiæ, & S. Scripturæ, vbi Lectores, ſiue ſecularibus, ſiue Fratribus legant pro gradibus, ad quos per viam Ordinis promoueri poterunt ſeruatis ſeruandi.*

3 Idem Anicienſis cum Altiuillarenſi Conuentu fuit pro alendis Nouitijs electus. Valentię 1647. *Deſignamus pro Nouitiatibus huius Prouinciæ Conuentus Anicienſem, & Altiuillarenſem, dummodo in illis ſex, vel quatuor Nouitij ſub cura Magiſtri inſtruantur, ibique vigeat vita regularis perfecta, & non aliter.*

4 Vt Magiſtri, quindecim; Baccalaurei verò octo in hac Prouincia eſſent, mandatum fuerat Romæ 1589. ſicut ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 26. retulimus, veruntamen Valentię 1647. Magiſtri ad duodecimum Baccalaurei verò ad octauum numerum fuere ita redacti. *Volumus vt impoſterum in hac Prouincia ſint tantum duodecim Magiſtri, & octo Baccalaurei.*

5 Huius Prouincię Syndicus in Toloſano Conuentu gratis alatur. Valentię 1647. *Confirmamus ordinationem factam in vltimo Capitulo Generaliſſimo, & Toloſæ anno præterito à Reuerendiſs. P.* (erat P.F. Thomas Turcus) *confirmatam, qua tenetur Conuentus Tholoſanus nutrire gratis Syndicum Generalem huius Prouincię ad procurandas cauſas Prouinciæ, & Conuentuum ipſius in Parlamento Toloſano, ne cogantur miſeri Conuentus Prouinciæ, aut nullas cauſas mouere in*

iniuſtos vſurpatores, aut inceptas ob extremam pauptertatem deſerere.

6 Conuentus à Prouincia ſeparati, P. Prouinciali huius Prouinciç ſolitas contributiones ſoluere tenentur. ex decreto Reuerendiſs. P. Magiſtri Ord. F. Thomç Turci in Valentino Capitulo ann. 1647. ita confirmato. *Denique confirmamus decreta Reuerendiſſi. P. Generalis Romæ 1644. quibus ſtatuitur, vt Conuentus à Prouincia ſeparati teneantur ſoluere Prouinciali Occitano contributiones, tam ordinarias, quam extraordinarias pro eius, & Socij viatico ad Capitula Generalia, iuxta ordinationes in varijs Capitulis Generalibus factas, in quibus etiam data fuit facultas Prouincialibus compellendi per pœnas, & cenſuras dictos Conuentus ſeparatos ad ſolutionem dicti viatici, & partis pro rata contributionum Reuerendiſs. P. Generalis, & Procuratoris Ordinis.*

7 Non eligantur in Priores niſi diuinum verbum proponere ſciant. Vlyſſiponç 1618. *Admonemus vt in eligendis Prioribus Conſtitutiones noſtræ omnino obſeruentur, & præcipue, vt ij eligantur, qui verbum Dei proponere ſciant.*

8 Contributionum taxa aliquando facta, fuit Vlyſſionæ 1618. ita confirmata. *Ad petitionem Prouinciæ confirmamus ordinationem vltimam Capituli Prouincialis prçteriti huius Prouinciæ circa taxam contributionis Prouincialium pro tempore; dum tamen ad nihil vltra teneantur Conuentus, niſi ad expenſas pro ſolo victu quando erunt in actuali viſitatione.*

9 Commune depoſitum in Conuentibus ſingulis obſeruetur. Bononiæ 1615. *Ordinamus, & ſtrictè præcipimus omnibus Patribus, & Fratribus Prouinciæ noſtræ Occitanæ, vt vitio proprietatis expulſo, in ſingulis Conuentibus commune depoſitum iuxta Conſtitutiones noſtras, & Acta Capitulorum Generalium habeant, ita vt nullo modo Fratribus pœnes ſe pecunias retinere, aut alicui perſonæ extra Ordinem ſeruandas, aut mutuandas tradere liceat.*

10 Circa recipiendos ſeruentur Conſtitutiones. Bononiç 1615. *Præcipimus omnibus Prioribus, vt ordinationes Capitulorum Generalium circa recipiendos ad habitum ſeruent; ſingulariter autem in eadem noſtra Prouincia volumus, vt nemo Priorum aliquem ſine licentia P. Prouincialis ad habitum recipiat.*

11 Caueant Fratres ne ad ſecularia Tribunalia confugiant. Bononiç 1615. *Renouamus, & in memoriam omnibus Fratribus reducimus piè ſancitas illas leges, quibus diſtrictiſſimè conformiter ad decreta Apoſtolica, & S. noſtras Conſtitutiones cautum eſt, ne Fratres noſtri ad Tribunalia ſecularia recurrant ſub pœnis in ipſis decretis, & noſtris Conſtitut. expreſſis. Committimuſque Reuerendiſs. Magiſtro Ord. vt eos, qui hactenus contra prædicta delinquere auſi ſunt, pro delicti qualitate, atque in exemplum cæterorum ſeueriſſimè puniat.*

12 Priores triennales; Suppriores, & Syndici biennales; reliqui officiales omnes annuales ſint. Romç 1612. *Ordinamus ad ipſius Prouinciæ petitionem quod Priores impoſterum ſint tantum triennales, ita vt completo triennio ipſo facto abſque alia declaratione ſint abſoluti ab officio Prioratus; Suppriores verò, & Sydici ſint biennales; reliqui Officiales perſeuerent in ſuis officijs tantum per annum.*

13 Super ordinata ab Aquenſi ſenatu de Confraternit. Pœnitentium Conuentus Arelatenſis nullus Superior quidquam innouare audeat. Romç 1608. *Mandamus P. Priori, & PP. Conuentus Arelatenſis ſub pœna abſolutionis ab officio, & excommunicationis, ne contra ordinata à ſummo Senatu Aquenſi ſuper Confraternitatibus Pœnitentium aliquid innouare audeant.* Quod fuit confirmatum Romç 1612.

14 Prior, ſeu Vicarius Prulliani Monaſterij ex hac Prouincia Fratres ſine P. Prouincialis licentia non aſſumat, Romæ 1629. *Prohibemus P. Priori, ſeu Vicario Monaſterij Prulliani ne ei liceat aſſumere Fratres ex hac Prouincia abſque expreſſa licentia, & aſſenſu P. Prouincialis.*

15 Qui ſub regulari obſeruantia viuere renuunt, neque Prçlaturas, neq; gradus conſequi valent. Romç 1601. ord. 43. *Ordinamus in Prouincia Occitana, vt nullus ad aliquem gradum, ſeu Prælaturam, nec ad ſimplicem lecturam admittatur, niſi ſub reformatione, & vitç regularis obſeruantia velit viuere; idque mandamus ſub pœna abſolutionis ab officio.*

16 Vt Prouinciales eſſent Quadriennales, atque nouiter electi eandem ſub Vicarij nomine Prouinciã moderentur ſancitum fuit Barcinonç 1574 *Vide Pro Prouicia Toloſana num. 23.*

17 Cum hçc Prouincia ex ſuis primordijs nunquam in eodem ſtatu permanſerit, illiuſque Conuentus ex Generalium Capitulorum, & Magiſtrorum Ordinis decretis modò aucti, modò dimunti fuerint, atque modo ad vnam, modò ad alteram Proninciam, ſeu Congregationem declinauerint, nullum de talibus Conuentuum mutationibus certum ſermonem hic habere valemus.

PRO PROVINC. S. DOMINICI VENETIAR. XXXIII.

HVius Prouinciȩ Conuentus ex prima ſui inſtitutione ad Lombardiȩ Prouinciam ſpectauere; diuiſa autem illa in Bononienſi Capitulo ann. 1410. celebrato in Lombardiam Superiorem, atque Inferiorem, cum hac Inferiori permanſere. Erecta verò in Prouinciam Vtriuſque Lombardiȩ Congregationes Vitȩ Regularis ex principalioribus vtriuſque Prouinciȩ Conuentibus conſtante anno MDXXXI. à Clemente VII. Regularem obſeruantiam amplecti renuentes prȩfati Conuentus, ſub peculiari Congregatione, Vicaria S. Dominici nuncupata, permanſere ſicut ſupra Pro Prouincia Lombardiȩ copioſè retulimus.

Cum eadem Vicaria perſeuerauit vnita Natio Marchiȩ Anconitanȩ vſque ad annum MDLIII. quo Patres noſtri in Generalibus Comitijs Romȩ congregati eandem à prȩfata Vicaria Nationem, Apoſtolica Iulij Papȩ III. Auctoritate interueniente, in hunc modum ſeparauere denunc. 4. *Denunciamus ſupradicti oraculi* (facti ſcil. per Protectorem Ordinis noſtri) *auctoritate diuiſiſſe nos Marchiæ Anconitanæ Nationẽ à Vicaria S. Dominici, quam in peculiarem Marchiæ Anconitanȩ Congregationem inſtituimus, atque ereximus, Reuerendiſs. Generali committentes, vt eidem Vicarium præficiat hominem, & litteris ac moribus decoratum eiſque regulariter, ac religioſè viuendi normam tradat.* In Capitulo autem Bononienſe an. 1564. poſtea celebrato eiuſdem Nationis cura Prouinciali Lombardiȩ in hunc modum comiſſione 5. fuit demandata. *Committimus, prout aliàs commiſſum eſt, Prouinciali pro tempore Prouinciȩ Lombardiȩ Congregationem Marchiȩ cum facultate inſtituendi Vicarium, deputandi Lectores, Prȩdicatores, & alia faciendi, quȩ ad bonum regimen, & profectum eiuſdem Congregationis cognouerit expedire, cui mandamus in meritum obedientiȩ, vt omni ſemota excuſatione ſuperintendentiam hanc ſuſcipiat, & curam illius Congregationis in omnibus gerat.*

Cum autem Domino cooperante, qui vult omnes homines ſaluos fieri, atq; ad agnitionem veritatis venire, regularis obſeruantiȩ viror in eadem Vicaria refloruiſſet, exhibito huius rei in Generali Capitulo Romano 1580 probato teſtimonio, fuit iterum antiquum Prouinciȩ S. Dominici nomen conſequuta; ita enim in eiuſdem Capituli Actis reſtitutione 4. habetur. *Reſtituimus titulum Prouincialatus Vicariȩ S. Dominici, reddentibus pro illis teſtimonium quam pluribus multum RR. PP.* Prouin*cialibus, & Diffinitoribus de regulari eorum vita in Conuentibus dictȩ Vicariȩ; imò id aſſeuerantibus coram Deo, & ſua Reuerendiſs.* Paternitate, *& toto Diffinitorio; vnde & Vicario eiuſdem nuper electo, & confirmato, videlicet R. P. F. Hieron. Bigarellȩ Magiſtro* Prouincialatus titulum damus, *litteris Apoſtolicis fœl. recordat. Clementis VII. innixi; cui tamen* Prouinciȩ *vltimum locum inter omnes Prouincias aſſignamus ei dantes omnes gratias, immunitates, & priuilegia, quibus gaudent cæterȩ* Prouinciȩ *noſtri Ord.*

Poſtquam igitur Prouinciȩ iura fuit conſequuta, ſequentes pro fœlici eiuſdem gubernio in Generalibus Capitulis emanauere leges.

1 Conceſſa priuilegia omnia Conuentui S. Dominici de Ciuitate, tam à Magiſtro Ord. P. F. Seraphino Sicco, quam Generaliſs. Romano Capitulo 1644. fuere Romȩ 1650. ita confirmata. *Confirmamus, & approbamus omnia, ac ſingula priuilegia, quȩ Conuentui noſtro S. Dominici de Ciuitate quondam per Reuerendiſs. P. F. Seraphinum Siccum conceſſa, & anno 1644. in Capitulo Generaliſs. approbata fuerunt.*

2 Vt in eodem Nouitij ad habitum recipiantur, Romȩ 1644. ita fuit conceſſum. *Eidem Conuentui* (ſcil. S. Dominici de Ciuitate) *quantum in nobis eſt concedimus quod in illo ſuſcipiantur ad habitum, & educationem Nouitij conformiter ad priuilegia aliàs indulta Generali noſtro Nouitiatui Pariſienſi, prout habetur in Capitulo Generaliſſimo ann. 1644. fol. 109. & in vltimo Valentino Generali fol. 92. quȩ tamen pro ſola ſuſceptione Nouitiorum, & non aliter dicto Conuentui ſuffragari volumus, ac intendimus.*

3 Conuentus S. Io: Baptiſtȩ de Fara huic fuit Prouinciȩ vnitus Romȩ 1650. *Acceptamus, & huic Prouinciȩ incorporamus nouum cænobium S. Io: Bapt. de Fara nuper generoſa munificientia Illuſtriſs. D. Riccardi Straſoldo S. Cæſ. Maieſtatis Chiliarcha erectum; ſeruatis tamen ſeruandis iuxta Summ. Pontificum decreta de numero Fratrum alendorum eiſdem per publicum inſtrumentum exhibita. Interim ad eiuſdem D. Fundatoris inſtantiam dictum Cænobium*

com-

Digitized by Google

committimus curæ, & inſpectioni Prioris Ciuitatenſis pro tempore donec in Conuentum formatum exereſcat.

4 Quadrageſimali tempore Studij Moderatores lectiones habeant, neque Priores, vel Studentes prædicare audeant. Romæ 1644. *Ordinamus vt Studij Moderatores legant toto tempore Quadrageſimæ præſcripto à noſtris Conſtitutionibus, ſub pæna abſolutionis ab officio; & Studentibus, remotionis à Studio, ne vacando tali tempore prædicationi, impediantur lectiones. Idem quoque de Prioribus dicimus, cum eo tempore maximè neceſſaria ſit eorum reſidentia, ſub eadem pæna ipſo facto incurrenda.*

5 A Feſto S. Crucis vſque ad S. Mariæ Magdalenæ ſolemnitatem legant Lectores. Romæ 1644. *Lectores legant à die S. Crucis 14. Septembris vſque ad diem S. Mariæ Magdalenæ quotidie, & completo curſu Artium, exponant publico certamini ea, quæ legerunt per vnum ex ſuis diſcipulis ei aſſiſtendo.*

6 Nullus Lector in Studentium Magiſtrum petatur, niſi curſum Artium compleuerit, Theologicaſque theſes defenderit. Ita ſubditur in præfata ordinatione Capituli Romani 1644. *Nullusque Lector petatur in Magiſtrorum Studentium niſi curſum Artium perfecerit iuxta noſtrarum Conſtitutionum tenorem, ac Theſes Theologicas in Comitijs Prouincialibus publice defenderit.*

7 Nullus Lector in ordinarium Baccalaureum petatur niſi Magiſter Studentium extiterit. Ita in prædicta ord. & Capitulo additur, *Neque aliquis Lector petatur in Baccalaureum ordinarium ad legendum pro gradu, & forma Magiſterij, niſi functus fuerit officio Magiſtri Studentium: & hoc ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, cuius abſolutio ſit Magiſtro Ordinis reſeruata.*

8 Manſionarias, ſeu Capellanias in alienis Eccleſijs nullus aſſumere valeat, ſub perpetuæ priuationis vocis actiuæ, & paſſiuè pæna, Romæ 1644. *Ordinamus, & omnibus ac ſingulis Fratribus mandamus ſub præcepto formali, & ſub pæna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum, ne vllus ſibi procurret Manſionarias, ſiue Capellanias extra noſtras Eccleſias, & iam procuratas ſtatim renuntient; in contrarium non obſtante quacumque conſuetudine, quam vt abuſiuam abrogamus. In noſtris verò Eccleſijs Manſionariæ, ſiuè Capellaniæ omnes incorporentur bonis communibus Monaſterij iuxta decreta fæl. recordat. Clementis VIII. quod, vt exequutioni demandetur, præcipimus Prouincialibus, ac Conuentuum Prioribus ſub pæna abſolutionis ab officio ipſo facto incurrenda.* Quod etiam Neapoli 1600. ord. 18. fuerat mandatum.

9 Neceſſaria Fratribus exhibeantur. Romæ 1644. *Ordinamus, & inuiolabiliter obſeruandum decernimus, vt de Conuentuum redditibus neceſſaria Fratribus ad victum, & veſtitum ſuppeditentur, iuxta Summ. Pontificum decreta, ne Fratres pro his ſibi procurandis per Ciuitatem vagentur, non ſine maximo ſcandalo, & Religionis detrimento. Quod ſi Superior aliquis in hoc fuerit negligens, in pænam ab officio ſuo ſtatim amoueatur.*

10 Ad ſeculares recurſus pro gratijs obtinendis nullus confugiat, tranſgreſſores autem ſeuerè puniantur. Romæ 1644. *Vt autem abominabiles recurſus ad perſonas extra Ordinem conſtitutas pro gratijs in noſtra Religione conſequendis tollantur, ex quibus rixæ, et contentiones inter Fratres oriuntur, præcipimus omnibus, & ſingulis Patribus ſub pæna perpetuæ inhabilitatis ad quoſcumque honores, & dignitates in Religione conſequendas, vt abſtineant à tali auſu, nec poſſint à peccatis abſolui niſi publico actu per manum Notarij cedant gratijs, quas tali modo ſibi à noſtris legibus prohibito fuerint conſequuti.*

11 Patauinus Conuentus ſolemnem Octauam S. Auguſtini celebrare poteſt ex Romani Capituli 1644. conceſſione. *Concedimus Conuentui noſtro Patauino, vt poſſit celebrare octauam S. Auguſtini ſolemnem; cum ſit titulus eius Eccleſiæ.*

12 Omnia Bononienſi Studio conceſſa priuilegia, Patauino quoque fuere attributa Romæ 1644. *Concedimus noſtro Studio Generali Patauino omnia priuilegia conceſſa Studio Bononienſi, confirmantes omnia alia priuilegia; quæ à noſtris prædeceſſoribus prædicto Studio conceſſa fuerunt.*

13 Diffinitores per Nationes eligantur. Romæ 1644. *Diffinitores in Capitulo Prouinciali in hac Prouincia S. Dominici Venetiarum eligantur per Nationes ſecundum antiquam Prouinciæ conſuetudinem, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium.* Romæ autem 1629. oppoſitum mandatum fuerat, & ibidem de ſcrutatoribus ita ſubditur. *Idem ſtatuimus de ſcrutatoribus* (ſcil. quod non eligantur per Nationes) *ſiſecus, fiat totum ſit irritum, & nullum.*

14 Studentes non Sacerdotes non recipiantur. Romæ 1644. *Non recipiantur Studentes Formales niſi ſint Sacerdotes, ſecundum huius Studij inueteratam conſuetudinem.*

15 Lectores in aliarum Prouinciarum Studijs inſtituti, in hac non legant, niſi fuerint prius approbati in eadem. Romæ 1644. *Nec Lectores, qui ad dictam Prouinciam ex alio Generali Studio veniunt, admittantur ad legendum, niſi approbati fuerint per publicum examen in prædicto Studio Patauino à PP. Moderatoribus.*

16 In Conuentibus, in quibus regularis obſeruantia relucet, Nouitij recipiantur, & nutriantur. Romæ 1644. *Nouitij ſimplices educentur in Conuentibus vbi magis viget regularis* ob-

Digitized by Google

obſeruantiæ, nec permittantur in Conuentu Studij Generolis, ſub pœna Superioribus pro eo tempore abſolutionis ab officio.

17 In Patauino Studio minores quatuor Studentes hebdomadariæ onus ſubire tenentur Romæ 1629. *Ordinamus, vt in Conuentu Patauino quatuor Studentes Formales, qui pro tempore erunt vltimo loco recepti, ſemper teneantur exercere hebdomadariam, ita tamen vt quando alius de nouo in Studium recipitur, ille, qui inter quatuor præfatos prius receptus fuerat, ab huiuſmodi onere liberetur, & ſic ſucceſſiuè fiat. Volumus tamen vt pro eo tempore, quo dicti Studentes hebdomadariam exercebunt, teneatur dictus Conuentus eis veſtimenta, ſicut ceteris Fratribus tribuere, quocumque priuilegio in contrarium non obſtante.*

18 Quatuor quoque priores Miſſas dicti Studentes quotidie celebrent. Romæ 1629. *Ordinamus, præcipimuſque dicti Conuentus Studentibus, vt quatuor priores Miſſas quotidie indiſpenſabiliter celebrent. Qui verò recuſauerint, aut ſuper hoc contendere auſi fuerint, à ſtudio ſtatim expellantur, quibuſcumque priuilegijs in contrariums non obſtantibus.*

19 Patres à Conſilijs Studentium examini de moribus interſint. Romę 1629. *Ordinamus, vt examini de moribus Studentium interſint Patres à Conſilijs, qui vna cum Patribus Moderatoribus ſuffragium ferant.*

20 A Profeſſionis antiquitate locum Magiſtri ſumant. Romæ 1629. *Confirmamus Acta Capituli Prouincialis intermedij proximè celebrati, à Magiſtro Ord. recognita, & approbata, exceptis tamen ijs, quæ ad locum Magiſtrorum ſpectant, qua in re nihil omnino volumus innouari, ſed ea, quæ aliàs in Capitulis Generalibus ſuper hoc ſancita ſunt, omnino obſeruari; ita nimirum vt locus Magiſtrorum, non ab antiquitate profeſſionis, ſed promotionis ad Magiſterium deſumatur, tunc præcipuè quando inſtitutio abſoluta eſt, & abſque illa clauſula* ſine præiudicio maiorum tuorum.

21 Ciuitatenſis Conuentus ex decreto Romani Capituli 1629. à Prouincialis obedientia nullo modo eſt exemptus. *Declaramus Conuentum Ciuitatenſem vbi viget ſtrictior obſeruantia regularis nullo modo ab obedientia, & poteſtate* P. *Prouincialis exemptum eſſe, ſed ipſi ſubiectum, Fratreſque ibi commorantes eſſe, cenſerique ſuos ſubditos iuxta decreta Capitulorum Generalium. & Gloſs. Conſtitut. diſt. 2. cap. 2. in fine.*

22 Nouitiorum educatio Patauino Conuentui Romæ 1629. fuit conceſſa. *Concedimus Conuentui Patauino, vt poſſit educare Nouitios, ſeruatis ſeruandis, præcipientes Priori pro tempore vt circa eorundem bonam educationem ſummopere inuigilet, optimumque Magiſtrum ſibi concedi curet.*

23 Nullus Prouincialis, ſeu quicumque alius Superior regularem obſeruantiam in Conuentu de Ciuitate impedire audeat ſub abſolutionis à proprio munere pœna. Bononię 1615. *Præcipimus ne quis impoſterum, ſiue Prior illius Conuentus, ſiue Prouincialis extiterit, in Conuentu prędicto de Ciuitato inceptam ſeptem ab hinc annis reformationem, ſub pœna abſolutionis ab officijs ipſo facto incurrenda, perturbare audeat.*

24 Pecunię ad Patauinum Studium ſpectantes, in neceſſarijs ad ipſius ſtudij rebus conſumentur. *Ordinamus, & ſtrictè præcipimus pro Studio noſtro Generali S. Auguſtini de Padua omnibus Moderatoribus, Procuratoribus, aut Miniſtris eiuſdem, vt pecuniæ pertinentes ad dictum ſtudium expendantur in rebus neceſſarijs ad ipſius ſtudij commoditatem, & decorem, requiſitis lectiſternijs videlicet, vtenſilibus, libris & huiuſmodi, non autem in commeſtionibus, & recreationibus, ſub pœnis contentis in ordinatione facta in Capitulo Prouinciali eiuſdem Prouinciæ Venetijs proximè celebrato circa modum expendendi pecunias.*

25 Capitulorum Prouincialium Diffinitore eligantur qui ſunt de corpore Capituli, vel Patres graduati. Pariſijs 1611. *Ordinamus in eadem Prouincia vt in Capitulis Prouincialibus Diffinitores non eligantur, niſi vel de corpore ipſius Capituli, vel alioquin Patres graduati eminentis grauitatis, & probitatis.*

26 Conuentus, quorum filij in Nouitiatu Cœnobij SS. Io: & Pauli educantur, pro vnoquoque Nouitio ſcuta duodecim venetę monetę ſoluere tenentur. Romę 1608. *Ordinamus quod Conuentus, quorum filij in Nouitiatu Conuentus SS. Io: & Pauli Venetiarum educantur, debeant ſoluere iuxta taxam factam à Patribus Prouincię pro vnoquoque Nouitio ſcuta duodecim monetæ Venetæ; & qui hucuſque non ſoluerunt, quam primum ſoluere teneantur.*

27 Tertij Ordinis Sororibus noſtris in eadem domo permanentibus Venetijs, ſcapulare fuit conceſſum Romę 1608. *Concedimus Sororibus Tertij Ordinis noſtri commorantibus ſimul in eadem domo in Ciuitatem Venetiarum, vt poſſint deferre ſcapulare. Item quòd poſſint deponere numeratam pecuniam, quæ illis exhibetur in ingreſſu cuiuſcumque ipſarum in aliquo loco communi, tanquam in communi depoſito ex qua poſſint facere aliquam inueſtituram ad commune Domus bonum.*

28 Graduatorum numerus in hac Prouincia ita Romę 1589. fuit taxatus, vt Magiſtri 16. Baccalaurei 6. Pręedicatores verò Generales 10. eſſent, prout ſupra *Pro Prou.* Toloſana num. 26. retulimus. Romę verò 1644. Magiſtrorum numerus ad decimum octauum, Baccalaureorum verò ad octauum ita fuit auctus. *Augemus Magiſtrorum numerum vſque ad decimũ octauum, & Baccalaureorum vſque ad octauum.*

Stu-

29 Studentes *Patauini* Studij, Vniuerſitatis Lectores comitari tenentur. Romę 1601. ord. 44. *Ordinamus in Prouincia S. Dominici in Studio Patauino, vt Studentes teneantur comitari Lectores Vniuerſitatis, & eorum lectionibus intereſſe; mandantes inuiolabiliter obſeruari ea, quæ in literis bo. mem. Card. Alexandrini adhoc miſſis ordinata ſunt.*

30 Mulierum Confeſſarij ſint ætatis annorum triginta quinque; hominum verò triginta. Neapoli 1600. ord. 18. *Item* (ſcil. ordinamus) *quod nemo poſſit audire confeſſiones ſecularium virorum niſi ſit ætatis annorum triginta: Mulierum verò, niſi triginta quinque annos habeat, ſuſpendentes ab audientia confeſſionum illos, qui ſunt minoris ætatis vſque ad prætaxatum tempus reſpectiuè.*

31 In Patauino, & Taruiſino Conuentu ſint aliquæ cellæ pro infirmis ſpecialiter deputatæ. Neapoli 1600. ord. 18. ſuprad. *Item* (ſcil. ordinamus) *quòd in Conuentu Patauino, & Taruiſino ſpecialiter deputentur aliquæ cellæ commodiores pro infirmis, ita accomodatæ, vt nullo modo, nullaque ratione alteri vſui applicentur, vel Fratri, aut ſeculari accomodentur, ſed ſemper pro infirmorum commoditate ſeruentur.*

32 Hoſpites ad SS. Io: & Pauli Conuentum declinantes, poſt triduum viginti ſolidos Venetæ monete pro contributione alimentorum ſingulis diebus ſoluant. Venetijs 1592. ord. 34. *Ordinamus in Prouincia S. Dominici, vt indemnitati Conuentus SS. Io: & Pauli in Ciuitate Venetiarum, qui celeberrimus eſt, conſulamus, quod omnes hoſpites ad illum declinantes, quam citius de ſuis negotijs ſe expedire curent. Quod ſi in triduo à præfato Conuentu non receſſerint, teneantur pro victu ſolidos viginti monetæ Venetæ quotidie perſoluere. Nullo autem pacto permittat Prior dicti Conuentus hoſpites diu in illo morari per Ciuitatem poſtmodum liberè diuagaturos, ſed omni meliori modo, expeditis neceſſarijs negotijs, eos ad propria redire compellat.*

33 Baccalaurei biennales ſint. Romæ 1583. ord. 13. *Ordinamus in Prouincia S. Dominici, quod Baccalaurei ſint biennales; & non ponantur extraordinarij iuxta ordinationes aliàs factas.*

34 Patauini Studij Studentes petendi Officiales Studij à Magiſtro Ordinis, & Generalibus Capitulis priuilegiū aliquando fuere conſecuti, quod tamen poſtea fuit ab eis reuocatum Neapoli 1600. Reuoc. 3. *Reuocamus in Prouincia S. Dominici priuilegium aliàs conceſſum Studentibus Studij Patauini, quod poſſent petere Officiales Studij, ſed tale munus R. Prouinciali, & Diffinitoribus dictæ Prouinciæ committimus.*

PRO
PROV. NEXCIOVANEN. IN ARMENIA.
XXXIV.

IN Armenia tertiodecimo reparatæ ſalutis ſeculo Ordinem noſtrum, tanquam lignum fructiferum, ſecus decurſus aquarum diuinæ gratiæ, vt fructum ſuum daret in tempore ſuo; à cœleſti Agricola plantatum fuiſſe ex Generalis Capituli apud Treuerim anno MCCLXVI. celebrati Actis ita elucet. *Concedimus Prouinciæ Hiſpaniæ vnam Domum in Regno Portugalliæ, &c. Item Terræ Sanctæ vnam ad petitionem Regis Armeniæ, in Armenia.* Cum autem noſtrorum Cœnobia diuina aſſiſtente gratia in dies ibidem augerentur, plurimique ex ſchiſmaticis, alijſque à via veritatis aberrantibus Prædicatorum opera ad Eccleſię gremium conuolarent, Ioannes Papa XXII. B. F. Bartholomæum Paruum Bononienſē illic Epiſcopum creatum miſit, vbi diuini verbi prædicatione, vitæ exemplo, atque miraculorum teſtimonio maximam illorum populorum multitudinem ad Chriſti ouile reduxit, Schiſmaticoſque ad Romanæ Eccleſiæ venerationem adduxit. Factum (vt Scriptores noſtros omittamus) P. Clemens Galanus Regularis Clericus Theatinus, Apoſtolicæ Sedis ad Georgianos Miſſionarius in ſuo *Conciliationis Eccleſię Armenæ cum Romana* opere, Romæ Typis Sac. Congregat. de Propaganda Fide ann. 1650. impreſſo, ita ordititur.

De Progreſſibus Fratrum Prædicatorum in reducendis ad Catholicam Fidem Armenis.

Cap. XXX. Et vltimum.

Vt principium ab origine repetamus. Florebat tempore Ioannis Papæ XXII. in Religione Fratrum Prædicatorum, cum vitæ ſanctimonia, tum diuinarum, humanarumque ſcientiarum peritia, ob quam ad Magiſterij gradum iam euehi promeruerat, Beatus Bartholomæus Bononienſis; cuius virtutum fama permotus idem Summus Pontifex, conſecrauit eum Epiſcopum, non Armeniæ quidem, vt communiter dicitur, ſed Prouinciæ Ma-

raga-

Digitized by Google

ragacenſis, ſic à primaria eius Vrbe Maraga nuncupatæ, quæ inter Armenorum, Parthorumque confinia ſita eſt. Incolebat autem tunc temporis non ſolum Armeniam, ſed multas etiam Perſidis vrbes ingens Chriſtianorum ſchiſmaticorum multitudo, quos bonus Paſtor, vti aberrantes in viam veritatis adduceret, vel cum vitæ diſpendio, ſi neceſſarium foret, diu noctuque animo reuolebat. Cum tandem linguam Perſicam didiciſſet, ac plurimos, Deo dante, ad Catholicam perduxiſſet fidem; videns inter zizania ſegetem iam albam ad meſſem, extruxit vna cum aliquibus ſocijs in monte quodam Monaſterium eremiticum; vbi cellulas nonnullas ſupra montem æſtiuas ædificauit; alias verò Hybernas, ad radices eiuſdem montis viuo ſaxo exciſas, aptauit, quæ vſque adhuc videntur, talem denique in reducendis, paſcendiſque Chriſti ouibus ſe exhibuit; vt virtutis, doctrinæque eius auditio iam in multas dimanare cœperat Regiones.

Interim anno poſt Chriſtum natum 1328. clarus inter Armenos Monacos, ac totam per Armeniam celeberrimus erat Magiſter quidam inſignis, nomine Iſaias, qui in ſuo, vbi præerat, Cœnobio, non longè à Ciuitate Erauan, trecentos ſeptuaginta ex diſcipulis ſuis, Magiſterij dignitate (quod Armeni per libri, baculique traditionem facere ſolent) condecorauerat; atque vnus fuerat ex iſtis prænotatus Magiſter Ioannes Chernacenſis, qui & ipſe in Prouincia Erineiach, nunc vulgò dicta Alincià, præerat Monaſterio prope Oppidum Chernà, cuius Princeps erat Dominus Georgius, ipſius Ioannis auunculus. Audiens igitur Magiſter Iſaias prædicationis, ac vitæ famam Beati Bartholomæi, hortatus eſt per nuncios diſcipulum Ioannem, vt iret ad illum, ac videret, quanam eius eſſet doctrina: erant quippe omnes, non tam per contumaciam, quàm per ignorantiam ſchiſmatici.

Excellebat quidem Magiſter Ioannes ingenij, indoliſque præſtantia planè admirabili; ardentique deſiderio veræ ſalutis, vt ſibi, ita monaſtico cœtui, totique populo ſuo acquirendæ tenebatur. Itaque è veſtigio ad Conuentum B. Bartholomæi profectus, quò peruenit poſt quatuor dies itineris, talia vidit, audiuitque; vt ſtatim ad Eccleſiæ Romanæ obedientiam ſe reducere, in animo propoſuerit. Manſit autem apud illum per ſeſquiannum; quo tempore didicit inter alia etiam Latinam linguam, docuitque B. Bartholomæum, ac ſocios eius Armenicam: ex ijs inſuper, quæ ibi toto illo temporis decurſu audiuerat, ac didicerat, multa in vnum congeſſit ſermonum, & Caſuum conſcientiæ librum, Armeno compoſitum idiomate; in cuius præfatione præſentem narrat hiſtoriam, quæ in alijs etiam Armenis codicibus, ex quibus traducta eſt, latius continetur.

Adueniente autem anno 1330. idem Magiſter Ioannes eruditiſſimas miſit epiſtolas, à Beato quidem Bartholomæo Armenicè compoſitas, ſed ab ipſo elegantiori ſtylo concinnatas, ad multos Magiſtros, condiſcipulos ſuos, in varijs tunc degentes Prouincijs: quibus inter alia eos hortabatur, vt ad aliquod conuenientes Concilium, de vnione cum Catholica Eccleſia, atque obedientia, Romano Pontifici exhibenda, deliberarent, firmiorique, quam antea, ſtabilitate cœptum illud, in præteritis olim Concilij Armeniæ toties abſolutum, ac iterum poſtea diſſolutum, ad finem perducerent. Harum ergo epiſtolarum cohortationibus annuentes, præ alijs duodecim Magiſtri, congregati ſunt in Oppido Cherna memoratæ Prouinciæ Erinciach; quo etiam conuenere ipſe Magiſter Ioannes, ac B. Bartholomæus cum ſocio quodam Fratre Petro Tarraconenſi laico; eorumque omnium ſumptus neceſſarios, per menſem integrum, quo diſputationes de cunctis Armeniorum erroribus inter ipſos habitæ ſunt, ſuſtinuit antedictus Princeps Georgius.

Itaque diremptis intra id temporis de fide controuerſijs, atque improbatis, reiectiſque erroribus vniuerſis, omnes vnanimi conſenſu orthodoxam fidem profeſſi ſunt; Romanoque Pontifici, tanquam vero, ac legitimo totius Eccleſiæ capiti, obedientiam promiſere: quorum quidem exemplo alij quamplures Armeni in Eccleſiæ Catholicæ gremiū ſeſe poſtea receperunt. Stabilita iam Fidei veritate, tantum inde gaudij percepit Dominus Georgius, vt intra ſexaginta dies magnificam in ipſo Conuentu de Chernà Eccleſiam à fundamentis erexerit. Nepos verò eius, Magiſter Ioannes, animaduertens, inſtitutum Monachorum S. Baſilij, per Patriarcham Nieſenſem Ghelaienſem in Armeniam olim introductum, tunc penitus ad relaxationem, ac penè demolitionem perueniſſe, conceperat animo, ad priſtinam illud obſeruantiam reſtituere: ſed re poſtea diligentius conſiderata, illi melius videbatur, ſi nouum inſtitueret Ordinem, quo Catholica, iam ab Armenis recepta, Fides conſeruaretur, ac magis, magiſque dilataretur. Quamobrem, diuino innixus auxilio, hoc aggreſſus fuit inceptum; fundauitque Ordinem quemdam, dictum Vnitorum S. Gregorij Illuminatoris ad Eccleſiam Catholicam, ſub Regula S. Auguſtini, & Conſtitutionibus Fratrum Prædicatorum, mutato Armenorum Monachorum habitu in habitum S. Dominici, cum ſcapulari tamen, & capucio nigro: qui quidem Ordo, confirmatus deinde à Ioanne XXII. per Orientem, ac Septentrionem longè lateque propagatus fuerat.

Interea B. Bartholomæus, & Frater Ioannes Anglus, vna cum Armenis Magiſtris, Ioanne, & Iacobo, ad translationem ſacrorum librorum ex Latino in Armenum idioma ſeſe totos dedere, quibus etiam Frater Petrus laicus in yſdem exſcribendis libris maximo adiumento fuit. Et quidem tantum in hoc laboris, ac ſtudij contulerunt, vt mirabile dictu ſit, quot, quantaque traduxerint volumnia ſpatio trium annorum, quibus poſt dictam vnionem vixit B. Bartholomæus; qui tandem, virtutibus, ac meritis opimus, migrauit ad Domi-

num anno ſalutis 1333. Eius ſepulchrum, innumeris hactenus clarum miraculis, in Armenia ab ipſis etiam Infidelibus magna colitur veneratione.

In ſimili quoque librorum traductione multum operæ, diligentiæque conſumpſit quidam Frater Pontius Ordinis Minorum, qui in Parthorum confinibus apud Zachariam Armenum, Eccleſiæ ſepulchri S. Thaddæi Apoſtoli Epiſcopum, in Apoſtolica prædicatione magno cum Animarum lucro deſudabat. Et codicibus, autem, tum ab hoc, tum ab illis Fratribus in Armenum conuerſis, multi adhuc extāt apud Patres Dominicanos Armenos Naſciuanenſis Prouinciæ: atq; in vno translata etiam reperitur Regula S. Auguſtini, & Conſtitutiones Fratrum Prædicatorum, cum proœmiali quadam epiſtola prædicti Magiſtri Ioannis ad Fratres Vnitos, in qua cum mentio habeatur Armeniorum Adanenſis Concilij, ſub Conſtantino Patriarcha, & Oſcino Rege Armeniæ celebrati, cuius integra nos acta in capite præcedente retulimus, ac inſuper omnes Armeniorum eius temporis recenſeantur errores, atque multa ex ſupradictis maiori teſtimonio confirmentur, operæ pretium duximus, huic eam loco inſerere.

Epiſtola Magiſtri Ioannis Chernacenſis Armeni ad Fratres Armenos vnitos.

Frater Ioannes à Cherna, indignus Sacerdos, ac ſeruus Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, omnibus, qui conſimili gloria ſortiti eſtis fidem, & religionem in iuſtitia Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Dei, atque in vnione Sanctę Romanę Eccleſiæ. Gratia vobis, & pax, & continuum religionis augmentum multiplicetur. Memor ſit Fraternitas veſtra verbi Domini, dicentis: *væ Mundo à ſcandalis, neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala; veruntamen vę homini illi, per quem ſcandalum venit.* Quare autem neceſſe ſit, vt veniant ſcandala, oſtendit Apoſtolus, dicens: *vt Electi probentur*, quoniam ſicut Ignis neceſſarius eſt ad probandum aurum: ita ſimiliter tribulationes, & perſecutiones, ad electos Dei probandos. Verùm enimuerò quicquid ipſis electis ad probationem confert, & electionem: id ipſum reprobis, qui hunc diligunt mundum, ad ſcandalum, ac perditionem facit, iuxta idem verbum: *væ Mundo*, nempe mundanis, *propter ſcandala*, hæc ſiquidem ſemitæ veritatis, ingreſſuique ad gloriam cœleſtem impedimento ſunt.

Quocirca tres Eccleſia paſſa eſt terribiles perſecutionum procellas: primã à Iudæis, ſecundam à Gentilibus, tertiam ab Hæreticis: iam quartam, ab Antichriſto futuram, expectat vltrò, ac timet. Quamuis porrò quælibet earum ſcandalum multis, & ruinam attulerit, præ cæteris tamen tertia multo pluribus cauſa fuit perditionis. Quapropter, multiplicatis hæreticis, videlicet Ario, Sabellio, Apollinari, Macedonio, ac Neſtorio, Dioſcorus, & Eutyches, qui eorum, non ſecus ac belluæ belluarum, alumni extitere, Armeniorum nationem veneno ſuo coinquinarunt. Licet enim ijdem Armeni tempore S. Silueſtri Papæ, Magno imperante Conſtantino, ſtrenuoque in Armenia Tiridate regnante, illuminati fuerint opera S. Gregorij Illuminatoris, & ad fidem conuerſi: poſtea tamen tempore S. Leonis *P*apæ, à quo Chalcedonenſe Concilium conuocatum fuit, & confirmatum, ab vnione Romanæ Eccleſiæ ſegregati ſunt, ac prædictorum hæreticorum, qui vnam tantùm in Chriſto naturam miſtam, & confuſam aſſerere auſi fuerant, veſtigia ſectati ſunt, quamuis nunc Eutychen, quòd Chriſtum, ſanctiſſimæ matri eius conſubſtantialem negauerit, deteſtentur. Et quemadmodum, vt Diuus ait Gregorius, peccatum, quod ſtatim per pœnitentiam non deletur, alia trahit ſecum peccata: ad eundem prorſus modum ex vno errore facilè quis in alios permultos dilabitur, vt Armenorum contigit nationi, quæ deinde in errores propemodum infinitos dilapſa eſt: *præ*cipui autem ſunt hi ſequentes.

1 Aſſerunt, vnam eſſe tantùm naturam in Chriſto, iuxta hæreſim Dioſcorianam.

2 Spiritum ſanctum à Filio non procedere, ſecundùm errorem Græcorum.

3 Sanctorum animas ante finale iudicium in Regnum Cœlorum non ingredi, neque peccatorum in Infernum, ſed omnes in medio aeris iudicium illud expectare.

4 Non eſſe *P*urgatorij locum, neque Inferni.

5 Eccleſiam Romanam ſuper reliquas Eccleſias primatum non obtinere.

6 Deteſtantur Sanctum Leonem *P*apam, & Concilium Chalcedonenſe.

7 Non celebrant Dominicas feſtiuitates iuxta ordinem, ab Eccleſia Romana ſeruatum, præſertim Natiuitatem Domini.

8 Non ſeruant ieiunia ſecundùm Eccleſiaſticos Canones.

9 Non habent omnia ſeptem Eccleſiæ Sacramenta; Confirmationem, & Extremam vnctionem omittentes: aliorumque ſacramentorum eſſentiam ignorantes.

10 Non infundunt aquam in Calicē, dum diuinum illud Miſſæ ſacrificium peragunt.

11 Aſſerunt, Euchariſtiam populo impertiendam non eſſe, niſi ſub vtraquę ſpecie: vndè Chriſti corpus, ſacro ipſius ſanguine priùs intinctum in Calice, diſtribuunt.

12 Celebrant in Calicibus ex ligno, aut luto confectis.

13 Quilibet Sacerdos pœnitentes abſoluit à quolibet peccato ſine vlla reſeruatione, etiam extra caſum neceſſitatis.

14 Subduntur duobus Patriarchis, quorum quilibet totius Armeniæ ſibi *P*atriarchatum aſcribit.

Paro-

15 Parochi, & Epiſcopi, fiunt hæreditario iure per conſanguineorum violentiam.
16 Pretio emunt, ac vendunt Eccleſię Sacramenta.
17 Faciunt inter virum, & vxorem diuortium ſine cauſa, propter pecuniam, contra Euangelij præceptum,& ſacros Canones.
18 Non conficiunt oleum Chriſmatis,neque Infirmorum,
19 Tribuunt ſacram Communionem paruulis ante rationis vſum.

His itaque, alijſque multis erroribus, Natio Armeniorum à via veritatis longo iam aberrauerat tempore, ſine vlla reſipiſcentia in tenebris reſidens ignorantiæ, cum nouiſſimè placuit Domino noſtro Ieſu Chriſto, iuxta id, quod & ipſe dixerat Petro: *& tu aliquando conuerſus,confirma Fratres tuos*, immittere in cor ſanctiſſimi Pontificis Romani, vt deſtinaret ad omnes Schiſmaticorum nationes prædicationis miniſtros, qui eas ad veram Chriſti fidem, Beato Petro, ac Succeſſoribus eius commendatam, adducerent. Ex iſtis autem Prædicatoribus, miſſi fuere aliquot à ſacroſancto Pontifice Ioanne XXII. cum litteris pontificijs ad Dominum Conſtantinum Cæſarienſem, Armeniæ Patriarcham, nec non ad Regem Oſcinum, qui quidem Patriarcha, conuocans quotquot potuerat, ſuæ Diœceſis Epiſcopos, ac Præſules, vnà cum ipſo Rege Oſcino, ac Principibus Regni, Concilium celebrauit, in quo Armeni, peracta iam cum Sancta Romana Eccleſia vnione, obedientiam Romano Pontifici promiſere. Inter Epiſcopos autem, qui ad Concilium conuenere, adfuit etiam Archiepiſcopus Zacharias, qui præerat Eccleſiæ S. Thaddæi Apoſtoli, vbi eſt eius ſepulchrum, verſus Orientem, transfluuium Araxem, in confinibus Regionis Parthorum, haud procul à celebri Monte Ararat, in quo, ſecundùm conſtantem Armeniorum traditionem, requieuit Arca Noëmi: interfuit etiam magnus Magiſter Ioannes Zorzorenſis, alijque plures cum eo.

Ego igitur Ioannes Chernacenſis, cum diù litteris operam dediſſem in Academia magni Magiſtri Iſaiæ, qui ab Armenijs velut oraculum habebatur, atque ex eius manibus baculum cum libro, nempe Magiſterij dignitatem, accepiſſem: audiens omnia hæc, eaque aſſiduà recolens conſideratione, ardenti deſiderio cupiebam, teſtem me fieri oculatum reductionis meæ nationis ad veram ſalutem. Exquirens autem ad hæc operam Latinorum, ſuſpirijs ex intimo cordis auulſis, atque gemitibus ex animi profundo extractis, teſtimonium multoties perhibentibus oculis, veram cum Sancta Romana Eccleſia vnionem ſummoperè expetebam. Cum ergo in dies magis, ac magis hoc in me deſiderium augeretur, adeò me ſpes afflixit, vt tandem egreſſus ſim inquirendo, ſi fortè aliquem offendere potuiſſem ex Apoſtolicis Miſſionarijs.

Accidit porrò, vt, veniens de induſtria in Ciuitatem Maragà, quæ diſtat à magna Vrbe Tauris milliaria ſex ſupra triginta, inueniſſem ibi Dominum Fratrem Bartholomæum, Ordinis Prædicatorum S. Dominici, virum planè ſanctitate vitæ conſpicuum, apud quem manens per annum, ac dimidium, ex eius ſapientiæ fonte ita affluenter, tanquam ceruus ſitibundus, expletus fui, vt per idem temporis ſpatium, interprete linguæ Perſicæ mediante, librum ſeptem Sacramentorum, aliaque Opuſcula, ex Latino in Armenum conuertiſſemus, quibus ſanè omnibus magis ipſe confirmatus, deliberaui meam cum S. Romana Eccleſia vnionem perficere.

Cum autem conſiderarem, me non meæ tantùm, verùm etiam omnium meorum ſaluti ſtudium, ac laborem debere, adhuc intra me dolebat cor meum. Quare aſſumens prædictum Dom. Fratrem Bartholomæum, adduxi illum in Oppidum Chernà, in quo multi etiam ex Armenis Magiſtris, mei quondam in ſtudijs condiſcipuli, congregati fuerant: quorum nomina ſunt ſequentia.

Magiſter Marcarè ex Oppido Ozzuopa.
Magiſter Iacobus ex Oppido Cherna.
Magiſter Hairabiet ex Oppido ſeptem fontium.
Magiſter Ioannes ex Oppido Zuanì.
Magiſter Simeon ex Oppido Paſenſi.
Magiſter Nierſes ex Prouincia Tarſenſi.
Magiſtri Atracchial, & Eal ex Prouincia Artazunenſi.
Magiſter Gregorius ex Oppido Abragoni.
Magiſtri Conſtantinus, & Ioannes ex Prouincia Cleſuanenſi.
Magiſter Simeon ex Prouincia Sanctæ Crucis.

Et plures alij, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ.

Igitur omnes iſti, è quibus poſteà plerique fuerunt ad Epiſcopatum promoti, tum pro ſe, tum pro ſuis Monaſterijs, ac Prouincijs obedientiam Romano Pontifici ſpoponderunt. Quo peracto, cœpimus omnes per vniuerſam Armeniam prædicare, vnionem cum S. Romana Eccleſia ad ſalutem neceſſariam eſſe: quapropter noſtra Vnitorum Congregatio magis per Dei gratiam augebatur, ac fidelium numerus creſcebat in dies, immo quomagis in fide confirmabamur, & quò plura ex Latino traducebantur volumina, eò magis illuminabantur mentes noſtræ, noſtræque nationis defectus clariùs apparebant. Vndè perſpicientes, nos anteà nil aliud Chriſtianę fidei, niſi nomen tantummodò habuiſſe, ſtupefacti,

ac pudore ſuffuſi, non ſecus ac muti, ſilentio tenebamur.

Triennio autem poſt editam vnionem, vir Dei Bartholomæus, Magiſter, ac Paſtor bonus, nec ſanctitate minùs, quàm ſapientia ſingularis, tot, tantiſque exantlatis laboribus, ad Chriſtum ex hac vita migrauit: poſt cuius obitum, vt multiplicabatur Vnitorum credentium numerus, ita pariter perſecutionum, ac tribulationum creſcebant procellæ. Tunc ego, ad Latinos in Occidentem profectus, petij almam Vrbem Romam, vbi poſtquàm plurima præſens vidi, & audiui, quibus plenè de totius noſtræ fidei veritate, quam S. Romana profitebatur Eccleſia, certior factus ſui; animaduerti, non modò populum noſtrum à rectis Chriſtianæ fidei ſemitis deuiare, verùm noſtros etiam Monachos, à Canonibus Sãctorum Patrum aberrantes, non habere Ordinem, neque regulam, non Conſtitutiones, neque Capitula, nec paupertatis, & obedientiæ vota, ſed quemlibet eorum, negotiationibus, atque vſuris addictum, vltro citroque pro voluntate circumuagare: ita denique incultè, ruditerque viuere, vt carerent comitijs, tum Prouincialibus, tum Conuentualibus, nec Prouinciales Superiores haberent, neque Priores, neque Viſitatores, nec vllos demum ſui Ordinis zelatores, ſed vnuſquiſque pro ſuæ voluntatis deſiderio regeret ſemetipſum.

Videns ergo, omnia iſta apud Latinos perfectiſſimè obſeruari; deficere verò in noſtris Monachis, nimio zelo affectus ſum, ac diu noctuque cogitabam, quonam modo potuiſſem Monachorum Armeniæ, eorumque Monaſteriorum, & Conſtitutionum reformationi proſpicere. Quapropter in Orientem reuerſus, ego, & ſocij mei votum fecimus viuendi religioſè iuxta Regulam S. Auguſtini, & Conſtitutiones S. Dominici, quem habere propoſuimus tanquàm Patrem, fundamentum, ac principium noſtræ Congregationis; emiſſaque Religionis profeſſione in manu cuiuſdam Domini Ioannis, genere Latini, qui à Romano Pontifice miſſus fuerat cum plenitudine poteſtatis Epiſcopus Vrbis Theſlis, electus fui à ſocijs, iuxta facultatem ab eodem Epiſcopo nobis traditam, Superior Prouincialis noſtri Ordinis Vnitorum.

Cum igitur noſtræ reductionis ad veram fidem, atque reformationis noſtrorum Monachorum auctores extiterint Fratres Prædicatores S. Dominici, eaque de cauſa Congregatio noſtra ſuper Ordinem eorum fundata eſt: volumus idcirco, vt Fratres prædicti à nobis tanquam Patres, Auctores, & Magiſtri noſtri habeantur, eiſque honor præcipuus à toto Ordine noſtro exhibeatur; ac inſuper, quòd nihil inter nos fiat, niſi per inſtructionem, & definitionem ipſorum, neque ſine illorum præſentia vllum à nobis Capitulum celebretur, immo pro viribus curabimus, vt in cunctis noſtris Monaſterijs ſemper aliquot eorum reſideant, habentes tanquam Patres eum honore debito prima loca. In omnibus denique dubijs, ad fidem pertinentibus, dummodò ad S. Sedem Apoſtolicam recurſus haberi nequeat, pro ipſorum ſententia ſtabimus.

Et quoniam Ordo noſter fuit potiſſimùm inſtitutus propter vnionem cum S. Romana Eccleſia; vnde & nomen accepit, ac dictus eſt Ordo Vnitorum: idcirco cum omni reuerentia, & amore eaſdem noſtras Regulas, & Conſtitutiones à prædicta S. Romana Eccleſia, Matre omnium Eccleſiarum, ſuſcipimus tanquàm à Capite, fundamento, ac principio cuiuſcunque alterius Ordinis, & Conſtitutionis: vt illa, quemadmodùm ipſi videbitur, de nobis ſemper diſponat. Quia verò ex præcepto Regulæ iubemur, animam vnam, & cor vnum habere in Domino, &c.

Hic finitur Magiſtri Ioannis epiſtola, & immediatè poſt Prologus Conſtitutionum Fratrum Prædicatorum, ipſæque Conſtitutiones ſequuntur, additis duntaxat, quæ modò retulimus; ac etiam, quòd in Profeſſione facienda deberent Fratres Vniti, Deo, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiam polliceri.

Sic itaque Vnitorum Congregatione inter Armenos fundata, multa Fratres Vniti non ſolùm in Armenia, ac Georgia Monaſteria extruxerunt, ſed trans Pontum Euxinum ad Scythiæ quoque Cherſoneſum prouecti, in eius primaria Vrbe Theodoſia, vulgò dicta Caffà, quæ tunc ditioni Genuenſium ſubdebatur, vniuerſale ſtudiorum Collegium erexerunt, ex quo deinde haud pauci egreſſi ſunt viri doctiſſimi. Dilatato poſteà magis Turcarum, atque Perſarum Imperio, tot fuerunt in eos ex Infidelibus, Hæreticiſque perſecutionum tempeſtates exortæ, adeoque ad paruum numerum redacti ſunt, vt Scythia, ac Georgia relictis, in Prouinciam ſolùm Naſciuanenſem Maioris Armeniæ ſeſe omnes receperint, vbi ad hæc vſque tempora in duodecim Armenorum Catholicorum Oppidis inter Paganorum, & Schiſmaticorum ſpineta roſam orthodoxæ fidei illibatam cum Romano etiam ritu conſeruant. Extat in Italia apud Genuenſes in Monaſterio quodam, Armenorum dicto, recens adhuc horum Fratrum Vnitorum memoria, qui Genuam è Scythia olim tranſuecti, hactenus ibi in poſteris perdurant.

Igitur videntes prædicti Fratres anno ſalutis 1356. ſe omnes penè ritus Dominicanæ Religionis habere, ac etiam fuiſſe, ne dum ad paucitatem, ſed paupertatem, ac miſeriam extremam perductos, miſerunt Romam duos Procuratores, videlicet Fratrem Thomam, & Fratrem Eleutherium, ambos Ciahuchenſes, & germanos, ad impetrandum ex Romano Pontifice, vt annuente Fratrum Prædicatorũ Patre Generali, ipſorum Ordo Domi-

nicanæ Familiæ vniretur, & in omnibus, ac per omnia eidem Generali ſubijceretur, quo quidem per Apoſtolicum illis Breue conceſſo, Frater Eleutherius, primus fuit Prouincialis Superior, qui ex Vrbe ad Naſciuanenſem gubernandam Prouinciam miſſus eſt; Frater verò Thomas initiatus fuit eiuſdem Prouinciæ Archiepiſcopus.

Poſt hæc autem, regente Eccleſiam Bonifacio IX. miſſus quoque fuit ex Armenia Procurator in Vrbem Frater Lucas Xiabunicenſis, qui eiuſdem Summi Pontificis diſpenſatione obtinuit, vt Armeni Fratres Dominicani, ob nimiam ipſorum paupertatem, ac penuriam piſcium, quæ in ea erat Prouincia, poſſent tribus hebdomadæ diebus carnes comedere: ac inſuper à Patre Generali impetrauit, vt in ipſorum Prouinciam aliquis Viſitator in biennia ſingula mitteretur.

Deinde anno Domini 1614. cum eadem Naſciuanenſis Prouincia propter peſtilentias, bella, latronum irruptiones, & locuſtas penè ad euerſionem perducta eſſet, deſtinatus fuit illuc Superior Prouincialis, Frater Paulus Maria Bononienſis, vir quidem ſapientia, & exemplo vitæ inſignis; qui deferens ſecum Fratrem Auguſtinum Pacenſem Armenum, iam in præſentia eiuſdem Prouinciæ Archiepiſcopum, Eccleſiam illam, cum in ſpiritualibus, tum in temporalibus inſtaurauit: quippe qui non modò, Armenicum aſſequutus idioma, erectoque litterarum Collegio, Fratres priuatis inſtructionibus, ac populum publicis concionibus, docuit, verùm etiam profectus deinde in Indias Orientales, multas inde pecuniarum eleemoſynas, à Luſitanis collectas, miſit in prædictorum ſubſidium. Tandem Romam regreſſus, atque ex Carthuſianorum Ordine, ad quem poſtea ex Dominicano tranſierat, aſſumptus, & creatus Epiſcopus primò Myrenſis, ac deinde Naſciuanenſis Eccleſiæ, antequàm in huius reſidentiam ſe reciperet, contendit in Indias Occidentales, eleemoſynas, quibus ſuam iuuare potuiſſet Eccleſiam, congregaturus. Dum autem, multorum millium aureorum ſumma coadunata, in Italiam retrocederet; mortuus eſt in Hiſpania, vniuerſa relicta pecunia pro Armeniorum fundando Romæ Collegio, cuius nunc extructionem Sacra Congregatio de Fide propaganda molitur.

Multi denique ex Dominicana familia Patres Europei, virtutibus ornatiſſimi, ſingulis quibuſque temporibus in ſubſidium Eccleſiarum, & Cœnobiorum Armeniæ miſſi fuere, vel Miſſionarij, vel Superiores Prouinciales; quorum exantlatos ſtrenuè labores, nec ſudoribus tantum, ſed etiam effuſo multoties pro confeſſione fidei ſanguine irrigatos, volumen vix integrum caperet.

Ex his autem duos, non minus ſcientijs, quam zelo Fidei dilatandæ, alijſque virtutibus præ cæteris opulentos, ipſe in Armena excolenda vinea ſocios habui amiciſſimos. Alter fuit Magiſter Paulus Piromallus Italus à Syderno, qui, poſt diuerſas hæreticorum inſectationes conſtantiſſime toleratas, in deuijs Chriſti Ouibus reducendis adeo profecit doctrina, prædicatione, & exemplo, & adhuc in Perſide proficit: vt eius laus, quam poſteritati, cum conſummata poſt mortem fuerit, plenius celebrandam relinquo, noua hic hiſtoria indigeret. Alter, Magiſter Antonius de Incarnatione Luſitanus, qui, poſtquam Armenicæ linguæ peritiam perfectiſſime aſſecutus fuit, incredibile eſt, quantam in Armenis erudiendis Fratribus, atque in incommodis perferendis, longanimitatem, ac patientiam exhibuerit: cumque ob id maximam eorundem Fratrum ſibi beneuolentiam conciliaſſet, precibus ipſorum inſtantibus, conſtitutus ibi fuit Superior Prouincialis; nec minoris deinde, in ea tranquillè regenda Prouincia, charitatis, & prudentiæ ſpecimen edidit.

Sicuti noſtrorum opera in Armenia Catholica Fides fuit reſtituta, ita alium eiuſdem miniſtrum, præter Prædicatores, neque recepere, neque agnouere Armeni, quibus ab Apoſtolica Sede in Paſtores quoque ſemper fuere præfecti, de quibus Auctor ſupradictus in ſuo opere hæc ſubdit.

De Armeniorum Epiſcopis, ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptis.

Quamuis conſtans traditio ſit apud Armenos Catholicos, ſeptem ipſorum Eccleſias in Oriente ab Epiſcopis, ex Dominicano Fratrum Vnitorum Ordine aſſumptis, fuiſſe ſolitas gubernari; vix tamen quinque earundem Eccleſiarum nomina ex nonnullis vetuſtis codicibus, hactenus apud illos extantibus (cum plerique propter peſtilentias, crebraſque Regionis vaſtationes amiſſi penitus fuerint) hauriri potuerunt. Prima eſt Eccleſia Maragacenſis, cuius fuit Epiſcopus (vt ſupra dictum eſt) Beatus Bartholomæus. Secunda Tefliſenſis apud Georgianos; cui præfuit Dom. P. Fr. Ioannes Epiſcopus, qui vnus fuerat ex focijs eiuſdem B. Bartholomæi: vt conſtat ex libro quodam, ab eodem Fr. Ioanne traducto, in cuius fine hoc ipſum legitur adnotatum. Tertia eſt Eccleſia de Caffà apud Scythas trans Pontum Euxinum: quippe in calce Armeni Martyrologij ſcriptum reperitur, per Dom. Fr. Thaddæum Epiſcopum de Caffà idem fuiſſe Martyrologium ex Græco tranſlatum. Quarta eſt Eccleſia magnæ Ciuitatis de Sultanea in Perſide; vbi erant olim Chriſtianorum Templa viginti quinque; nunc vero vix extant in ea domus aliquot Infidelium cum Eccleſia Maiori, in ſpurcitiam Mahometicæ ſuperſtitionis conuerſa: habetur huius rei mentio in fine cuiuſdam libri contra Mahometanos, à Dom. Fr. Antonio Epiſcopo de Sultanea compoſiti. Quinta demum eſt Eccleſia Naſciuanenſis in Maiori Armenia, cuius quidem Epiſcopi, longa ſibi inuicem ſerie ſuccedentes (cum reliqui cæterarum Eccleſiarum per earum deletionem defecerint) ad hæc vſque tempora perſeuerant: ſolent autem, idque de more veteri, ad Epiſcopatum ex Dominicana Familia promoueri per electionem populi, atque Fra-

trum; deinde accedentes ad Vrbem, confirmantur à Summo Pontifice, & conſecrantur. Horum igitur Epiſcoporum ſeries (paucis intermiſſis, quorum nulla reperitur traditio, neque ſcriptura) ex prædictis libris extracta, ſic ſe habet.

Series Archiepiſcoporum Eccleſiæ Naſciuanenſis in Maiori Armenia.

Dom. Fr. Thomas Ciabuchenſis Armenus conſecratus fuit Archiepiſcopus Naſciuanenſis anno à Virginis partu 1356.

Dom. Fr. Ioannes Arm. eidem præfuit Eccleſiæ ab anno 1462. vſque ad annum 1477.

Dom. Fr. Benedictus Arm. ab anno 1478. vſque ad annum 1492.

Dom. Fr. Baptiſta Arm. ab anno 1494. vſque ad annum 1501.

Dom. Fr. Gregorius Arm. ab anno 1511. vſque ad annum 1537.

Dom. Fr. Benedictus Arm. conſecratus fuit anno 1541. verum dum ex Vrbe reuerteretur in Armeniam, mortuus eſt in Inſula Cypro anno 1542.

Dom. Fr. Stephanus Arm. ab anno 1545. vſque ad annum . . . . . .

Dom. Fr. Nicolaus Arm. ab anno 1561. vſque ad annum 1598.

Dom. Fr. Azarias Arm. conſecratus fuit anno 1604. cumque rediret in Armeniam, obijt in via.

Dom. Fr. Matthæus Arm. dum in quodam Italiæ Monaſterio degeret, audito Azariæ obitu conſecratus fuit Naſciuanenſis Epiſcopus eodem tempore, quo Armeni, accepto nuntio de obitu eiuſdem Azariæ, elegerant iuxta ſuam conſuetudinem Epiſcopum eius Eccleſiæ aliũ Fratrem Matthæum; qui, vbi cognouit, fuiſſe Romæ alium eiuſdem Eccleſiæ ordinatum Epiſcopum, poſt menſes aliquot mortuus eſt; ille verò, ſuam rexit Eccleſiam vſque ad annum 1620.

Dom. Fr. Paulus Maria Italus Bononienſis, aſſumptus ex Carthuſiana Religione, ad quam tranſierat ex Dominicana, creatus fuit Archiepiſcopus Myrenſis cum futura ſucceſſione in Naſciuanenſem Eccleſiam, cui deinde præfuit poſt mortem antedicti Matthæi.

Dom. Fr. Auguſtinus Pacenſis Arm. electus fuit Epiſcopus in Armenia poſt eiuſdem Fratris Matthæi obitum; ſed cum Romam propter ſuam confirmationem, & conſecrationem perueniſſet, comperiſſetque Myrenſem Epiſcopum Paulum Mariam in locum demortui ſucceſſiſſe, creatus & ipſe fuit Epiſcopus Myrenſis, ac ſucceſſor futurus Naſciuanenſis Eccleſiæ, in quam paulo poſt, mortuo prædeceſſore ſucceſſit; eamque adhuc in præſentia prouidentiſſimè regit.

Hæc præfatus Auctor, qui tamen in aſſignandis eorum aſſumptionis, & obitus annis, alijſque pluribus, à veritatis via quandoque deſecit. Nam è viuis ſublato D. F. Baptiſta anno 1501. in illius locum eandem regendam obtinuit Eccleſiam D. F. Benedictus inter Archiepiſcopos huius nominis II. cui D. F. Gregorius ann. 1611. in eadem Sede ſucceſſit, & D. F. Nicolaus à Pio V. anno 1671. & non 1661. (forſitan Impreſſoris error eſt) fuit ad eandem adminiſtrandam Eccleſiam aſſumptus. D. F. Matthæus in eadem Sede præfuit vſque ad annum (non 1620. vt dictus Auctor aſſerit) ſed 1627, vt Patres noſtri Armeni teſtantur, quo anno renuntiato D. Paulo Mariæ Citadino in Hiſpania exiſtenti eiuſdem D. Matthæi obitu, dum ad ſuam Naxiuanenſem Sponſam properaret, in itinere è viuis fuit ſublatus. At in errorem peiorem prioribus incidit idem Galanus, dum prædictum D. F. Paulum ex Carthuſiano inſtituto ad Inſulam fuiſſe euectum affirmat: nam licet verum ſit ipſum aliquando ex Ordine noſtro ad Carthuſianos tranſiſſe, ex mandato tamen Pauli V. fuit iterum ad noſtros reuerſus, inter quos cum per annum, non tamen completum, in Conuentu S. Sixti de Vrbe permanſiſſet, Myrenſis Epiſcopus, ac Nexiouanenſis Suffraganeus fuit creatus, prout omnes antiquiores noſtri Conuentus S. Mariæ ſuper Mineruam Patres, qui eundem P. Citadinum, antequam ad Carthuſianos Neapoli tranſiret, & poſtquã noſtro Ordini fuit reſtitutus, agnouere, proprijſque oculis conſpexere, pleno ore fatentur. D. F. Auguſtinus Pacenſis vniuerſæ carnis ingreſſus eſt viã die 16. Aprilis anni 1653. eique in eadem Eccleſia P. Mag. F. Paulus Piromalus de Siderno ex Calabriæ Prouincia ſucceſſit Menſe Iunij 1655. Hic à S. Congregatione de Propaganda Fide Apoſtolicus Miſſionarius in Armeniam, atque Perſidem miſſus, viginti duobus propemodum annis in Apoſtolico illo miniſterio Deo inſeruiens, plurimos ſchiſmaticos ad Catholicam Fidem, & inter alios Patrem Ciriacum Doctorem celeberrimum Magni Armenorum Patriarchæ (ſchiſmatici tamen) diſcipulum, cum duobus alijs eiuſdem inſtituti, nempe Ioanne, & Carabiet ad Apoſtolicæ Sedis venerationem adduxit. Cum autem Vrbem peteret, propè Siciliam à Piratis Turcis captus, atque Tunetum perductus, poſt redemptam auro ſeruitutem, ab Alexandro Papa VII. Naxciuanenſis Archiepiſcopus renunciatus eſt.

Vt verò huius Prouinciæ aliqua ſit apud noſtros notitia, fidam relationem à P. Magiſtro F. Io: Dominico Nazario Armeno Apoſtolico Miſſionario, S. Congregationi de Propaganda Fide anno 1654. exhibitam, hic recenſere congruum iudicamus.

Armeniæ Archiepiſcopus, qui ex noſtris Dominicanis Profeſſoribus ſemper aſſumitur, Naxiuanenſis nuncupatur. Naxiuanum Armeniæ Maioris Vrbs eſt ſub Perſarum Regis temporali dominio conſtituta. Huius Archiepi-

pi-

Digitized by Google

piſcopalis Eccleſiæ Clerus ex ſolis Prædicatoribus Fratribus conſtat, ijdemque Eccleſiaſticis Sacramentis, ac diuino verbo Catholicos enutriunt (præter Dominicanos enim oullum Eccleſiaſticum miniſtrum, oeque ſecularem, neq; regularem, Armeni admittunt, vel agnoſcunr) io Naxiuanenſi tamen Vrbe præfata, oeque Catholici, neque Latini ritus Eccleſia exiſtit, antiqua enim Cathedralis fuit aliquando à Turcis violata, atque in Moſcheam erecta.

In Abaraner reſidet Archiepiſcopus inter cœteros ooſtros, ab eiſdem enutritus. Archiepiſcopalis enim menſæ redditus quinquaginta illius monetæ ſcuta non attingunt. Supra centum quinquagiota Catholicorum Domus, ſeo maoſiones (iu qoibus plures familiæ quandoque ſunt) in Abaraner exiſtunt in eiſdem autem circiter mille, & quingeoti Catholici numerantur. Ibi Ordinis noſtri principalior Conuentus cum Eccleſia, Deo Optimo Maximo ſub Omuiom Sanctorum inuocatione dicata, exiſtit, in quo nouem, vel decem PP. Sacerdotes cum vno Fratre Conuerſo degunt, qui Patres tanquam Canonici Archiepiſcopo in Pootificalibus aſſiſtunt, & inſeruiunt. Aluntur prærerea in eodē Adoleſcentes in Latinæ linguæ, atque ſacrarum ſcientiarum peritia promouendi, qui in ſacris Miniſterijs Archiepiſcopo, atque Eccleſiæ inſeruiunt. Sacris vaſis argenteis, Crucibus, paramentis, ſacroque Fonte eſt Eccleſia dirara, nolaria tamen turri, ac campanis deſtituta; hæ eoim Mahomeranis odibiles ſunt. Sexcenrorum ſcutorum illius monetæ (quæ patacones apud Hiſpanos nuncupantur) enumeratis quoque Fidelium eleemoſyois, huius Coneboij ſuot redditus, ex quibus centum quinquaginta pro annuo tributo Perſæ exhibentur.

In Ciahuch ſunt circiter cenrum Catholicæ maoſiones (manſiones autem, & non familias nuncopamus, quia in ciuſdem domus ambitu plures quandoque familię permanent) in quibus mille Fideles commuoirer nuncupantur. Ibi quoque Cœnobium habemus cum ſex Patribus, duobuſque ſacris litteris imbuendis Adoleſcentibus, cuius Eccleſia S. Ioanni Baptiſtę dicata exiſtit, ijs, quæ ad ſacrum Miniſterium pertinent, & ſacro Foote conuenienter ornata, habetque tercenta pro annuo redditu ſcuta, ex quibus pro annuo tributo trigiota ſoluuntur.

In Coſcaſcen ſupra ſexaginta Fidelium habitatiooes ſunr, in quibus ſeptingenti Catholici enumerantur. Ibi Cœnobium ſub S. Stephani Protoniartyris innocatiooe habemus, in quo quinque Patres cum duobus adoleſcentulis in ſacris litteris erudiendis permanent. centum annui redditus ſcura enumeratis eleemoſynis, poſſidet, ex quibus viginti Perſis in tributum offeruntur. Eccleſia eſt Baptiſmali Fonte, ac ſacris veſtibus competenter decorata.

In Apracunis triginta circiter Catholicorum manſiones exiſtuor, io quibus ducentum viginti enomerantur Fideles, ibique Conuentum ſub inoocatione S. Georgij habemus, in quo duo PP. Sacerdotes, cum vno in ſacris litteris inſtruendo Adoleſcente, viuunt, eaque Eccleſia paupertima eſt. Septuaginta annui redditus (numeratis eleemoſynis) ſcuta conſeqoitur, ex quibus vigioti in tributum Perſæ dantur.

In Sciahbunis Catholicorum trigiota quinque manſiones degunt, in quibus bis centum, & quinquaginta circiter Fideles exiſtunt. Ibi noſtra Eccleſia B. Virg. Annuntiatæ eſt dicata, cui qoinque ex noſtris Patribus com vno Adoleſcente inſeruiunt: quinquaginta annui redditus ſcura poſſidet, ex quibus quindecim in tributum Regi exhibentur: vt autem Fratres ibidem ſuſtentari valeant, in ſudore vultus ſui veſcuntur pane ſuo, nam ad excolendas propria manu vineas, & campos pergunt.

In Seltach tres reperiuntur Catholicorum manſiones, quæ ex 20. circiter Fidelibus conſtant. Ibi fuit aliquando Conuentus noſter; quia vero per vnicum milliare ab Abaraner diſtat, in feſtiuitatis diebus ab eodē Cooueotu mittitur P. Sacerdos, qui in Eccleſia, S. Georgio Martyri dicata diuina perſoluit.

In Charna duæ tantum Fidelium manſiones exiſtunt, iu quibus decem circiter Catholici viuunt, & per milliarij dimidium ab Abaraner diſtat. Ibi Conuentum quoque habemus cum Eccleſia Beatiſſimæ Virg. in Cœlum Aſſumptę dicata, in qua B. Bartholomæi Parui, de quo ſupra copioſum ſermonem habuimus, corpus requieſcit, & bini Patres Sacerdotes, cum vno Adoleſceote eidem inſeruiunt; Tantaque eſt miraculorum copia ab eodem B. patrata, vr etiam ipſi infideles maximum eidem exhibeant honorem, atque eleemoſynas offerant, ex quibus Peregrini omnes deuotionis cauſa illuc confluentes, outriuntur: ducentorum ſcutorum eleemoſynarum redditus annualiter computantur, ex quibus quinginta in tributum ſunt adiudicata.

In Ganzag vnica, tanquam inter ſpinas roſa, tantum Catholica familia exiſtit, quæ ex quinque Fidelibus couſtat; Conuentum tamen ibidem habemus cum Eccleſia B. Virg. Mariæ dicata, cui duo Patres inſeruiunt, qui corporali exercitatione ſibi victum, & veſtitum acquirunt.

In Chezuch nouem Catholicarum familiarum manſiones ſunt, in quibus circa quinquaginta Fideles numerantur, vbi bina Sacella ſunt pro ſacris habeodis. Conuentum ibidem oon habemus, ſed vnus Sacerdos in paterna

do-

domo exiſtit, qui fidelibus Sacramenta miniſtrat, in cuius adiutorium quadrageſimæ tempore ex Abarauer vnus P. Sacerdos mittitur.

In Charaeaſe quatuor Catholicorum habitationes ſunt, in quibus ferè triginta fideles enumerantur. Conuentum ibidem non habemus, exiſtit tamen ſacellum, in quo diuina Sacerdos ex Conuentu de Chiuch miſſus perſoluit.

Pro augenda autem in eiſdem partibus catholica Religione, Gregorius Papa XV. Adoleſcentum Collegium ibidem fundauit ſub Patrum noſtrorum cura, & gubernio, aſſignatis quingentis aureis pro eorundem alimentis, a S. Congregatione de Propaganda Fide ſoluendis, conſtituto eiuſdem Collegij fundatore, atque primo Rectore P. F. Gregorio Vrſino Romano Conuentus noſtri S. Mariæ ſuper Mineruam filio, qui in itinere prope Alingium ab Infidelibus proprijs veſtibus, atque bonis omnibus expoliatus, grauiterque vulneratus, abſciſſis læuę duobus minoribus digitis, in Vrbem redire poſt paucos menſes fuit coactus; & tandem Ciuitatis Vetulę Prior effectus, ibidem quieuit in pace. Regnante verò Vrbano VIII. P. F. Paulus Piromallus (de quo ſupra inter Archiepiſcopos) pro dicto fundando Collegio ab eadem S. Congregatione fuit illuc tranſmiſſus; at re non proſpere ſubſequuta, in Perſidem Miſſionarius properauit: Tandemque P. Mag. F. Io: Dominicus Nazarius Armenus tale Collegium ad optatum finem perduxit in Abaraner, in quo Adoleſcentes aliquot in ſacris ritibus, & ſtudijs erudiuntur.

Celebris extitit in noſtro Ordine priſcis temporibus hæc Prouincia, & in ea quinquaginta propemodum Conuentus numerabantur; in quibus Deo ſeptingenti inſeruiebant ex noſtris: At Turcarum tyrannide inualeſcente, omnes depopulari, atque euerti, vix tantæ ruinę ſupradictę remanſere reliquiæ: in Regeſtis autem Magiſtri Ordinis P. F. Leonardi de Manſuetis eiuſdē Prouinciæ Prioris Prouincialis ſequens reperitur memoria. *F. Mathias de Charna Prior Prouincialis, & Rector Conuentuum noſtri Ord. Maioris Armeniæ, Magiſter Gregorius de Eccleſia Omnium Sanctorum in Maiori Armenia in Ciuitate Abaraner, & F. Laurentius Ioannis de Armenia, habuerunt literas comendatitias per totum Ordinem, quòd benignè recipiantur. Dat. Romę 10. Aprilis 1475.*

Eadem Prouincia ſub Nexciouanenſis nomine fuit acceptata Romæ 1583. acceptat. vltima in hunc modum. *Acceptamus Prouinciam Nexciouanenſem Armenorum ſub communi cura Ordinis.* Et à tali acceptatione fuit locum inter cœteras Ordinis Prouincias conſequuta: & nouiſſimè Romę 1650. eiuſdem Prouinciali fuit quoque in Generalibus Capitulis votum ita conceſſum. *Concedimus quòd P. Prouincialis Armeniæ poſſit habere vocem in Capitulis Generalibus, cum eius Prouincia, tam Conuentuum, quàm Fratrum numero incipiat reflorere.*

Antiquitatis quoque huius Prouinciæ teſtimonium exhibet Vrbanus Papa VIII. in ſuo Apoſtolico Breui Perſarum Regi tranſmiſſo, quod Romæ 1644. fuit in hunc modum denunciatum.

Denunciamus emanaſſe Breue Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani Papæ VIII. Ad Regem Perſarum, Armeniæ Maioris poſſeſſorem directum, & per P. Fratrem Thomam Vitalem de Monte Regali delatum, & porrectum, ex quo & antiquitas huius Prouinciæ colligitur, & ſollicitudo Pontificis, in hoc, vt in ea vigeat Regularis obſeruantia, ſequentis tenoris.

VRBANVS PAPA VIII.

Illuſtris ac Potentiſſime Rex. ſalutem, & lumen Diuinæ gratię.

Non vnius Europæ finibus concluditur Pontificia ſolicitudo, ſed ad omnes etiam remotiſſimas regiones, ſedulo ſe profert, præcipuam Romani Pontificatus gloriam in eo ſtudio conſtituens, quo æternæ quarumcunque gentium ſaluti conſultum ſit. Proinde cum trecentis ab hinc annis in Nexciuanenſi Prouincia, nonnulli ex Ordine S. Dominici ritus latini verſati fuerint, ad illos identidem Summi Pontifices mittere conſueuerunt ex eorum Fratrum familia Italos Sacerdotes ſcientiam ſalutis edoctos, à quibus de ſingulis, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent, tum etiam quę ad regularis diſciplinæ conſeruationem ſunt neceſſaria, erudirentur. Nos qui erga ampliſſimum iſtud Regnum Charitate, aut iuuandi deſiderio, nulli ex Deceſſoribus noſtris concedere profitemur, ne Paſtorali muneri aliqua ex parte defuiſſe videamur, pium ipſorum inſtitutum proſequentes, mittimus dilectum filium Thomam Vitalem de Monte Regali, virum pietate, prudentia, cęteriſque virtutibus inſtructum, vt Collegij Armenorum in Alingia, Rectorem, atque Magiſtrum agat. Non terrent illum longiſſimi itineris diſcrimina, quin iſtuc ſe conferat ad veritatem Euangelicam promulgandam, & nomen Domini portandum coram gentibus, eique hoc vnum votum eſt, & negotium, immortali animorum bono conſulere, & ſemina ſpargere cęleſtis verbi, quibus Deo incremento dante, aliquando verę felicitatis fructus colligantur. Non dubiè ſperamus forè, vt ei celſitudinis tuę patrocinium ſuffragetur. Exploratum enim te ipſa habemus, quibuſnam beneuoli animi documentis alios exceperis, quos ad latè patentis tuæ ditionis loca non ſemel allegauimus. Quare dubitandum

Digitized by Google

dum non eſt, ne pari regalis clementiæ ſignificationem impoſterum quoque tui ſimilem te præbeas. Illum tamen tibi ſetiò commendamus, atque à Celſitudine tua maiorem in modum petimus, vt ei patrocinij tui vi communito, liberè vbique, & abſque aliquo impedimento muneris ſui functionibus operam dare permittatur. Non minori diligentia Chriſtianos omnes tibi commendamus, qui in iſto Regno Commorantur; eos enimi licet tam longa locorum diſtantia remotos Apoſtolicæ charitatis brachijs peramanter complectimur. Quod ſi quemadmodum de animi tui Celſitudine nobis pollicemur pręſtiſteris, illos nulla ætas arguet beneficiorum immemores, ſed Celſitudinem tuam, quam ſummis laudibus proſequuntur, continenter extollent. In primis autem pijs ſupplicationibus, & ſacrificijs tibi incolumitatem, & perenne bonum à diuina clementia enixè precabuntur. Nos interim veram Celſitudini tuæ faultitatem exoptantes, plurimum cupimus tibi illuceſcere ſolem iuſtitię orientem ex alto, Deumque illum oramus, qui dat ſalutem Regibus, vt te non ſolùm terrena felicitate diutiſſime perfui velit, ſed ad eam etiam ſemitam clementer aduocet, vnde ſedes paratur in ęternę beatitudinis Principatu. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die 13. Octobris Anno 1637. Pontificatus noſtri anno quintodecimo. *A tergo* Illuſtri ac Potentiſſimo Regi Perſarum.

Pro huius Prouinciæ conſeruatione ſequentia omnia in Generaliſſimo Capitulo Romano anno 1644. congregato, fuere ordinata.

1 Recipiendi ad habitum, in Conuentu Chiauch prius imbuantur, & poſtea in Abaraner ad habitum recipiantur. *Cum itaque iam per tot annorum curricula in illis remotiſſimis regionibus Religio noſtra viguerit, & vigeat adhuc; enitendum eſt, vt in dies maiora etiam faciat incrementa. Et quia in dicta Prouincia adoleſcentes habitum Religionis ſuſcepturi, prius per aliquot annos in noſtris Conuentibus aluntur, inſtruuntur, & diurnis, ac nocturnis precibus vna cum alijs Fratribus adeſſe ſolent, ſtatuimus primò vt magis apti, & idonei eligantur, & in Conuentu Chiauch litteris & moribus imbuantur, & tempore debito in Conuentu Abaraner ad habitum Religionis admittantur, & poſt annum probationis aptiores ad Vrbem tranſmittantur, vt Philoſophicum, & theologicum curſum abſoluere poſſint.*

2 Abſolutis Studijs huius Prouinciæ Fratres in Armeniam reuertantur. *Ordinamus, vt ſtudijs abſolutis ad propriam Prouinciam* (ſcil. Armeni Studentes) *reuerti debeant in eaque manere, laborare, lectioni, prædicationi, & confeſſionibus inſiſtere; neque poſſunt, vel in Italia, vel extra in alienis Prouincijs deputari, aſſignari, affiliari, vnde omnes affiliationes dictorum Fratrum Armenorum factas, vel faciendas alienis Prouincijs irritamus, & irritas eſſe declaramus.*

3 Fructus cenſus, ſuper Turrim Vergatam Romæ ſundatus, pro Studentium Armenorum Vrbis viatico fueræ adiudicati. *Ne Fratres abſolutis ſtudijs occaſionem ſumant diuagādi ad querendum viaticum pro reditu, annuum cēſum ſcutorum 65. ſuper Turrim Vergatam* (quę ad Ducem Parmæ ſpectat) *fundatum ad dictam Prouinciam ſpectantem in vſum tantùm dictorum Fratrum Armenorum hic Romę Studentium, conuertimus: vnde pecunia illius cēſus annuatim collecta, ad hunc tantùm vſum perpetuis temporibus ſeruabitur.*

4 Linguarum ſtudia promoueantur. *Vt facilius, & citius per Fratres noſtros poſſit Catholica Religio in partibus Infidelium propagari, idiomatum cognitio requiritur. Quare ea omnia confirmamus, quæ circa ſtudia Linguarum in multis Capitulis Generalibus ordinata fuerunt, & rogamus Reuerendiſs. P. Generalem, vt quantum fieri poterit dicta ſtudia promoueat.*

5 Vt Indiarum Orientalium Vicarius in Spahan Conuentum Ordinis fundare curaret iniunctum eidem ita fuit. *Poteſt Catholica Religio per Fratres noſtros facilius apud Perſas, quam apud Turcas propagari; quia apud Perſas poteſt aliquis de rebus fidei tractare, quod nullo modo permittitur à Turcis: & cùm in Spahaum, vbi reſidet Rex ſint alij tres Ordines Mendicantium, congruum eſt, vt ibi ordo noſter Prædicatorum non deſit. De mortuus Rex Perſarum libros de noſtra Religione tractantes habebat, & inter alios opus illud Ludouici Granatenſis, in quo peccatores à malo reuocantur, & ad bonum diriguntur. Fortè aliquando Deus opera Fratrum noſtrorum, & aliorum Religioſorum, ac fulgentiſſimis radijs Doctrinæ D. Thomæ diſcutiet tenebras infidelitatis à corde Regis, & ſuorum Nobilium: Quare Vicarius Indiarum Orientalium in hanc curam toto pectore incumbat, vt fundet Conuentum in Spahaum, & operarios mittat ad laborandum, cum ſpe fructus conſequendi.*

Digitized by Google

PRO PROV. S.CATHARINAE M. DE QVITO.

XXXV.

FIlia Prouincię S. Io: Baptiſtæ de Perù eſt hæc. Cum enim in Generalibus Comitijs Bononiæ ann. 1564. habitis Magiſtro Ord. P. F. Vincentio Iuſtiniano fuiſſet Peruanę Prouinciæ diuiſio demandata (vt ſupra Pro Prou. S. Io: Bapt. de Perù retulimus), & accedentibus hac in re multis difficultatibus id non præſtitiſſet, in ſub ſequenti Romano Capitulo 1569. hoc idem fuit illi iterum iniunctum. At ipſo ſequenti anno à Pio V. Pont. Max. ad purpuram euocato, præfata diuiſio à Magiſtro Ord. P. F. Sixto Fabri Lucenſe fuit poſtea exequutioni tradita, quæ in ſequenti Romano Capitulo fuit ita conf. 16. confirmata. *Confirmamus diniſionem Prouinciæ S. Io: Baptiſtæ del Perù in tres Prouincias, quarum vna dicatur, & ſit S. Io: Baptiſta, eius nomen, & antiquitatem per omnia retinens. Secunda autem ſit S. Catherinæ Martyris del Quito. Tertia verò S. Laurentij de Chile quo pacto etiam nunc diniſæ reperiuntur; confirmamuſque earundem Prouinciarum Prouinciales in præſentiarum exiſtentes.*

Pro regulati igitur obſeruantia in hac Prouincia firmanda, ſequentia fuere in Generalibus Capitulis ſancita.

1 Graduatorum numerus in eodem Capitulo, in quo fuit hæc Prouincia in Ordine confirmata, cum in ſingulis Prouincijs fuiſſet præſcriptus, huic quoque idem aſſignatus eſt determinando, Magiſtros tres, & Præſentatos ſex, ex quibus duo Prædicatores eſſent aſſumendi, vt ſupra Pro Prou. Toloſana num. 26. retulimus. Multiplicatis autem in hac Prouincia Conuentibus, atque Fratribus, in Pariſienſi Capitulo ann. 1611. celebrato, Magiſtros quatuor, Pręſentatos verò nouē fore, ex quibus ſex lecturæ, reliqui verò, Prędicationis titulo, eſſent, decretum fuit. *Concedimus eidem Prouinciæ quod poſſit habere quatuor Magiſtros, & nouē Præſentatos, ex quibus ſex erunt titulo lecturæ Sacræ Theologię, & tres titulo Prædicationis.* Romæ verò 1629. Præſentatorum numerus ad duodenarium fuit dilatatus. *Augemus numerum Præſentatorum vſque ad duodenarium, quorum ſex ſint ad titulum prædicationis.* Et ibidem immediatè ſubditur, quod poſſit hæc Prouincia Prædicatores Generales titulo linguarum ſupra Conuentuum numerum habere. *Statuimus, vt pro ſecularibus Prouincijs Indorum habeat hæc Prouincia Prædicatores Generales ſupra numerum ſuorum Conuentuum, cum omnibus gratijs, & priuilegijs, vt ita commodius, & propinquius in præfatis Prouincijs Catholica Fides propagetur.* Quæ omnia fuere. Romæ 1644. ita confirmata. *Confirmamus, & concedimus numerum Magiſtrorum, Præſentatorum, & Prædicatorum, tam titulo Lectoratus, quam titulo Prædicationis dictæ Prouinciæ à Capitulis Generalibus conceſſum, & ſimiliter confirmamus prædicaturas Generales ad titulum linguarum ſupra numerum Conuentuum conceſſas.* Tandem Romæ 1650. bina Graduatoram loca huic Prouinciæ fuere conceſſa, vnum ſcilicet Magiſterium, & vna Præſentatura pro titulo, & lectione linguarum. *Ordinamus pro hac Prouincia id, quod ſuperius diſpoſitum fuit pro Mexicana* §. Denique cum ad procurandam. & §. *ſeq.* Cum verò. *Nempe, vt pro communiori illius regionis idiomate duę inſtituantur Cathedrę, &c. ſub yſdem præmijs Profeſſorum, annis lecturæ, obligatione Studentium, alijſque clauſulis ibidem expreſſis.* Quas ordinationes vide Pro Prou. S. Iacobi de Mexico num. 22.

2 Ordinationes à Magiſtro Ord. P. F. Thoma Turco pro fœlici huius Prouinciæ regimine, Valentiæ 1647. fuere ita confirmatę. *Confirmamus omnes ordinationes pro bono huius Prouinciæ à Reuerendiſs. P. Generali datas Romæ 3. Aprilis 1645. excepta quinta, quam moderandam duximus quoad inſtitutiones Prædicatorum Generalium. Cum enim in ea Prouincia Capitula Intermedia non ſint in vſu, ſeu Congregationes intermediæ duntaxat celebrari ſoleant, volumus vt in Capitulo electionis Prædicatores Generales poſſint inſtitui pro locis actu vacantibus, dummodo Magiſtro Ord. pro tempore proponantur, & ab eodem approbentur; volentes quòd interim gaudeant voce cæteriſque priuilegijs, niſi aliter per Magiſtrum Ord. diſpoſitum fuerit. Inſuper tamen decernimus, quod Prædicatores Generales ad titulum alicuius linguæ Indorum inſtituti, expirent ipſis mortuis, quodque tales inſtitutiones ad ſolum Magiſtrum Ord. pertineant: & ſi aliquæ repertæ fuerint alijs Fratribus à Prouincialibus conceſſæ, qui illud Idioma Indicum non perfectè calleant, ratione cuius promoti fuerunt, irritæ ſint, & nullæ. Et amplius decernimus,*

quòd

quid non inſtituantur impoſterum Prædicatores Generales niſi ſeruatis ad vngnem Conſtitut. & cum omnibus requiſitis prout habetur in Capit. Rom. 1629. ord. 15. Quam ordinationem vide in prima parte de Prædicat. General. num. 3.

3 Cum huic Prouinciæ in Romano Capitulo 1644. fuerit conceſſum, vt Prouinciale Capitulum pro Prouincialis electione die tertia Octobris celebraretur, id in ſequenti Valentino Capitulo 1647. fuit reuocatum, die xx. Septembris pro eadem electione determinata. Ita enim habetur. *Confirmamus, quòd ſtatutum fuit multoties à Reuerendiſſimis Magiſt. Ord. F. Seraphino Sicco, & Nicolao Rodulphio ſcilicet quòd Capitulum Prouinciale ſemper celebretur die 20. Septemb. non obſtante conceſſione facta per Capitulum Generaliſſimum Romę 1644. & hoc tam quoad iura, & libertatem eius, quam quoad alternatiuam inter Fratres in Hiſpania natos, & in Indys, iuxta quod eſt decretum Regium. Quòd ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.*

4 Diffinitores, & Magiſtri Prouinciæ determinent dubia, quæ circa eiuſdem Prouinciæ regimen occurrunt. Valentiæ 1647. *Vt enitentur, nec Fratres accipiant occaſionem recurrendi ad tribunalia ſecularia (quòd tam ſeuerè eſt prohibitum) ordinamus quod Diffinitores, Magiſtri, & Patres Prouinciæ determinent dubia, quæ oriuntur circa gubernium Prouinciæ, & quòd horum determinationi omnino, ſtetur, donec perueniat declaratio Magiſtri Ord. vel fiat electio Prouincialis, non ſecus ac quando contingit oriri aliquod dubium in ipſa electione Prouincialis iuxta ordinationem Capituli Generalis Pariſius 1611. & qui ad tribunalia ſecularia impoſterum recurrerint, omnibus pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis contra tales præſcriptis, ipſo facto ſint ſubiecti.*

5 Superiores, qui ſuis Conuentibus beneficia temporalia non exhibuerint, per quadriennium ad idem munus non aſſumantur. Valentiæ 1647. *Ordinamus, vt Prior quicumque, ſeu Doctrinarius, qui tempore ſui Prioratus, ſeu Doctrinæ aliquod incrementum non dederit Conuentui, ſeu Doctrinæ in ædificio, aut in redditibus, in pœnam per quadriennium non poſſit ad alium Prioratum, ſeu Doctrinam promoueri, auferentes ab omni bus auctoritatem ſuper hoc diſpenſandi.*

6 In Conuentu de Popayan ſint Artium, & Caſuum Conſcientiæ Lectores. Valentiæ 1647. *Ordinamus, vt in Conuentu de Popayan inſtituatur Lector Artium, & Caſuum Moralium.*

7 Conuentuum bona nullo modo alienentur. Valentiæ 1647. *Ordinamus, quòd non alienentur bona immobilia Conuentuum, ſed omnino ſeruentur decreta Apoſtolica circa hoc, irritum & inane decernentes quidquid in contrarium contigerit attentari. Volentes quòd Priores, qui in hoc deliquerint, vltra pœnas in ſacris Canonibus, & Bullis Pontificum contentas, pœnam grauioris culpæ habeant.*

8 Prouinciale Capitulum electionis, ſeu Congregationis intermediæ in Conuentu S. Petri Martyr. de Quito habeatur. Valentiæ 1647. *Ordinamus quòd Capitulum Prouinciale electionis, ſeu Congregationis intermediæ nullatenus fiat, niſi in Conuentu S. Petri Mart. de Quito, iuxta ordinationem Reuerendiſs. P. Rodulphy. Quòd ſi ſecus factum fuerit totum ſit irritum, & inane.*

9 Cunctę Magiſtrorum Ordinis Seraphini Sicci, & Nicolai Rodulphij ordinationes pro hac Prouincia emanatæ, fueræ Romę 1644. ita confirmatę. *Confirmamus omnia, quæ conceſſa, & ordinata ſunt à Capitulis Generalibus, & à Reuerendiſs. Magiſtris Ord. Fratre Seraphino Sicco, & F. Nicolao Rodulphio pro bono regimine dictæ Prouinciæ, exceptis his ſuper quæ poſtulata fuerit ſpecialis relaxatio, ſeu mutatio pro maiori Prouinciæ commodo in hoc Capitulo Generaliſſimo, vel à Reuerendiſs. P. Magiſtro Generali.*

10 In recipiendis Nouitijs eorum ætas per authenticum teſtimonium in libro recipiendorum adnotetur. Romæ 1644. *Ordinamus, quòd quando aliqui recipiuntur ad habitum Clericalem, ſeruatis ſeruandis; quæ in Conſtitutionibus, & ordinat. Prouinciæ ſunt diſpoſita, Prior Conuentus, & Magiſter Nouitiorum, ſub pœna ſuſpenſionis ab eorum officys, debeant deſcribere in libro eorum, qui recipiuntur ad habitum, & profeſſionem, non ſolum nomen, diem & annum receptionis, ſed etiam ætatem receptorum per inſtrumentum authenticum, & ſi ſecus fiat, recepti ad habitum, & profeſſionem debeant indiſpenſabiliter in domo Nouitiorum manere per octo annos, & vſque ad dictum tempus non promoueantur ad Sac. Præsbyteratus Ordinem.*

11 In Conuentu de la Penna de Francia ſint Lectores Artium, & S. Theologiæ. Romæ 1629. *Ordinamus, vt in Conuentu de la Penna de Francia, in quo viget ſtrictior obſeruantia, ſint aſſiduè duo Lectores Artium, & S. Theologiæ, qui huiuſmodi ſcientias diligenter profiteantur.*

12 In præfato Conuentu Nouitij ad habitum recipi poſſunt. Ita in eodem Capitulo ſubditur. *Concedimus huic Prouinciæ, vt in præfato Conuentu* (ſcilicet de la Penna de Francia) *poſſint recipi, & educari Nouity, ſeruatis ſeruandis.*

13 S. Catherinæ Virg. & Mart. feſtiuitas cum ſolemni Octaua celebretur in hac Prouincia ex conceſſione Capituli Romani 1629. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt celebrare poſſit*

Octauam ſolemnem S. Catharinæ Mart. ſuæ Patronæ.

14 Caueant Fratres ne per emendicatos fauores aliquid in Ordine obtineee nitantur. Toloſæ 1628. *Sub præcepto formali, & pœnæ excommunicationis latæ ſententiæ mandamus, vt nullus per emendicatos ſecularium fauores gratiam aliquam, ſeu honorem, aut officium ſibi, vel alijs directè, vel indirectè procuret.* Quod etiam Pariſijs 1611. fuerat ordinatum, & prohibitum expreſsè.

15 Ad Monialium Monaſteria nullus accedat. Toloſæ 1628. *Nullus accedere audeat ad Monaſteria Monialium noſtri, vel alterius Ord. ad colloquendum cum eis, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & alijs pœnis in decretis Apoſtolicis contentis.*

16 Nullus abſque proprij Superioris licentia Eccleſiaſticos Ordines ſuſcipere præſumat. Toloſæ 1628. *Si quis abſque Superioris licentia, & dimiſſorijs litteris eccleſiaſticos Ordines recipere auſus fuerit, ſubiaceat pœnis, per Apoſtolicas, & noſtras Conſtitutiones, ac Leges contra malè promotos conſtitutis.*

17 A Conuerſorum ſtatu, ad Clericorum habitum nullus aſſumatur. Toloſæ 1628. *Declaramus nullum è ſtatu Conuerſorum ad Clericalem poſſe tranſire; & ſi fortè abuſus circa hoc irrepſerint, huiuſmodi translatos, nec officia habere, nec Doctrinas adminiſtrare poſſe.*

18 In vnoquoque Conuentu ſit infirmaria pro infirmis curandis. Toloſæ 1628. *Mandamus, vt in vnoquoque Conuentu Infirmaria conſtruatur, & deputetur, ipſique Superiores ſub pœna abſolutionis ab officijs diligentiſſimè ſtudeant vt infirmi ibidem magna charitate curentur, omniaque neceſſaria illis ſubminiſtrentur: nec vlla ratione permittant ipſos infirmos in domibus ſecularium, multò minus in hoſpitalibus curari: declarantes eoſdem Prælatos, ſi huic mandato contrauenerint, eo ipſo à ſuis officijs abſolutos.*

19 In præcipuo Prouinciæ Conuentu ſemper aliqui Doctiores Patres adſint. Toloſæ 1628. *In præcipuo Conuentu Prouinciæ ſemper adſint Patres aliqui doctiores ad ipſius Conuentus decorem, & ſecularium ædificationem.*

20 Bona Fratrum extra Ordinem non depoſitentur, ſub pœna priuationis eorundem. Toloſæ 1628. *Vt paupertatis votum inuiolatè ſeruetur, nec vnquam liceat alicui Fratri aliquid pecuniarum, auri, argenti, lapidum, aut rerum aliarum pretioſarum apud ſe, vel apud ſeculares retinere, ſed in communi depoſito Conuentus hæc omnia ſeruentur; ſub pœna priuationis omnium eiuſmodi bonorum eo ipſo incurrenda: quæ quidem bona ex nunc in tali euentu declaramus Conuentui applicata.*

21 Nullus ex Meſticis ad habitũ recipiatur. Pariſijs 1611. quod ita fuit confirmatũ Toloſæ 1628. *Confirmamus ordinationem Capituli Pariſienſis, vt nullus (quod aiunt) Meſtizus, id eſt natus ex Hiſpano, & Inda, poſſit ad habitum recipi.*

22 A Iudicum ſententijs appellantes, à pleno Capitulo iudicentur. Pariſijs 1611. *Declaramus circa dubia, quæ Prouincia propoſuit. Primò, in electione Prioris Prouincialis, debere tres Priores antiquiores, non tamen Vicarium Prouinciæ, ſi tamen non ſit vnus ex dictis tribus antiquioribus, ad bancum ſedere. Secundò, à determinatione, & ſententia Iudicum, ſi quis ab eis grauatum ſe ſenſerit, recurrendum eſſe ad Capitulum plenum, vbi vocales legitimi audire debebunt Iudicum ſententiam, eamque (ſi videbitur) iterum diſcuſſam, ſimul cum Vicario Generali, vel confirmare, vel infirmare. Tertiò, in rebus dumtaxat grauioribus à ſententia lata gradatim ſecundum dignitatem officiorum appellationem eius, qui ſe grauatum exiſtimauerit, eſſe admittendam. Quartò, infra duos menſes ante Capitulũ electionis Prouincialis, nullas debere fieri mutationes Fratrum, vel aſſignationes, & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.*

23 Declaratio Romani Capit. 1601. de addendis Iuuenibus in ſacris conſtitutis in electionibus Priorum ex Sacerdotum defectu, ad electiones Socij non extenditur. Pariſijs 1611. *Declaramus ea, quæ in quinta declaratione Capituli Romani 1601. continentur, videlicet, Quod ſi in aliquo Conuentu non recipiantur, niſi duo vocales, tunc adiungantur vſque ad numerum quinarium, &c. debere intelligi de electione Prioris, non autem Socij, & ſi quinque, aut adminus tres fuerint, eligant, aliàs ſi non ſint, deuoluitur electio ad Patrem Prouincialem, qui de conſilio quatuor Patrum grauiorum maxima conſideratione adhibita prouidere debebit, eius et eorum conſcientias ſuper hoc aggrauantes.* Veruntamen circa hoc vide ea, quæ dicuntur in pr. par. De Electionib. num. 17.

24 Ad Diffinitores ſpectat declarare quando Prouincialis ſuſpenſionem, ſeu abſolutionem à ſuo munere incurrat. Pariſijs 1611. *Declaramus inſuper, quòd quando in Actis Capitulorum Generalium præſcribitur Prouincialibus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, vel abſolutionis; ad Diffinitores Capituli Prouincialis, vel intermedij, ſeu Congregationis pertinet declarare, an Prouincialis incurrerit ſuſpenſionem, vel abſolutionem, vel alias pœnas.*

25 Prædicatores Generales in Prouincialibus Capitulis, vel Intermedijs Congregationibus ritè inſtituti, ſtatim voce gaudent. Pariſijs 1611. *Declaramus etiam Prædicatores Generales nominatos in Capitulis Prouincialibus, vel in Congregatione vim Capituli Prouincialis habente à Diffinitoribus, habere vocem abſque alia declaratione, vel confirmatione.*

26 Magiſtri ad Prouinciæ petitionem inſtituti, ſtatim omnibus priuilegijs gaudent.

Pa-

Digitized by Google

Pariſijs 1611. *Declaramus Magiſtros inſtitutos ad petitionem Prouinciæ non indigere alia acceptatione eiuſdem Prouinciæ pro eodem gradu.*

27 Qui nam Conuentus Socium pro Prouinciali Capitulo poſſint eligere fuit ita declaratum Pariſijs 1611. *Ordinamus ad petitionem eiuſdem Prouinciæ, quòd in Conuentibus Ciuitatum Hiſpanorum, vbi non ſunt octo Religioſi, quos competenter alere poſſint, nullo modo Socius eligatur; in Conuentibus autem, qui ſunt in oppidis Indorum, ad eligendum Socium, duodecim eſſe debebunt, & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane, & electio Socij pro nulla habeatur.*

28 Qui ſunt in Doctrinis, in Priorum Socios pro Capitulo eligi non poſſunt. Pariſijs 1611. *Ordinamus præterea non poſſe eligi in Socium Prioris eum, qui actu eſt in oppidis, et doctrinis Indorum, & Socium, qui vocem habuit in electione Prouincialis, non poſſe mitti ad eadem oppida, ſeu Doctrinas, niſi poſt duos annos à die electionis Prouincialis computandos, & ſi commodè fieri poteſt, volumus dictum Socium triginta ad minus annos eſſe natum.*

29 Patres Doctrinarij eligantur in Capitulis; in Doctrinis autem tantum per biennium permanebunt. Pariſijs 1611. *Ordinamus inſuper, Fratres noſtros non poſſe mitti ad dicta oppida, ſeu Doctrinas Indorum, niſi à Capitulo Prouinciali, vel Congregatione ab A.R.P. Prouinciali, & Diffinitoribus, nec poterunt dicti Patres manere in prædictis oppidis, ſeu Doctrinis, niſi per duos annos dumtaxat. In quibus duobus annis ſi aliquem dictorum Patrum mori, vel à ſua Doctrina amoueri quauis de cauſa contingat, ad A.R.P. Prouincialem, & ſex Patres à Conſilio pertinebit de alio prouidere: Cui P. Prouinciali concedimus, vt ſuper iſtos duos annos diſpenſare poſſit cum Magiſtris in Theologia, Patribus Prouinciæ, Præſentatis, & Sexagenarijs.*

30 Viſitator Priorem abſoluens, in eius locum eligi non poteſt. Pariſijs 1611. *Ordinamus, & diſtrictè obſeruari volumus, Viſitatorem abſoluentem aliquem Priorem, non poſſe pro illa vice eligi in Priorem illius Conuentus, cuius Prior abſolutus erat actu Prior, & ſi ſecus factum fuerit totum irritum declaramus.*

31 Diffinitores ante Prouincialis electionem eligantur. Pariſijs 1611. *Declaramus etiam, Diffinitores Capituli Prouincialis ante electionem Prouincialis eligi debere, & non aliter: Capitulum autem electionis Prioris Prouincialis, & Congregatio poterunt fieri in aliqua Domo Indorum, ad quod Capitulum, ſeu Congregationem Præſidentes Conuentuum per modum ſcrutinij, & alij Religioſi, qui ſunt in doctrinis per epiſtolas mittant, quicquid habuerint contra Prouincialem; Et quando Prouincialis officium ſuum finierit, mittant Fratres ad Prouincialem nouiter electum, & ad Diffinitorium, ſi quid contra præteritum habuerint. Cauebunt tamen Prouincialis, & Diffinitores, quicquam eorum, quæ Priores, & Fratres ſcripſerunt, cuiquam reuelare.*

31 Dubia circa Prouincialis electionem occurrentia à Diffinitoribus, PP. Prouinciæ, Magiſtris, & Præſentatis determinentur, quorum determinationi ſtandum erit donec Magiſter Ord. aliter mandauerit. Pariſijs 1611. *Concedimus etiam eidem Prouinciæ, vt ſi fuerit aliquod dubium circa electionem Prouincialis, vel quòd non ſit ritè facta, & ſecundum ius, ad euitanda ſcandala, PP. Prouinciæ Magiſtri, & Præſentati cum Diffinitoribus determinent, & definiant, quid ſit faciendum, in qua Congregatione præſidebit Diffinitor antiquior in profeſſione. Ipſe tamen Prouincialis electus, non intrabit cum prædictis Patribus ad conſilium; Et quicquid ipſi diffinierint, ſcilicet, vel quod may[illegible], vel quod procedatur ad aliam electionem, ab eo rato habeatur, & inuiolabiliter obſeruetur, ipſiſque dum ad Reuerendiſſimum mittatur decretum Electionis, & factus ſit certior de omnibus, & eius reſponſum habeatur.* Quod ita fuit poſtea declaratum Toloſæ 1628. *Declaramus conceſſionem illam Capituli Pariſienſis, vt ſi fuerit aliquod dubium in electione Prouincialis, Patres Prouinciæ, Magiſtri, & Præſentati decernant quid faciendum ſit; intelligendam eſſe de Præſentatis ibidem præſentibus, qui conſultationi, & decreto intereſſe poſſint, qui fuerint in Capitulis Generalibus Diffinitores.*

32 Nullus alterius Prouinciæ in hac recipiatur, exceptis Studentibus. Pariſijs 1611. *Nullus in hac Prouincia Religioſus admittatur, nec recipiatur, quantumuis cum licentia ſui Prouincialis venerit, niſi qui ad eam Studiorum gratia diuerterint, inter quos, eos ſolum recipi volumus, qui ad legendum Artes, & Theologiam ſuo tempore habiles fuerint iudicati, ſintque optimis moribus præditi, quorum admiſſio, ſeu receptio ad R.P. Prouincialem, et Diffinitores in Capitulo Prouinciali, vel Congregatione pertinebit. Præcipimuſque in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ Obedientiæ ſub præcepto formali, omnibus, & ſingulis Fratribus in eadem Prouincia commorantibus, & ad ipſam non pertinentibus, qui hoc modo recepti non ſunt, vt ad ſuas Prouincias quàm citius reuertantur. Et ſi per menſes remanſerint, & huic præcepto non obedierint, eos voce actiua, & paſſiua priuamus.*

33 PP. Prouinciales Reformatos Conuentus foueant. Pariſijs 1611. *Commendamus A.R.P. Prouinciali Conuentus omnes reformatos ſuæ Prouinciæ, vt illos promoueat, illis faueat, nec Fratres in eiſdem regulariter viuere volentes à quoquam perturbari patiatur.*

34 P. Prouincialis, & Prior de Quito non permittat à Fratribus noſtris cadauera defunctorum ſuper humeros deferri; & Studentes ad funera non mittantur. Pariſijs 1611. *Præcipimus inſuper A.R.P. Prouinciali, & Priori Conuentus*

tus

Digitized by Google

Vniuerſitate Chienſi omnes gradus vſque ad Doctoratum accipere, ſeruatis tamen ſeruandis.

4 Apoſtolicum decretum de duodecim habendis Fratribus, vt Conuentus voce in Prou. Capitulis perfruatur, hanc Prouinciam non comprehendit, prout fuit declaratum Romæ 1629. *Declaramus decretum Apoſtolicum quo ſtatuitur Priores Conuentuum carentium duodenario numero Fratrum, voce in Capitulis Prouincialibus non gaudere, hanc Prouinciam non comprehendere, ob indultum Apoſtolicum Clementis Septimi, de quo in Declarationib. Conſt. diſt. 1. cap. 2. §. 2.* Vt tamen Socij in illis non eligerentur, ita fuit decretum Pariſijs 1611. *Confirmamus declarationem factam in Capitulo præcedenti Romæ declarato anno Dom. 1608. quòd Conuentus, qui exiſtunt apud Indos, qui non habent duodenarium numerum Fratrum non poſſint eligere Socios Priorum, qui habeant vocem in Capitulo Prouinciali. Volumuſque vt etiam ad Conuentus eiuſdem Prouinciæ, qui ſunt inter Hiſpanos, extendatur.*

5 Prouincialis electio in Vigilia Epiphaniæ celebretur. Vlyſſiponæ 1618. *Ad petitionem Prouinciæ confirmamus ordinationem Capituli Generalis Romæ 1608. vt Capitulum Prouinciale celebretur pro tempore in die Epiphaniæ, in cuius Vigilia Prouincialis eligatur.*

6 Vt Apoſtolicum Indultum pro Prædicatoribus Generalibus, titulo conuerſionis Indorum inſtituendis, petere poſſet, fuit huic Prouinciæ conceſſum Vlyſiponæ 1618. *Item concedimus huic noſtræ Prouinciæ, vt indultum Apoſtolicum petere poſſit pro inſtitutione Generalium Prædicatorum ad titulum Conuerſionis Indorum pro quatuor Diœceſibus, quas iſta Prouincia continet.*

7 Qui Latinam linguam non callent, ad Ordinem non recipiantur. Pariſijs 1611. *Ordinamus, & mandamus in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ ſub formali præcepto omnibus Conuentuum Prælatis, vt neminem recipiant ad habitum, qui non benè ſciat Linguam latinam, ita vt poſſit ad Artes audiendas admitti.*

8 Ordinationes cunctæ à Capitulis Generalibus, & Magiſtro Ord. Seraphino Sicco pro hac Prouincia factæ, fuere Toloſæ 1628. confirmatæ. *Confirmamus omnia, quæ pro hac Prouincia à Capitulis Generalibus, & Reuerendiſs. P. Mag. Ordinis fuerunt ſtatuta, & ordinata.*

9 Fratres Hiſpani cum Reuerendiſſimi licentia ex hac Prouincia Hiſpaniam verſus iter ſuſcipientes, cum ad Peruanam Prouinciam peruenerint, ad hanc reuerti nequaquam poſſunt. Toloſæ 1628. *Declaramus quod Fratres Hiſpani, qui cum licentia Reuerendiſs. P. Magiſtri Ord. ex hac Prouincia diſcedent, in Hiſpaniam reuerſuri, cum ad Prouinciam Peruanam peruenerint, non poſſint ad ipſam Prouinciam de Chile reuerti, ſed omnino in Hiſpaniam redire teneantur: declarantes eos non eſſe in ea Prouincia de Chile aſſignatos, eo ipſo quod ab ea receſſerint.*

10 Prouincialia Capitula intermedia non celebrentur. Romæ 1608. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt Capitula Prouincialia intermedia prætermittantur, vt conſuetum eſt in quibuſdam alijs Prouincijs.*

11 Vt Domus, quæ ſeptem Fratres alere valent, in Prioratum erigi poſſint, conceſſum fuit huic Prouinciæ Romæ 1608. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt gaudeat priuilegio Prouinciarum Hiſpaniæ; nimirum vt propter paucitatem Fratrum, poſſint erigi in Conuentus omnes illæ domus, quæ ſeptenarium Fratrum numerum alere poſſunt.*

12 Conuentus S. Mariæ de Roſario in Generale Studium fuit erectus Romæ 1608. *Inſtituimus, & erigimus in Studium Generale Conuentum S. Mariæ de Roſario Ciuitatis S. Iacobi de Chile, cum omnibus priuilegijs, & gratijs, quibus aliæ Vniuerſitates gaudere ſolent in Ordine noſtro.*

13 Ad S. Ludouici de Lima Collegium duo Studentes ex hac Prouincia ſunt mittendi, ex decreto Capituli Valentini ann. 1647. celebrati, quod vide ſup. Pro Prou. S. Io: Bapt. de Perù num. 6.

PRO PROVINCIA S. ROSARII PHILIPPIN. XXXVII.

Ex Generalis Veneti Capituli, anno MDLXXXXII. celebrati, decreto, Philippinarum Inſularum Congregatio in Prouincia fuit erecta; quòd tamen in eiuſdem Capituli Actis non apparet. Vnde in ſubſequenti Valentino Capitulo 1596. huiuſmodi inſtitutio in hunc modum fuit Ordini denunciat. vltima denunciata. *Denunciamus quòd in Ca-*

rint aſſignati non poſſunt in alijs detineri. Romæ 1644. *Ordinamus in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ, nec non ſub formali præcepto, ac pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, vt Religioſi, qui ad Prouinciam SS. Roſarij ex Europa fuerint aſſignati, non poſſint recipi in alijs Prouincijs, maximè Indiarum, ſine expreſſa licentia Vicarij Ductoris, ſicut fuit ordinatum in alijs Capitulis Generalibus.* Quod etiam Pariſijs 1611. Romę 1612. & Bononię 1615. & Romę 1629. iuſſum fuerat.

9 Qui Regijs ſumptibus ad hanc Prouinciam fuerint miſſi, ab ea ante decennium non recedant. Romæ 1644. *Ordinamus, & strictè mandamus in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ, nec non ſub formali præcepto, ac pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, vt Religioſi, qui maximis expenſis Catholici Regis ad illam Prouinciam fuerint conducti, non poſſint ab illa recedere, niſi prius tranſactis decem annis in illo Chriſti miniſterio conſumptis, ſicut fuit ordinatum in Capitulo Generali Bononiæ celebrato 1615. excepta infirmitatis cauſa, de qua PP. à Conſilijs ſimul cum R. P. Prouinciali debeant iudicare.*

10 Inutilium Fratrum aſſignationes à Vicario Ductore poſſunt reuocari. Romæ 1644. *Concedimus Vicarijs Ductoribus Religioſorum in illam Prouinciam conducendorum, vt quando eis bene viſum fuerit, pro bono communi poſſint reuocare aſſignationes illorum, qui diſcoli, & inutiles ad illud munus Apoſtolicum inueniantur.*

11 P. Prouincialis inuigilet circa obſeruantiam conſeruandam, & fidem Catholicam promouendam per miſſiones. Romæ 1644. *Admonemus R. P. Prouincialem illius Prouinciæ, ſicut fuit factum in alijs Capitulis Generalibus, vt omnino inuigilet, tam circa Miſſiones ad ampliſſimum Chinarum Regnum, & Iapponiorum, aliaque Regna inter Infideles faciendas, quam circa ſtrictiorem præfatæ Prouinciæ vitæ Regularis obſeruantiam.* Vide infra num. 15.

12 Huius Prouinciæ Generalis Procurator apud Regis Catholici Curiam exiſtens, votum in Generalibus Capitulis ſemper habet, donec à ſuo munere fuerit amotus. Romæ 1644. *Declaramus quòd Procurator Generalis eiuſdem Prouinciæ, qui pro tempore reſidet in Curia Regis Catholici, habeat vocem in Capitulis Generalibus, tam in Diffinitionibus, quàm in electione Magiſtri Ord. quam in alijs Capitulis Generalibus immediatè antecedentibus habuiſſet, vſque dum à Prouincia mittatur nouus Diffinitor, quia ex illa Prouincia ab Europa remotiſſima per quinque millia, & amplius leucarum diſtante rarò ad Capitulum Generale Diffinitores mitti poſſunt.*

13 De P. Prouincialis licentia poſſunt Fratres libros ex Bibliothecis extrahere, ex Vrbani VIII. conceſſione. Romæ 1644. *Declaramus quòd cum in illa Prouincia maxima vigeat paupertas, ita vt in particulari libros ad vſum Religioſi minimè habeant, à SS. D. N.* (ſcilicet Vrbano Papa VIII.) *conceſſum fuit pro præfata Prouincia, vt de licentia R. P. Prouincialis poſſint Religioſi extrahere ad tempus bene viſum libros ex Bibliothecis, & quaterniones, ſcriptis prius nominibus extrahentium, & librorum, vt ad Bibliothecam reſtitui queant.*

14 Conuentus de Machao ad hanc Prouinciam ſpectat. Romæ 1644. *Confirmamus decretum, ſeu ſententiam in Capit. Pariſien. latam 1611. & in Capit. Gen. Bononiæ 1615. confirmatam, qua præcipitur ſub formali præcepto, & ſub pœnis grauioris culpæ, excommunicationis latæ ſententiæ, priuationiſque omnium graduum, & officiorum, ipſo facto incurrendis, tam R. P. Prouinciali, vel Præſidenti Prouinciæ noſtræ Portugalliæ, quam R. P. Vicario, ſeu Præſidenti Congregationis noſtræ Indię Orientalis, ac ſingulis eorum pro tempore, vt quam primum effectiuam, realem, ac liberam Conuentus noſtri de Machao in Regno Chinæ poſſeſſionem tradant Prouinciæ SS. Roſarij Philippinarum, quæ eiuſdem Conuentus poſſeſſionem quamprimum recipiat, non obſt. incont. quibuſcumque; quia auditis ex vtraque parte Prouincijs, hoc iuſtum decretum in fauorem Prouinciæ SS. Roſarij pronunciauimus.*

15 In Chinæ, & Iaponicum Regnum mittat ſingulis annis Miſſionarios Fratres P. Prouincialis, ac de profectu in via Dei, cæteriſque occurrentibus grauioribus ſucceſſibus Reuerendiſſimum admoneat. Romæ 1629. *Admonemus R. P. Prouincialem, & in Domino hortamur, vt noſtræ profeſſionis memor, quemadmodum in alijs Capitulis Generalibus ei iniunctum eſt, ſanctiſſimum opus miſſionis Fratrum ad prædicandam, propagandamque Fidem Catholicam in Regnum Chinæ, & Iapponicum cæteraque eiſdem proxima Regna Gentilium, non intermittat, ſed eas ſingulis annis omnino proſequatur, ac de fructu, actiſque Fratrum, qui ad huiuſmodi Apoſtolicum munus exequendum eò mittuntur, ſingulis annis Magiſtrum Ord. certiorem faciat. Ei Prouinciali ſummoperè, iniungimus, vt in conſeruanda, & amplificanda arctiori huius Prouincię obſeruantia inuigilet.* Idem fuit mandatum etiam Toloſæ 1628.

16 Vicariorum Nationum auctoritas vſque ad promulgationem Actorum Capituli Prouincialis perſeuerat. Romæ 1629. *Ne Fratres huius Prouinciæ diu ſine capite legitimo maneant, concedimus Vicarijs Nationum eiuſdem Prouinciæ, vt eorum auctoritas vſque ad publicationem Actorum Capituli Prouincialis, in fine ſuorum officiorum celebrati, perſeueret, dummodo huiuſmodi Acta in aliqua Domorum Nationis illius reſpectiuè publicentur.*

17 Ordinationes à Magiſtro Ord. P. F. Auguſtino Galamino pro S. Hyacinthi de Mexi-

eo Domo, & pro bono huius Prouinciæ regimine, fuere Bononiæ 1615. confirmatæ. *Confirmamus omnes ordinationes factas in eadem Prouincia pro bono ipſius regimine, quæ iam ab Illuſtriſs. D. Card. de Aracœli tunc Magiſtro Ordinis Pariſijs confirmatę ſunt. Confirmamus inſuper omnes ordinationes eiuſdem Illuſtriſs. Cardinalis de Aracœli tunc Ordinis Magiſtri factas pro recta diſpoſitione, & gubernatione Domus S.Hyacinthi de Mexico.*

18 Qui ad huiuſmodi Prouinciam mittuntur, ad illam pergant; oppoſitum verò facientes, in alijs Prouincijs non recipiantur, euntes autem benignè ab omnibus ſuſcipiantur, & charitatiue tractentur. Bononiæ 1615. *Pręcipimus Fratribus noſtris qui ab inſtituto itineris propoſito, atque obedientię ſibi impoſitę retrocedere vellent, ſub pœna priuationis vocis actiuę, & paſſiuę, nec non carceris per ſex menſes, ne id facere pręſumant. Vicario autem ſupra nominato, & omnium aliarum Prouinciarum Pręſidentibus mandamus ſub pœna abſolutionis ab officijs, ipſo facto incurrenda, ne huiuſmodi Fratres, aut relinquere, aut recipere reſpectiuè audeant, ſola infirmitatis cauſa dumtaxat excepta. Fratres autem, qui ſe ſe tam periculoſo itineri pro Dei gloria, & Fidei Catholicę incremento magno cum vitę diſcrimine exponunt, omnibus noſtri Ordinis Pręſidentibus diligentiſſimè commendamus vt eos tanquam Fratres, & pientiſſimo operi manus porrigentes, benignè, ac charitatiuè recipiant, & pertractent.*

19 In Manilę Conuentu Generale Studium fuit inſtitutum Bononię 1615. *Inſtituimus Studium Generale pro pręfata noſtra Prouincia in Conuentu noſtro Manilę primario illius Prouincię, pręcipientes P. Prouinciali eiuſdem Prouincię, vt eidem ſtudio de bonis Lectoribus S. Theologię prouideat, & Fratres eiuſdem Prouincię, nedum pietati, ſed etiam ſtudijs diligenter incumbere contendat.*

20 P. Prouincialis in grauioribus cauſis, ſeruatis de iure ſeruandis, ſententiam non niſi pręmiſſa cum grauioribus Patribus conſultatione, ferat. Bononię 1615. *Admonemus P. Prouincialem, vt in cauſis grauioribus, iuris ordine ſeruato, & proceſſu debitè formato, ſententiam diffinitiuam, non niſi pręmiſſa cum quatuor, vel quinque ad minus grauioribus Patribus, conſultatione ferat, in quo eius conſcientiam oneramus.*

21 Vt Intermedia Capitula celebrarentur fuit huic Prouincię conceſſum Bononię 1615. *Concedimus eidem Prouincię SS. Roſarij, vt deinceps Capitula Intermedia non intermittat.*

P R O
PROV. S.HYPPOLITI M. DE OAXACA.
XXXVIII.

MExicanę Prouincię partus eſt hęc S. Hypoliti Martyris de Oaxaca, quę ab eadem euulſa in Generalibus Comitijs Venetis anno MDLXXXXII. congregatis, in peculiarem Prouinciam fuit erecta, demandata proprioꝛum terminorum conſtitutione Magiſtro Ord. F. Hyppolito Marię Beccarię, à quo S.Hypoliti nomen fuit etiam conſequuta. Ita enim in pręfati Capituli Actis denunciat. 7. habetur. *Denunciamus in hoc Capitulo dignis de cauſis, & matura habita deliberatione diuiſam fuiſſe Prouinciam S. Iacobi de Mexico, in duas, ſecundum limites, & terminos à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. ſtatuendos, ac præfiniendos; quarum altera proprium retinebit nomen; altera verò vocabitur Prouincia S. Hypoliti Martyris de Guaxaca; datumque fuiſſe in primum Prouincialem eiuſdem Prouinciæ S. Hypoliti Mart. de Guaxaca Reuerendũ P. Magiſtrum F. Franciſcum Ximenez Prouinciæ Hiſpaniæ, ſuffragante etiam Apoſtolica auctoritate quatenus opus fuerit.*

Pro huius igitur Prouinciæ conſeruatione ſequentia fuere in Generalibus Capitulis mandata.

1 Zapothecæ, & Miſtecæ linguæ ſtudium promoueatur. Romæ 1650. *Pro fouendo, & promouendo ſummè neceſſario ſtudio linguarum Zapothecæ, & Miſtecæ, ordinamus in hac Prouincia ad amuſſim obſeruari omnia illa, quæ ſupra in ſtatutis pro Prouincia Mexicana* §. Denique cum ad procurandam. *Diſpoſuimus, cum iiſdem gratijs Profeſſorum, obligatione Studentium, modo prouiſionis, & cęteris ibidem latius explicatis. pro ijs quoque, qui docuerint linguam Chinantlecam (& ſi qua alia minus vniuerſalis ibidem extat) prouidebitur iuxta* §. Cum verò *ſubiunctum alteri iam citato.* Pręfatam antè ordinationem vide Pro Prouincia Sancti Iacobi de Mexico num. 22.

2 Pro annua recollectione fuit Conuentus S. Hyacinthi Ciuitatis Antequarenſis electus Romæ 1650. *Deputamus pro loco annuæ recollectio-*

lectionis domum noſtram S. Hyacinthi erectam in Ciuitate Antequarenſi Vallis de Oaxaca, vbi primorum illorum Patrum, qui iſtius Prouinciæ fundamenta iecerunt, exuuiæ mortalitatis requieſcunt.

3 Eleemoſynæ, piaque legata infirmorum curæ addicta in nullos alios vſus conſumantur. Romæ 1650. *Ordinamus pro Conuentu noſtro S.Dominici de Oaxaca, quòd redditus, eleemoſynæ, pia legata, & quæuis bona ad eius infirmariam ſpectantia, nullo modo in alios, quam infirmorum, vſus expendi poſſint, ac omnino ſubſint cuſtodiæ, & adminiſtrationi Patris Infirmarij per Capitulum Prouinciale deſignati, ac impoſterum deſignandi, qui de his ſoli P. Prouinciali rationes in viſitatione annua, & quoties ab eo poſtulatus fuerit, reddere teneatur.*

4 Capituli Prouincialis anno 1642. celebrati Acta, Romæ 1644. fuere confirmata. *Item denunciamus Acta Capituli Prouincialis huius Prouinciæ celebrati anno 1642. fuiſſe viſa, & examinata, & quantum ad omnia in illis contenta, tam quoad inſtitutiones, quam quoad ordinationes confirmata, præter præceptum de lineis non vtendis ad carnes; & appoſita fuit pœna prout in ordinationibus generalibus continetur.*

5 Vicarij Domorum terminato proprio munere, in Priores Conuentuum poſſunt aſſumi Romæ 1644. *Circa ordinationem, quam habet hæc Prouincia, nimirum quod qui fuerint Vicarij vnius domus, vel plurium, per ſpatium quatuor annorum vacent ab huiuſmodi officio per duos annos, vel ſaltem per vnum; & quod aliàs non poſſint eligi in Vicarios, vel Priores, declaramus quòd tantum debet intelligi prohibitio de officio Vicariatus, non verò Prioratus; poſſunt enim eligi in Priores, licet non vacent per prædictum tempus. Omnes autem aliàs ordinationes Reuerendiſſ. Gener.Mag.F.Nicolai Rodulphij pro bono iſtius Prouinciæ confirmamus.*

6 In Congregatione intermedia Graduandorum petitiones fieri poſſunt ex Romani Capituli 1644. conceſſione. *Concedimus huic Prouinciæ quod in Congregatione intermedia poſſint fieri poſtulationes, tam pro Gradibus, quam pro Prædicaturis; dummodò fiant tantum pro locis actu vacantibus.*

7 Prouincialium quadriennium Eccleſiaſticum ſit. Romæ 1644. *Ad euitandas omnes dubitationes de duratione officij Prouincialis, declaramus pro hac Prouincia quod pro alijs Prouincijs declaratum eſt, nimirum quod quadriennium intelligatur de annis Eccleſiaſticis.*

8 In Principaliori Conuentu S. Dominici duo Magiſtri, ac duo Præſentati permaneant. Vlyſſiponæ 1618. *Admonemus* P. *Prouincialem pro tempore, vt curet in Conuentu S.Dominici, vt potè principaliori, duos continuè aſſiſtere Magiſtros in Theologia, ſi in* Prouincia *fuerint, totidemque Baccalaureos, quorum nullum inde remoueat, niſi vrgentiſſima de cauſa.*

9 Vt Prouinciales vna vice de filijs Prouinciæ, altera verò de filijs aliarũ Prouinciarũ eligeretur, hoc modo decretum fuerat Neapoli 1600.ord.vlt. *Ordinamus in Prouincia S.Hypoliti de Oaxaca quod Prouinciales de cætero alternatim eligantur, ita quod vna vice ſit filius Prouinciæ, altera autem filius aliarum Prouinciarum.* Veruntamen poſtea Bononiæ 1615. confirmata eſt alternatiua à Magiſtro Ord.P.F.Seraphino Sicco ſancita. *Confirmamus alternatiuam electionem Prioris Prouincialis Prouinciæ noſtræ S.Hypoliti Mart. à Reuerendiſſ.Magiſtro Ord. factam; præcipientes omnibus, & ſingulis dictæ Prouinciæ Patribus, & Fratribus, vt iuxta modum in ea præſcriptum, & ſub eiſdem pœnis ab omnibus obſeruetur.*

10 Conceſſiones huic Prouinciæ à Magiſtro Ord.F.Auguſtino Galamino factæ circa Prædicatores Generales, fuere hoc modo confirmatæ, Bononiæ 1615. *Approbamus pro eadem Prouincia conceſſionem eidem factam ab Illuſtriſſ.D.Card.de Aracœli circa creationem Prædicatorum Generalium.*

11 In Conuentibus duodenario Fratrum numero carentibus, Socius pro Prouinciali Capitulo non eligatur. Pariſijs 1611. *Confirmamus inſuper in eadem Prouincia, & inuiolabiliter in ea obſeruari; volumus ordinationem illam, aliàs pro Prouincijs Indiarum in communi factam, nimirum quòd in Conuentibus, qui non habent duodenarium numerum Religioſorum completum, nullus Socius Prioris ad Capitulum Prouinciale eligatur.*

12 Conuentus ſenario Fratrum numero gaudentibus Prioratus titulum conſequantur. Pariſijs 1611. *Concedimus etiam eidem Prouinciæ, quòd libere potiri, & gaudere poſſit priuilegio aliàs ſibi, & alijs Prouincijs Indiarum, tam à Summis Pontificibus, quàm à Capitulis Generalibus conceſſo, quòd ſcilicet illi Conuentus iam erecti, & in futurum erigendi, in quibus ſex, aut ſeptem Fratres aſſignati morabuntur, nomine, titulo, ac priuilegijs Conuentus gaudere poſſint, non obſtante ordinatione in contrarium facta Romæ anno 1601.*

13 Inſtituto Vicario de Patrum conſilio, poteſt Prouincialis ex Prouincia pro illius occurrentibus negotijs exire. Pariſijs 1611. *Concedimus præterea A.R.P.Prouinciali eiuſdem Prouinciæ, quòd poſſit pro negotijs ipſius Prouinciæ eius terminos tranſire, ſi opus fuerit, & accedendo ad Ciuitatem Mexicanam, vbi Curia Proregis eſt, inſtituto prius Vicario Generali, quem eligere debebit ipſe Prouincialis vna cum Patribus à Conſilijs Prouinciæ, qui eius loco Prouinciam vſque ad eius reditum gubernabit.*

14 Etiam qui non ſunt huius Prouinciæ filij poſſunt in Superiores eligi, non obſtante ordinatione aliàs in contrarium facta, quæ

fuit reuocata Valentiæ 1596. reuocat. 2. pro vt diximus ſupra Pro Prou. S. Iacobi dę Mexico num. 5.

15 Nullus in hac Prouincia ab extra aſſiguetur, qui Theologiam per tres annos prius non audietit, Romæ 1601. *In Prouincia S. Hypoliti ordinamus ad eius petitionem, vt nullus aſſignetur inter Indos, quin prius per tres annos Theologiam audierit*.

PRO PROVINCIA S. PETRI MART. XXXIX.

HVius Prouincię Conuęntus, qui ad Lombardię Prouinciam ante eiuſdem diuiſionem, quę iu Biſuntino Capirulo anno teparatę ſalutis humanę MCCCIII. ſtabilita fuit, pertinebant, ea ſubſequuta ad Lombardię Superioris Prouinciam ſpectauere, ſicut ſupra Pro Prou. Lombardię retulimus. Cum verò in Bononienſi Capitulo anno 1410. congregato Inferiori Lombardię, Prouincię S. Dominici nomen fuiſſet conceſſum, Superiori abſolutum, & totale Lombardię nomen fuit attributum. Inſtituta autem Congregatione Vitę Regularis in Lombardia à B. Raymundo de Capua Ordinis Magiſtro, hęc ex vtraque ſupradicta Prouincia maiores, & principaliores Conuentus ſibi ſubegit: Ipſaque tandem à Clemente VII. in Prouinciam Vtriuſque Lombardię erecta, Conuentus, qui ad S. Dominici Prouinciam ſpectabant, ſub Vicaria S. Dominici; qui verò ad Prouinciam Lombardię pertinebant, ſub Vicaria, S. Petri Martyris nuncupata, permanſere. Periere aliquando huius Vicarię Patres eum Vtriuſque Lombardię Prouincia copulari, quod vnionis negotium Patribus eiuſdem Prouincię in Romano Capitulo 1571. commiſſione 2. fuit in hunc modum demandatum. *Committimus etiam RR. PP. Prouinciali, & Diffinitoribus Prouincię Vtriuſque Lombardię, vt in proximo Capitulo, maturo conſilio inter ſe pertractent de recipiendis Conuentibus Congregationis D. Petri Martyris, prout à PP. dictę Vicaria petitum fuit, conuocantes pręcipuos dictę Prouincię Patres, quos huic concilio idoneos iudicauerint; quòd ſi viderint expedire, ex nunc facultatem concedimus, dictam Vicariam ſuſcipiendi, accedente tamen conſenſu Patrum ad dictam Vicariam pertinentium, modo, & forma, quibus magis expedire perſpexerint*.

Tali vnione poſtea nequaquam ſubſecuta, In Generalibus Comitijs Romę 1580. collectis, Patres Magiſtro Ordinis F. Paulo Commeſtabili, vt ſi in ſua viſitatione eandem Vicariam ad meliorem viuendi normam redactam inueniſſet, in Prouinciam erigere poſſet, commiſere. Ita enim commiſſione 2. habetur. *Committimus etiam Reuerendiſs. P. noſtro vt ſi in viſitatione inuenerit Vicariam S. Petri Martyris ad meliorem frugem in vita regulari profeciſſe, poſſit illam in Prouinciam erigere, & R. Vicario dictæ Vicarię Prouincialatus titulum concedere*. Non ſubſequuta autem tunc temporis talis Prouincię inſtitutione, eadem iterum P. F. Hypolito Marię Beccariæ Magiſtro Ordinis ſub eiſdem ferè verbis. Romę 1580. commiſſione 2. fuit demandata. Tandem Romę 1601. fuit id executioni donatum. Ita enim denunciat. 12. dicitur. *Denunciamus Vicariam S. Petri Mart. erectam eſſe in Prouinciam, ſicut modò de facto erigimus, dantes ei omnes gratias, immunitates, & priuilegia, quibus cæterę Prouincię noſtri Ordinis gaudere ſolent, eiuſque Vicarium R. Ad. P. F. Camillum Ballianum Magiſtrum, Inquiſitorem Dertonenſem Prouincialis titulo decoramus*.

Pro huius igitur Prouinciæ in regulari obſeruantia conſeruatione ſequentes ex diuerſis Generalibus Capitulis emanauere leges.

1 Nouitij tantùm pro determinatis Conuentibus recipiantur. Romæ 1650. *Ordinamus, & ſub pœna abſolutionis ab officio mandamus ne quis Superiorum in hac Prouincia quemquam nomine Prouinciæ ad habitum, ſiue Clericalem, ſiuè Conuerſorum recipiat; ſed priuſquam ad habitum quis recipiatur, deputetur, ac deſignetur ei certus Conuentus, pro quo cenſeatur recipi, ſeruatis etiam reliquis ex more ſeruandi*.

2 Vt Taurinenſis Vniuerſitatis Theologus in Magiſtrorum Prouinciæ numerum cooptari valeat, tenetur per tres annos in eadem Vniuerſitate legere. Romæ 1650. *Declaramus quòd, vt P. Theologus pro tempore Vniuerſitatis Taurinenſis poſſit ingredi, & acceptari, in numerum Magiſtrorum Prouinciæ, debeat verè, ac realiter ſaltim per continuum, & integrum triennium legiſſe in ipſo Studio Vniuerſitatis; & inſuper habere*

here omnia illa requiſita, quæ exiguntur, vt quis admittatur in Moderatorem, ſeu Magiſtrum Studij, Baccalaureum, ac Regentem Generalis Studij apud S. Euſtorgium. Idem omnino ſtatuimus quoad Regentem ſtudij in Conuentu Taurinenſi.

3 Graduatorum numerus à S. Regularium Congregatione fuit in hunc modum ſtabilitus, vt ſcilicet Magiſtri duodecim, & totidem Baccalaurei ſint; Prædicatores vero Generales octo; qui tamen non admittantur niſi requiſitis conditionibus adimpletis. Ita denunciatum fuit Romæ 1629. *Denunciamus S. Congregationem Regularium die XXIII. Decembris 1628. decreuiſſe in hac Prouincia numerum Magiſtrorum fore duodenarium, & Baccalaureorum ſimiliter. Prædicatorum verò Generalium octonarium, qui numeri excedi nequeant. Item vt Magiſtri, & Baccalaurei non admittantur, niſi prius in Studio Generali S. Euſtorgij, Regentis, vel Baccalaurei munus debito tempore exercuerint. Nec Baccalaurei inſtituantur, qui Magiſtri Studentium munere perfuncti non fuerint; neque Prædicatores Generales creentur, qui per decẽ Quadrageſimas quotidie in Ciuitatibus. ſeu amplis Terris non prædicauerint.* Quantum autem ad Prædicatores Generales idem numerus fuerat huic Prouinciæ ita conceſſus. Romæ 1601. conceſs. 22. *Item concedimus eidem Prouinciæ* (ſcilicet S. Petri Martyri) *vt numerus Prædicatorum Generalium ſit octonarius.*

4 Graduandorum petitiones à Diffinitoribus cum Patribus Prouinciæ, & Magiſtris fiant. Ita in prædicto Capitulo, & ordinatione ſubditur. *Item* (ſcil. ordinamus) *ne Graduandorum petitiones à ſolo Diffinitorio Prouinciali, ſed à Magiſtris, & Patribus Prouinciæ per vota ſecreta fiant.*

5 Aliarum Prouinciarum Studentes in Priorum electionibus actiua voce carent. Romæ 1629. *Ordinamus, vt Studentes exterarum Prouinciarũ tempore ſui ſtudij durante voce actiua non gaudeant, nec in ſtudium recipiatur aliquis, qui eodem anno in Conuentu S. Euſtorgij Priorem, aut ſocium Prioris pro Capitulo Prouinciali elegerit.*

6 In Generali S. Euſtorgij Studio duodecim ſint Studentes quorũ quatuor ſint huius Prouinciæ, reliqui verò non. Romæ 1629. *Ordinamus, vt in Studio Generali S. Euſtorgij numerus Studentium formalium ſit duodenarius, ex quibus quatuor ſint ex iſta Prouincia, & octo externarum Prouinciarum, quibus Conuentus indifferenter neceſſaria tribuere teneatur ſicut cæteris Fratribus aſſignatis, veſtitu excepto, de quo à Conuentibus ſuis originalibus prouidebitur. Volumus autem, & declaramus, vt ſinguli præfati Studentes ſucceſſiuè quater in anno hebdomadariam exerceant.*

7 Qui ad Taurinenſem Conuentum filiationem ſuam transferre deſiderant, à duodecim filijs eiuſdem in Capitulo congregatis acceptentur. Toloſæ 1628. *Decernimus, vt cum quis ex debita licentia filiationem ſuam ad Taurinenſem Conuentum transferre voluerit, duodecim ſaltem filij eiuſdem Conuentus ad ſuffragium ferendum ſimul in Capitulum conuenire debeant.*

8 Qui ad Obſeruantiæ Conuentus ſpectant, in Fratrum defectu, in illis permanere cogantur. Toloſę 1628. *Decernimus, vt qui profeſſi fuerint in Conuentibus, vbi viget arctior obſeruantia, in caſu penuriæ Fratrum cogantur in eiſdem Conuentibus manere, ipſamque regularem arctiorem diſciplinam ſeruare.*

9 Aſſignationes in Capitulis factæ non reuocentur. Toloſæ 1629. *Declaramus, quòd aſſignati per Capitulum Prouinciale nequeant ad cuiuſque inſtantiam reuocari. Quòd ſi ſecus fiat ipſa reuocatio nulla ſit, & inanis.*

10 In Conuentu S. Euſtorgij de S. Petro Martire celebretur Feſtum cum ſolemni Octaua, ex conceſſione Capituli ibidem anno 1622. celebrati. *Concedimus, vt in hac Prouincia poſſit celebrari Octaua ſolemnis S. Petri Mart. in Conuentu S. Euſtorgij, in alijs verò Conuentibus quotidie de ipſo memoria, etiam ſi alia feſta ſuperuenerint.*

10 Alternatiua in Prouincialis electione ſeruetur, ita vt vna vice ex Pedemontano, altera vero ex Mediolanenſi ſtatu aſſumatur. Toloſę 1628. *Confirmamus (quoad nos attinet) ordinationem in Capitulis Prouincialibus huius Prouinciæ factam de alternatiua Prouincialis, vna vice de Pedemontana Natione, & alia de Mediolanenſi viciſſim eligendi.*

11 Nullus Lectoris, ſeu Prædicatoris titulo gaudeat, niſi cui de iure talis titulus debetur. Toloſę 1628. *Statuimus ne vllus gaudeat titulo Lectoris, ſeu Prædicatoris, niſi iuxta probatam Ordinis conſuetudinem.*

12 Qui Magiſtri Studentium, & Baccalaurei munus in Generali Studio ſubire renuunt, neque Magiſtrorum, neque Baccalaureorum gradibus decorentur. Toloſæ 1628. *Decernimus, vt qui renuunt ſubire onera Magiſtri Studentium, & Baccalaurei Ordinarij in Studio Generali S. Euſtorgij ſuo loco, & tempore, imposterum ad eadem munera non admittantur, neque ſi admiſſi fuerint, Baccalaureorum, aut Magiſtrorum priuilegijs gaudeant.*

13 Nullus Prior ex vno in alium Conuentum aſſumatur. Bononię 1615. *Statuimus, vt nullus Prior ex vno Conuentu in aliam ad idem officium Prioratus aſſumatur, niſi in primo Prioratu bienaium compleuerit.*

14 Neque Priores, Moderatorum; neque Moderatores, aliorum officialium munera exercere debent. Bononiæ 1615. *Volumus vt nullus Prior, Moderatoris, Lectoris, aut alterius*

eiuſ-

cuiuſuis officialis munus exerceat: Idem obſeruandum de Moderatoribus Studij Generalis decernimus; hos videlicet nullis officijs, præterquam lectura, ſibi impoſitis vacare poſſe.

15 Ad Studentium examen præter Moderatores Studij, Prior cum Prouinciæ Magiſtris accedere poteſt, Bononiæ 1615. *Ad examen Studentium, aut Lectorum in Studio noſtro Generali S.Euſtergij omnes Magiſtros eiuſdem Prouinciæ præſentes, & P.Priorem pro tempore aduocari volumus,& ne abſque eorum præſentia examen fiat, omnibus Moderatoribus prohibemus; liberum tamen erit Magiſtris non Moderatoribus huiuſmodi actibus intereſſe, eoſque præſentijs ſuis cohoneſtare.*

16 Generalis Studij Moderatoribus de omnibus neceſſarijs prouideatur. Bononiæ 1615. *Proprietatis damnabile vitium tollere volentes, præcipimus Præſidentibus in eodem Conuentu noſtro Studij Generalis* (ſcil. S. Euſtorgij) *vt deinceps Moderatoribus certas pecuniarum ſummas ſolui non permittant; at verò more religioſorum de omnibus eiſdem prouideri curent.*

17 Ad gradus nō petantur, qui in Generali Studio conſuetum curſum nō compleuerit. Romæ 1608. *Item* (ſcil. ordinamus) *quòd nullus petatur in eadem Prouincia ad vllos gradus, ſeu Baccalaureatus, ſeu Magiſterij, niſi gradatim in præfato Studio S. Euſtorgij perfecerit integros ordinarios curſus iuxta formam præſcriptam in varijs Capitulis Generalibus; aliter petitio ſit nullius roboris.*

18 Neque qui Philoſophiæ curſum nō perfecerint, in prędicti Studij Officiales poſtulētur. Romæ 1608. *Ordinamus quod nullus petatur pro Officiali in Studio Generali S. Euſtorgij Mediolanenſi, niſi perfecerit totum curſum Philoſophiæ; nec attendatur in petitione antiquitas in Ordine, ſed ſufficientia morum, & litterarum, quæ comprobetur per concurſum: & omnia iſta fiant iuxta ordinationes Capitulorum Generalium. Et qui aliter poſtulati fuerint, petitio ipſa, ſeu poſtulatio ipſofacto ſit nulla.*

19 Lectores in hac Prouincia non legant, niſi prius in Generali eiuſdē Prouinciæ Studio fuerint approbati. Vallisoleti 1605. ord. 38. *In Prouincia S. Petri Mart. ordinamus, vt nullus Lector, tam eiuſdem, quàm alterius Prouinciæ poſſit in ea habere lectionem actualem, niſi prius examinatus, & approbatus fuerit per Moderatores Studij S.Euſtorgij Mediolani.*

PRO PROVINCIA S.CATHARINAE SENEN. XXXX.

Appulæ Prouinciæ filia eſt hæc, quæ aliquando ab eadem euulſa, atque in peculiarem Congregationem, ſeu Vicariam erecta (à quo autem, non inuenimus) in Romano Capitulo Romæ MDXXXXVI. celebrato fuit eidem reſtituta, ordinatione 14. eiuſdem Capituli teſte. *Item ordinamus, ac decernimus diuiſionem, ſeu ſegregationem Nationis Aprutinæ à Prouincia S.Thomæ, irritam, abrogatamque fore, eamque ſuæ Prouinciæ in omnibus, & per omnia, ſicut prius erat, reunientes, Prouinciali, ſeu Præſidenti ordinario dictæ Prouinciæ S. Thomæ ſubeſſe pleno iure, ſicut aliæ Nationes dictæ Prouinciæ, volumus.* In ſequenti autem Salmantino Capitulo MDLI. ad Prouincialis Apuliæ, cui ardua nimis Aprutinorum Conuentuum viſitatio videbatur, petitionem, ab Apuliæ Prouincia fuit iterum ſeiuncta, atque in Aprutinam Congregationem inſtituta. Ita enim accepeat. vlt. dicitur. *Item acceptamus diuiſionem Nationis Aprutinæ à Prouincia Apuliæ, ſeu S. Thomæ, propoſitam à dictæ Prouinciæ Priore Prouinciali, propter nimiam diſtantiam, & difficultatem viſitandi eam, & de nouo erigimus in Congregationem Aprutinam regendam per vnum Vicarium ſub Reuerendiſs. Generali immediatè, prout ante quinque annos fuerat aliàs conſtitutum.* Fuit autem poſtea Conuentuum huius Congregationis reformatio à Magiſtro Ord. P.F.Seraphino Cauallo facta quæ in Generali Romano Capit. 1580. ita in conf. 29. fuit confirmata. *Confirmamus reformationem Congregationis Aprutinæ cum omnibus gratijs, priuilegijs, ſtatutis,& ordinationibus datis, & factis per bo. mem. Magiſtrum Ord. nuper defunctum Reuerendiſs. P. F. Seraphinum Caualli, & per Ad. R. P. F. Sixtum* (ſcil. Fabrum) *Lucenſem Magiſtrum, olim Procuratorem,& Vicarium Ord. nunc autem Sac.Palatij Mag.* Vt autem illam complere,& ad optatum finem perducere poſſet in eodem Capitulo admonit. vlt. fuit eidem Congregationi conceſſum, vt Fratres ex Rom. Prouincia poſſet aſſumere, quibus tanquam directoribus in regulari vita vteretur; ita enim ibidem dicitur.

tur. *Admonemus Congregationis noſtræ Aprutinæ Patres, prout in præcedenti Capitulo factum eſt, vt ſummo ſtudio reformationem ad maiora incrementa perducant, concedentes eis, vt valeant ex Prouincia Romana duos, vel tres Fratres accipere; vt aliàs ſtatutum eſt; quo facilius dictam reformationem Congregationis promouere poſſint.* In ſubſequenti autem Romano Capitulo 1583. eadem Aprutina Congregatio fuit in Ordine iterum acceptata, & confirmata, attributo eidem S. Catharinæ de Senis nomine: ita enim dicitur acceptat. 7. *Acceptamus, & confirmamus inſtitutionem, & nominationem Congregationis S. Catharinæ de Senis in Aprutio.* Fuit iterum hæc Congregatio Romæ 1589. confirmata attributis eidem Aquilano, Reatino, & Tiburtino Conuentibus ex Romana Prouincia euulſis. ita enim conf. 25. habetur. *Confirmamus Congregationem noſtram Aprutinam ſub nomine S. Catharinæ de Senis, nec non vnionem Conuentuum Aquilani, Reatini, & Tiburtini eidem Congregationi; & quatenus opus ſit de nouo ei vnimus, & incorporamus eoſdem Conuentus cum omnibus eorum bonis, & attinentijs.* Renuentibus autem Romanæ Prouinciæ Fratribus, & Romanis præcipuè, Tiburtinum Conuentum eidem Congregationi concedere, ſub Romanę (pro vt prius) Prouincię regimine permanſit. Romę autem ann. 1601. tandem aliquando in peculiarem Prouinciam, retento ſibi S. Catharinę Senenſis nomine, fuit inſtituta, proprio eiuem Prouinciali conceſſo. ita enim denunc. 13. toti Ordini fuit denunciatum. *Denunciamus pariter erectam eſſe in Prouinciam Congregationem Aprutinam S. Catharinæ de Senis, cum omnibus gratijs, immunitatibus, & priuilegijs cæteris Prouincijs conceſſis, eiuſdemque Vicarium in Prouincialem ei aſſignamus, locumque infra omnes Prouincias hactenus inſtitutas præfigimus.*

Pro fœlici igitur huius Prouincię incremento ſequentes in Generalibus Capitulis emanauere leges.

1 Confirmata Congregationis Aprutinę reformatione Romę an. 1580. conf. 29. pro vt ſup. retulimus, in eodem Capitulo, ſubſequenti conf. 30. fuit quoque Generale Studium in Theatino Conuentu à Vicario Ord. P.F. Sixto Fabro collocatum, ita confirmatum. *Confirmamus etiam Studium Generale per dictum A.R. P. Procuratorem, & Vicarium Ord. auctoritate Apoſtolica fundatum in Conuentu Theatino cum omnibus gratijs, & priuilegijs, ordinationibuſque ab eodem R. Procuratore, & Vicario conceſſis, & decretis.* Fuit autem poſtea pręfatum Studium ad Conuentum Neapolitanum de Ieſu Maria translatum, ex quo, ſtante etiam approbatione Capituli Romani 1608. ad Aquilanum Conuentum tranſijt. Tandem in Conuentu S. Marię ab Arcu fuit collocatum. Vnde Toloſę 1628. ita dicitur. *Approbamus tranſlationem Studij Generalis à Conuentu S. Dominici de Aquila ad Conuentum S. Mariæ ab Arcu.* Quod etiam fuit confirmatum Romę 1644.

2 Vt Studentes Gen. Studij S. Marię ab Arcu eſſent viginti, quorum duodecim ex filijs huius Prouincię eſſent, reliqui verò ex alienis Prouincijs, mandatum fuerat Romę 1629. In ſequenti autem Romano Capitulo 1644. pręfatus Studentium numerus ſatis ſuperque fuit diminutus, ita vt qui ad hanc ſpectarent, ſenarium (his tamen verbis additis *ſecundum ordinem profeſſionis*) qui verò ad aliàs Prouincias, binarium numerum non excederent: quę taxa ita in vltimo Romano Cap. 1650. fuit confirmata. *Confirmamus factam huic Prouinciæ ab vltimo Capitulo Generaliſſimo conceſſionem, quod in Studio Generali S. Mariæ ab Arcu numerus Studentium formalium extraneorum ſit binarius, numerus verò Studentium formalium Prouinciæ ſit ſenarius. Volentes quòd eis de veſtiario prouideat dictus Conuentus S. Mariæ ab Arcu, ſicut cæteris Fratribus de Prouincia ibidem aſſignatis; ordinationem Reuerendiſs. quondam P. Rodulphij, quod ſinguli prouideretur ab originalibus ipſorum Conuentibus, non obſtante. Porrò quoad hebdomadariam ab ipſiem Studentibus praſtandam, ſeruetur Prouinciæ conſuetudo.* Quatuor alij Studentes formales in S. Dominici de Guardia fuere inſtituti Romę 1644. prout dicitur infra num. 9.

3 Prouinciale Capitulum Dominica *Deus qui errantibus* celebretur Valentię 1647. & Romę 1650. ita dicitur. *Confirmamus ordinationem Valentiæ 1647. factam pro hac Prouincia quòd nempe Capitulum Prouinciale ſemper deinceps celebretur Sabbato ante Dominicam* Deus, qui errantibus; *& ſi ob mortem, vel amotionem Prouincialis neceſſe fuerit extra hoc tempus celebrare Capitulum nouæ electionis, Prouincialis in eo electus perſeueret poſt expletum biennium in regimine Prouinciæ titulo Vicarij Generalis donec alius Prouincialis recurrente illo præfixo Sabbato eligendus, ſit confirmatus, & in Prouincia præſens.*

4 Priores in ſui regiminis termino plenam rationem proprię adminiſtrationis coram Conſilio Patrum reddere tenentur. Romę 1650. *Ordinamus quod ſinguli Priores ſub fine ſui Prioratus collectò Patrum Conſilio plenam, diſtinctamque rationem reddant ſui regiminis, & adminiſtrationis bonorum temporalium, & ſi inueniantur notabiliter defeciſſe, ſint ex vi præſentis ſtatuti inhabiles, ne deinceps vllibi in Priores eligi poſſint.*

5 Aquilanus, & S. Dominici de Pinna Conuentus pro exacta obſeruantia habenda fuere confirmati Romę 1650. *Approbamus, & confirmamus factam ab A.R. P. Prouinciali deputationem duorum Conuentuum pro exacta obſeruan-*

uan-

nantia, nimirum Conuentus Aquilani pro Natione Aprutina, & Conuentus S. Dominici de Pinna pro Natione Hetruſca, committentes eidem P. Prouinciali, vt & tertium deputet pro Natione Neapolitana. Idem Aquilanus Conuentus etiam in Generali Romano Capitulo 1629. pro regulari Obſeruantia fuerat electus.

6 Alternatiua ex tribus Nationibus, Hetruſca, Neapolitana, & Aprutina, Apoſtolica Auctoritate accedente, fuit Romæ 1629. in hunc modum ſancita. *Ad concordiam, & pacem inter Fratres ſtabiliendam, auctoritate Apoſtolica ordinamus, decernimus, ac ſtatuimus, vt perpetuis futuris temporibus ſint in officio Prouincialatus Alternatiua ex tribus Nationibus, Neapolitana, Aprutina, & Etruſca, ex quibus alternatim ſemper Prouinciales eligantur, ita vt ex eadem Natione bis Prouincialis immediatè eligi non poſſit; & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.* Quando autem Prouincialis ex Neapolitana Natione fuerit eligendus, in Aprutinis Conuentibus eius electio habeatur. Quando verò ex alijs duabus Nationibus erit aſſumendus, in Neapolitanis Conuentibus celebretur. Ita fuit ordinatum Valentiæ 1647. quod Romæ 1650. fuit in hunc modum confirmatum. *Item confirmamus, quod in eodem Capitulo Generali* (Valentino ſcilicet 1647.) *pro hac Prouincia ordinatum fuit, vt quoties eligendus erit Prouincialis de Natione Neapolitana, Capitulum Prouinciale celebretur in Conuentibus Aprutinis, videlicet Sulmonenſi, Aquilano, Theatino, Pinnenſi &c. Quando autem fuerit eligendus de Natione Aprutina, vel Hetruſca, Capitulum celebretur in Conuentibus Neapolitanis, Ieſu Mariæ S. Seueri, & S. Mariæ ab Arcu.* Quod etiam fuit confirmatum Romæ 1644.

7 Affiliationum translationes de Conuentu in Conuentum à Septuageſima vſque ad Octauam Paſchæ non fiant. Valentiæ 1647. *Ordinamus, vt affiliationes nullo modo fiant à tempore Septuageſimæ vſque ad Octauam Paſchæ, & ſi factum fuerit totum ſit irritum, & inane.* Conuentus de Francauilla huic Prouinciæ fuit vnitus. Romæ 1644. *Acceptamus, & incorporamus Prouinciæ noſtræ Aprutinæ Conuentum S. Mariæ Gratiarum de Francauilla.*

8 Feſtum S. Catharinæ Senenſis cum ſolemni Octaua celebretur in hac Prouincia ex Romani Capituli 1644. conceſſione. *Concedimus Feſtum S. Catharinæ Senenſis, quæ eſt huius Prouinciæ titularis, celebrari poſſe cum Octaua ſolemni. Item, vt Feſtum deſponſationis eiuſdem celebrari poſſit in eadem Prouincia feria v. Dominicæ in Sexageſimæ, ſicut & Prouinciæ Romanæ conceſſum eſt, ſub Toto Duplici.* Quantum autem ad hoc vltimum de feſto deſponſationis eiuſdem S. Virginis feria v. ante Quinquageſimam celebrando, pro toto Ordine idem fuit mandatum Romæ 1650.

9 Quatuor Formales Studentes in S. Dominici de Guardia ſint, cuius Lector pro Baccalaurei gradu legat. Romæ 1644. *Confirmamus ordinationem Reuerendiſſimi P. Generalis F. Nicolai Rodulphy pro Conuentu S. Dominici de Guardia, vt ſcilicet in eo ſint quatuor Sacerdotes Studentes Formales, examinati tamen prius, & approbati in Studio Generali Prouinciæ, quorum Lector legat pro gradu Baccalaurei Ordinary, quique aſſumi debeat ex his, qui fuerunt Magiſtri Studentium in Studio Generali eiuſdem Prouinciæ ſecundum ordinem profeſſionis.*

10 In Generali Prouinciæ Studio Iuuenes non Sacerdotes nequaquam aſſignentur in Studentes. Romæ 1644. *Ordinamus, quòd in Studio Generali noſtræ Prouinciæ nullo modo admittantur in Studentes formales Iuuenes non Sacerdotes.*

11 Prouinciales, & Priores ſint biennales. Romæ 1644. *Concedimus, quòd Prouinciales impoſterum ſint biennales, ſimiliter, & Priores.*

12 Qui in alijs Prouincijs fuerint Lectores inſtituti, etiam in hac ſua ſunt approbandi. Romæ 1644. *Ordinamus quòd Lectores, qui in alienis Prouincijs laureati fuerint, rurſus in noſtra Prouincia examinentur, & approbentur, abſque præiudicio tamen alterius Prouinciæ.*

13 Priores duodenarium Fratrum numerum in Conuentibus non habentes, ad electionem Prouincialis non admittantur. Romæ 1644. *Confirmamus ordinationem noſtrarum Conſtitutionum, & nonnullorum Capitulorum Generalium, quòd Priores, quorum Conuentus duodecim Fratres alere non poſſunt, nullatenus in Capitulis Prouincialibus voce gaudeant.*

14 Nullus, Conuentus S. Dominici de Reate ſepatationem ab hac Prouincia procurare præſumat. Romæ 1644. *Confirmamus ordinationem factam in Capitulis Generalib. Pariſys 1611. Romæ 1612. & Bononiæ 1615. ne quis ſub pœna grauioris culpæ, & excommunicationis latæ ſententiæ audeat tractare ſeparationem Conuentus S. Dominici Reatini à Prouincia Aprutina.*

15 Diffinitori Capituli Generalis expenſæ pro itinere ſoluantur. Toloſæ 1628. *Mandamus, vt Diffinitori Capituli Generalis perſoluantur expenſæ pro itinere neceſſariæ, vt in Capitulo Generali Neapolitano 1600. ordinatum fuit.*

16 Singulis 4. Ferijs non impeditis in Ieſu Mariæ Conuentu de Neapoli Officium S. Vincentij celebretur ex conceſſione Mediolanenſis Capituli 1622. *Concedimus, vt in Conuentu Ieſu Mariæ de Neapoli officium de S. Vincentio feria 4. poſſit celebrari.*

17 Lectoribus Artium curſus non admittatur, niſi per triennium legerint, neque lectiones Theologiæ conſequantur abſque Prouin-

uincialis Capituli, vel P. Prouincialis beneplacito. Mediolani 1622. *Non admittatur Lectoribus lectura Artium, niſi triennio integro per legerint, neque inde poſſint ad legendum Theologiam tranſire ſine licentia Capituli Prouincialis, vel ipſius P. Prouincialis.*

18 Ieſus Mariæ, S. Seueri, & B. Mariæ de Arcu Cõuentus ad hanc Prouinciã ſpectant, ſicut & Conuentus Reatinus, nulluſque horum ſeparationrm ab illa attentare præſumat, ex decreto Capit. Pariſienſis 1611. & Romani 1612. *Confirmamus declarationem factam in Capitulo Generali Pariſienſi 1611. videlicet Conuentum Ieſus Mariæ, & S. Vincentij, & Conuentum S. Seueri Maioris in Ciuitate Neapolitana, & Conuentum S. Mariæ de Arcu in Diœceſi Nolana, pertinere ad eandem Prouinciam S. Catharinæ de Senis, aliàs Aprutinam. Imponentes ſuper his perpetuum ſilentium omnibus, & ſingulis Fratribus noſtri Ordinis; & prohibentes ſub pœna grauioris culpæ, & alijs Reuerendiſs. Magiſtro Ordinis arbitrarijs, ne quis de diuiſione, aut auulſione dictorum Conuentuum ab ipſa Prouincia loqui, tractare, aut eam procurare quomodolibet præſumat. Quam declarationem, & prohibitionem extendimus ad Conuentum noſtrum S. Dominici de Reate. Quę quidem ſtatuta, & decreta* (cum alio ſcilicet de Graduatorum numero infra adducendo) *Apoſtolica auctoritate Sanctiſſimus D. N. Paulus Papa V. confirmauit per litteras in forma Breuis expeditas tenoris ſequentis.*

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Vt ea, quæ pro Religioſorum bono, & perſonarum in ipſis degentium quiete, per ipſarum Religionum Superiores, præſertim in Capitulis Generalibus ſtatuta, & ordinata ſunt, firma, & illibata perſiſtant, illis noſtrę confirmationis robur libenter adijcimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Siquidem pro parte dilectorum filiorum Prouincialis, & Fratrum Ordinis Prædicatorum S. Catherinę de Senis, aliàs Aprutin. nobis nuper expoſitum fuit, quod pro totius Ordinis prędicti bono, & quiete in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis nouiſſimè in Ciuitate Pariſienſi celebrato, Magiſter Generalis, Diffinitores, & alij Fratres ipſi Capitulo intereſſentes, vnam Ieſus Marię, & S. Vincentij, & aliam S. Seueri Maioris Ciuitatis Neapolitanę, & reliquam S. Marię ab Arcu nuncupatas Domos dicti Ordinis Nolanę diœceſis ad prędictam Prouinciam Sanctę Catharinę de Senis pertinere declararunt, imponentes perpetuum ſilentium omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, ac prohibentes ſub pœna grauioris culpę, & alijs Magiſtro Generali dicti Ordinis arbitrarijs pœnis, ne quis de diuiſione dictarum Domorum ab ipſa Prouincia S. Catharinę de Senis loqui, tractare, aut procurare quomodolibet pręſumeret, prout in decreto Capituli Generalis ſuper hoc facto plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, Prouincialis, & Fratres dictę Prouincię plurimùm cupiant, decretum, & declarationem huiuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia, & vt ab omnibus inuiolabiliter obſeruentur, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, vt in pręmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Prouincialem, & Fratres ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum prędictum dumtaxat conſequendum, harum ſeriè abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Decretum, & declarationem huiuſmodi, & in eis contenta Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus, decretumque huiuſmodi, & alia prędicta ab omnibus, ad quos ſpectat, obſeruari debere, irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Prouinciarum illius, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis perſonis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis: Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Anulo Piſcatoris die xxix. Decembris MDCXI. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Scipio Cobellutius.

Idemque fuit etiam mandatum in ſubſequentibus Capitulis Bononien. 1615. atque Vlyſſiponen. 1618. & in hoc 2. mandatum eſt vt in prædictis Conuentibus Fratres ex tribus huius Prouinciæ Nationibus aſſignentur, quod etiam Magiſter Ordinis P. F. Seraphinus Siccus fieri decreuerat. *Confirmamus etiam ordinationem à Reuerendiſſimo Magiſtro Ordinis in ſua viſitatione conſtitutam, vt ſcilicet in Conuentu S. Mariæ ab Arcu, S. Seueri, & Ieſu*

Mariæ, Fratres ex modò dictis tribus Nationibus (ſcilicet Neapolitana, Hetruſca, & Aprutina) *aſſignentur.*

19 Vt Magiſtri, x. & totidem Generales Prædicatores in hac Prouincia eſſent, conceſſum eidem fuerat Romæ 1608. in hunc modum. *Concedimus eidem Prouinciæ, vt poſſit habere decem Magiſtros, & decem Prædicatores Generales.* Poſtea autem Romæ 1612. ad duodenarium, numerus fuit in hunc modum extenſus. *Extendimus ad petitionem eiuſdem Prouinciæ numerum Magiſtrorum Sacræ Theologiæ, & Prædicatorum Generalium in eadem Prouincia vſque ad numerum duodenarium: Prohibentes impoſterum ne aliquis audeat petere, aut quouis modo quærere, quod dictus numerus vllo modo augeatur; & ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane.* Quod poſtea auctoritate Apoſtolica Pauli V. fuit in hunc modum, vt ex Actis eiuſdem Capituli conſtat, confirmatum.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Vt ea, quæ pro Religioſorum bono, & perſonarum in ipſis degentium quiete, per ipſarum Religionum Superiores, præſertim in Capitulis Generalibus ſtatuta, & ordinata ſunt, firma, & illibata perſiſtant, illis noſtræ confirmationis robur libenter adijcimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Siquidem pro parte dilectorum filiorum Prouincialis, & Fratrum Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Sanctæ Catharinæ de Senis, aliàs Aprutinæ, nobis nuper expoſitum fuit, quod pro ipſius Prouinciæ quiete, & bono, in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis nouiſſimè in Vrbe celebrato, Magiſter Generalis, Diffinitores, & alij Fratres ipſi Capitulo intereſſentes ſtatuerunt, & ordinarunt, quod in Prouincia prædicta non poſſint recipi, nec admitti in Magiſtros in Sacra Theologia, necnon in Concionatores Generales vocales vltra numerum duodecim reſpectiuè, prout in decreto Capituli Generalis ſuper hoc facto plenius dicitur contineri. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, Prouincialis, & Fratres dictæ Prouinciæ, plurimum cupiant decretum, & ordinationem huiuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, & vt ab omnibus inuiolabiliter obſeruentur, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Prouincialem, & Fratres ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis (ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt) ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inhærentes, decretum, & ordinationem huiuſmodi, ac in eis contenta quæcunque Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, decretumque & ordinationem huiuſmodi, & in eis contenta prædicta ab omnibus, ad quos ſpectat, obſeruari debere, irritumque, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & illius Prouinciarum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate, alia roboratis, ſtatutis, & Conſtitutionibus priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenore, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ, &c. Anno MDCXII. Pontificatus noſtri anno octauo.

Scipio Cobellutius.

20 Prædicti verò Magiſtri, & Prædicatores Generales ſunt in Prouincia à Diffinitoribus, & maiori Patrum Prouinciæ parte acceptandi ex præfat. Romani Capituli 1612. decreto. *Ordinamus quòd impoſterum Magiſtri Sac. Theologiæ, & Prædicatores Generales acceptentur in dicta Prouincia, non ſolum à PP. Diffinitoribus Capituli Prouincialis, ſed etiam à maiori parte Patrum Prouinciæ, qui fuerint præſentes in Capitulo Prouinciali.* Et Vlyſſiponæ 1618. ita dicitur. *Admonemus vt ſeruentur decreta Pontificia, & præcipuè S. D. N. Pauli Papæ V. circa numerum Magiſtrorum, ijque acceptentur à Prouincia iuxta diſpoſitionem noſtrarum Conſtitutionum.*

21 Ad Magiſterij gradum nullus per ſaltum promoueatur. Romæ 1612. *Ordinamus in dicta Prouincia quòd non poſſit aliquis peti, aut promoueri ad gradum Magiſterij per ſaltum, ſed promoueantur, qui primò functi fuerint officio Magiſtri Studentium, & Baccalaurei Ordinarij in Studio Generali dictæ Prouinciæ; declarantes quod Baccalaurei, & Regentes tenentur legere, & perſeuerare in ſuis officijs tantum per triennium; nec impoſterum fiat aliquis Magiſter Studentium qui Sacram Theologiam ad minus per biennium non legerit; qui verò aliter promoti fuerint, pro non Magiſtris, & pro non graduatis habeantur in dicta Prouincia.* Quantum autem ad Magiſtros Studentium idem ordinatum quoque fuerat Pariſijs 1611.

22 Ratione Studij nullus extra Prouin-

ciam

…etiam mittatur, niſi Reuerendiſs. Magiſtri Ord. auctoritate interueniente. Bononiæ 1615. *Ordinamus vt PP. Studentes, & alij quicumque pro Stipys extra Prouinciam à nullo, Reuerendiſſimo Magiſtro Generali inferiori, mitti poſſit.* Idem fuit confirmatum Vlyſſiponæ 1618.

23 Recipiendorum ad habitum examinatores, & reuiſores litterarum teſtimonialium, diuerſarum ſint Nationum, ex Magiſtri Generalis F. Auguſt. Galamini decreto Romæ 1612. acceptato. *Declaramus quod examinatores, & reuiſores litterarum teſtimonialium eorum, qui volunt recipi ad habitum Ordinis ſint diuerſarum Nationum, prout Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. de Aracœli tunc Generalis Magiſter Ord. declarauit.* Quòd iam antea Pariſijs 1611, mandatum fuerat; hoc circa eoſdem examinatores addito, *qui & omnes in Ciuitate Neapolitana morentur.* Idem fuit confirmatum Vlyſſiponæ 1618. hac addita declaratione. *Declaramus quod reuiſores litterarum teſtimonialium recipiendorum ſint diuerſarum Nationum, ſi adfuerint, ſcil. Hetruſca, Aprutina, & Neapolitana; volentes vt ab ipſis Iuuenes ad habitum admittendi examinentur.*

24 Si in aliquo Conuentu vnus tantum ſit capax ad hoc, vt in Socium Prioris pro Capitulo Prouinciali eligatur, poterit eligi, eritque verus Socius. Romæ 1612. *Declaramus quòd ſi in aliquo Conuentu contingat reperiri tantum vnum Fratrem habentem vocem paſſiuam, ideſt, habentem 12. annos completos à ſua profeſſione, reliquos verò vocales habere tantum vocem actiuam, ideſt, non habere 12. annos completos à ſua profeſſione, poterunt, ſi voluerint, vocales procedere ad electionem Socij P. Prioris pro Capitulo Prouinciali, & ſi vocalibus placuerit, poterunt eligere illum, qui habeat vocem paſſiuam, qui ſic electus erit legitimus Socius pro Capitulo Prouinciali.*

25 Prædicatores, & Lectores in Generali huius Prouinciæ Studio examinentur, aliàs nec priuilegijs, nec titulis gaudeant. Pariſijs 1611. *Concedimus Prouinciæ S. Catharinæ de Senis, ſeu Aprutinæ, vt Lectores, & Prædicatores iuxta laudabilem eiuſdem conſuetudinem examinari, & approbari debeant in Studio Generali ipſius Prouinciæ, in Conuentu videlicet S. Dominici de Aquila* (modo eſt S. Mariæ de Arcu) *aliàs nec gaudeant titulis, nec fungantur officijs, ſed totum ſit irritum, et inane; niſi aliàs fuerint in aliquo alio Studio Generali Ord. examinati, & approbati iuxta ordinationes Capitulorum Generalium.* Quantum autem ad Lectores vide ea, quæ dicuntur ſupra num. 12.

PRO PROVINCIA RVSSIAE. XXXXI.

MIrum eſt in quot, quantaſque in ſui inſtitutione inciderit difficultates hæc Prouincia. Fuit enim primò à Polona auulſa, atque in ſpecialem Prouinciam ſub nomine S. Hyacinthi in Generali Valentino Capitulo anno MDLXXXXVI. celebrato erecta, conſtituto eidem Prouinciale P. Magiſtro F. Antonino Premisliense; ita enim denunciat. 5. habetur.

Denunciamus, pluribus de cauſis maturè valde ab ipſo Diffinitorio conſideratis, ſancitum fuiſſe, vt Conuentus noſtræ Prouinciæ Poloniæ, qui in Prouincia Ruſſia continentur cum nonnullis alijs nominandis, in nouam erigerentur Prouinciam, à Prouincia Polonia ſeiunctam, quæ diceretur, & eſſet Prouincia S. Hyacinthi de Ruſſia, ſicuti præſenti Decreto erigimus, & inſtituimus cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus aliæ Ordinis noſtri Prouinciæ ritè inſtitutæ gaudere ſolent, & conſueuerunt: dantes illi in Prouincialem Admodum R. P. Magiſtrum Fratrem Antoninum Præmiſlienſem, cum omni auctoritate ſolita dari Prouincialibus ritè inſtitutis conformiter ad leges, & Conſtitutiones noſtras. Omnibus autem, qui huiuſmodi Conuentuum adminiſtrationem habuerunt, ſiue regimen, & non reddita ratione ſuæ adminiſtrationis ab ipſis receſſerunt, & ad Prouinciam Poloniæ ſe tranſtulerunt, vel bona aliqua ad præfatos Conuentus, vel Loca ſpectantia, aliò aſportauerunt, mandamus in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ vna pro trina canonica monitione præmiſſa, vt infra terminum quindecim dierum, quo-

rum quinque primos pro primo; ſecundos pro ſecundo; tertios pro tercio, & vltimo peremptorio termino aſſignamus, teneantur ſe præſentare Reu. P. Prouinciali præfatæ Prouinciæ S. Hyacinthi de Ruſſia rationem reddituri; pariterque reſtituere ſiue per ſeipſos, ſiue per alios ablata, ſiue tranſlata fuiſſent. Porrò Fratribus omnibus ad præfatam Prouinciam ſpectantibus, qui ad Prouinciam Poloniæ ſe tranſtuliſſent, ſub eodem formali præcepto, & ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna ſub eiſdem terminis mandamus, vt infra prætaxatum tempus ad Conuentus præfatæ Prouinciæ S. Hyacinthi de Ruſſia, ſe transferre debeant in eo loco manſuri, in quo eiuſdem Prouinciæ Prouincialis eoſdem collocauerit. Prouincialis autem Prouinciæ Poloniæ ita hæc omnia executioni mandare curabit, nec vllo pacto impediet, aut alios impedire permittet, quod in virtute ſanctæ Obedientiæ eidem, vt faciat, iniungimus. Nomina autem Conuentuum, qui Prouinciæ S. Hyacinthi de Ruſſia adſcripti fuerunt, litteræ patentes de prædictis omnibus ad P. Prouincialem dictæ Prouinciæ S. Hyacinthi à Reuerendiſs. P. Generali quamprimum mittenda, continebunt.

Renuentibus autem Poloniæ Prouinciæ Patribus tali diuiſioni ſubdi, atque ad Apoſtolicam Sedem appellantibus, à Clemente Papa VIII. hoc negotium Generalis Capituli Neapolitani 1600. PP. Diffinitoribus commiſſum fuit terminandum, qui præfatam diuiſionem in hunc modum conf. 6. confirmauere. *Confirmamus diuiſionem Prouinciæ Poloniæ factam in Capitulo Generali proximè celebrato Valentiæ anno 1596. denunciatione 5. in Prouinciam Poloniæ, & Prouinciam S. Hyacinthi; declarantes, quod prædicta diuiſio, potuit fieri auctoritate Ordinis à Reuerendiſs. P. Generali, & præd. Capitulo Valentiæ celebrato, & non ſolum conuenienter fuit tunc facta præfata diuiſio, ſed modo neceſſario eſt ſuſtinenda. Quare eo modo, quo in præfato Generali Capitulo facta fuit, & à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. exequutioni mandata, vna cum diſtributione Conuentuum, & applicatione eorundem vtrique Prouinciæ à nobis approbatur, & confirmatur. Statuimuſque nihil circa ambas præfatas Prouincias Poloniæ, & S. Hyacinthi innouandum eſſe, quouſque mittatur Commiſſarius, qui Conuentus viſitet, & omnia benè, ac religiosè diſponat. Qui ſi viderit aliquem, vel aliquos Conuentus vni magis, quam alteri Prouinciæ ex rationabilibus cauſis conuenire, certiorem reddet Magiſtrum Ord. vt pro ſua prudentia eos tali Prouinciæ poſſit applicare. Cuius quidem diſpoſitioni omnes ſtare omnino debebunt, nulloque pacto contradicere præſument: Sanctiſs. enim D. N. Clemens Papa Octauus, volens quod huic cauſæ tandem finis, perpetuumque ſilentium imponatur, viuæ vocis oraculo per litteras Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Card. S. Georgij, Datas Romæ die 12. May 1600. Reuer. Magiſtro Ord. & toti Diffinitorio directas, mandauit, quod omnes huic noſtræ declarationi, & ſententiæ obedire teneantur, ac ſi ab ipſamet Sanctitate emanaſſet. Electionem interim Prouincialis in Capitulo Plocenſi factam caſſauimus, & quatenus opus ſit caſſamus, & irritamus dignis, iuſtiſque de cauſis; Ordinantes Reuerendiſs. Generali, vt habita relatione à Commiſſario prædicto de compoſitione rerum ipſarum Prouinciarum, vtrique Prouinciæ det Prouinciales, viros aptos ad illas regendas; & in regulari obſeruantia, debitaque Superioribus obedientia continendas. Dolentes quamplurimum, quod tam paruifecerint Superiorum Ordinis auctoritatem, totque ſcandalis occaſionem dederint ſua inobedientia. Mandantes illis, vt ſe humilient Magiſtro Generali Ord. & obedientiores imposterum ſint. Quod ſi fecerint (vt credimus, prout etiam ipſorum nomine fecit, & promiſit eorundem Procurator in præſenti Capitulo P. F. Seuerinus Craconita Magiſter, quem ex mera benignitate, cum electio de ipſo in Diffinitorem Capituli nulla eſſet, in Diffinitorem auctoritate Apoſtolica Magiſter Generalis inſtituit, & admiſit) rogamus eundem Magiſtrum Ord. vt illos benignè, ac paternè, veluti obedientes filios recipiat.*

Præfato tamen decreto non aquieuere PP. Poloni, ſed ad eundem Pontificem Max. iterum appellantes, idem Pontifex dato Apoſtolico diplomate ſub die 30. Iulij anni 1601. pro pace inter Fratres illos firmanda dictam S. Hyacinthi Prouinciam caſſauit, eiuſque titulum, atque nomen ab Ordine eliminauit, ex Conuentibus Leopolienſi, Camencenſi, Kiouienſi, Rubicaſtri, Iaslouienſi, & Moſticenſi, in Ruſſia noua Congregatione inſtituta: ita enim in Valliſoletani Capituli 1605. Actis denunciat. 3. toti Ordini fuit denunciatum. *Denunciamus fœlicis recordationis Clementem Octauum Motu proprio, & de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ ſub annulo piſcatoris die trigeſima Iuly 1601. Prouinciam S. Hyacinthi, ac nomen, titulum, & eſſentiam illius omnino extinxiſſe, & in locum eiuſdem, Congregationem nouam in Ruſſia ex Conuentibus Leopolienſi, Camenecenſi, Kiouienſi, Rubeicaſtri, Iaslouienſi, & Moſticenſi à Prouincia Poloniæ ſeparatam erexiſſe. Conuentus verò alios, qui in Capitulo Generali Valentiæ à Prouincia Polonia ſeparati, & Prouinciæ S. Hyacinthi aſſignati fuerant, vna cum priuilegijs eorundem Conuentuum, in Conuentu Leopolienſi depoſitatis, reſtitui decreuiſſe: ſilentiumque perpetuum in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ, necnon ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & alijs, de nihil innouando imposterum vtrique parti impoſuiſſe, non obſtantibus ordinationibus Capitulorum Generalium Valentiæ, & Neapoli immediatè celebratorum, & alijs, tam litteris Apoſtolicis Pij Secundi, & Sixti Quarti, pro Societate*

Pere-

Peregrinantium, quàm etiam quibuſuis decretis ab Ordine emanatis incontrarium. In quorum omnium exequutionem R. P. Magiſter Frater Dominicus Landins: ab eodem Clemente Octano, & Reuerendiſs. Patre Generali executor, & Viſitator miſſus eſt, eaque in Conuentu Præmislienſi Prouincia Poloni ia aſſiſtente Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Epiſcopo loci illius in præſentia vtrinſque partis citata, & comparentis publicauit, & exequutus eſt. Patres vero, & Fratres, tam Prouincia Poloniæ, quàm Congregationis in Ruſſia huiuſmodi diffinitionem, & exequutionem laudarunt, approbarunt, & ſubſcripſerunt, prout clarè conſtat per acta Ioannis Croſnenſis, ſacra auctoritate Apoſtolica publici Notarij, prima die Iulij 1602. facta. Quæ omnia prædictus Pontifex Clemens Octanus, videlicet, tam decretum, quàm exequutionem illius per litteras ſub plumbo datas Romæ apud Sanctum Petrum 1604. nono Kalendas Maij. Itemque per alias litteras ſub annulo Piſcatoris datas Romæ die 23. Aprilis eiuſdem anni confirmauit, non obſtantibus litteris ſuis in forma Breuis, quibus inhibetur, ne Prouincialis Poloniæ prætendat iuriſdictionem ſuper Conuentus in Ruſſia, & etiam Capitulo Generali Romæ 1601. in quo ex mera gratia Sedis Apoſtolicæ Fratres Rutheni pro rata ſuæ Prouinciæ voces, lóca & diffiniendi auctoritatem cum alijs Prouincijs habuerunt. Nos igitur cum omni reuerentia dictas litteras, decreta & diffinitiones Apoſtolicas, earumque exequutionem acceptamus, præcipientes ſub pœnis à Sede Apoſtolica taxatis, omnibus Fratribus ad Prouinciam Poloniæ, & Congregationem in Ruſſia pertinentibus ne directè, vel indirectè, præfato ordinationi Apoſtolicæ contradicere, vel aliquid circa hoc impoſterum innouare audeant.

Altereantibus autem de iure Conuentuum, & terminorum inter ſe P. P. Ruthenis atque Polonis, ex Generali Romano Capitulo 1608. ſequens decretum cum Apoſtolico beneplacito emanauit, prout denunciat. 5. habetur. *Denunciamus, poſt varias controuerſias ſæpius agitatas, tàm in præcedentibus Capitulis Generalibus, quàm coram Sede Apoſtolica inter Patres Prouinciæ Poloniæ ex vna parte, & Patres Congregationis Ruſſiæ ex alia, de iure Conuentuum, & terminorum: tandem ſcitu, & beneplacito Sanctiſſimi D. N. Pauli Papæ V. in hunc modum conuentum, & tranſactum inter patres fuiſſe: Vt Patres Rutheni poſſint intra terminos ſuæ Congregationis, videlicet à Moſticia verſus Kyouiam, & vltra verſus Valachiam, Moſchouiam, & Moldauiam abſque vllo impedimento nouos Conuentus fundare, tam erectos, nempe Moſticenſem, Leopolienſem, Rubei Caſtri, Iaslauicenſem, Camenecenſem, Kyouienſem, Buſcenſem, Potoſcenſem, Ieſupolienſem, Barenſem, Lacieziouienſem, Scharaſcenſem pacificè habere, & poſſidere, ac etiam dirutos, & deſolatos inſtaurare, & reſtituere, ſcilicet Trebouolienſem, Colomienſem, & Smotriczenſem, quos Patres Poloni quieti, & paci perpetuæ ſtudentes, dictis Patribus Rutheris in præſentia Reuerendiſſimi Magiſtri Generalis Ordinis donarunt, & donant in perpetuum ſpontè, & ex gratia, iuri ſuò cedentes in hac parte tantum. Ita vt alij Conuentus Prouinciæ, ſcilicet Præmislienſis, Samborienſis, Belzenſis, Luceorienſis, Hrodlenſis, Vulodimirienſis, & Hmbieſſonenſis, quos de facto præfati Patres Poloni poſſident, ſint etiam in perpetuum ad dictam Prouinciam Poloniæ cum omnibus iuribus ſuis ſpectantes. Inſuper Patres Ruthenos viciſſim ſpontè ſe obligaſſe, & promiſiſſe, (quod etiam ſubinde impoſitum illis, & praeceptum fuit), nullo ſe vnquam tempore intra terminos Prouinciæ Poloniæ ædificaturos; neque tentaturos ædificare Conuentus, aut loca pro ſua Congregatione. Similiter denunciamus, eiſdem Patribus Ruthenis ex voluntate eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Pauli Papæ V. inhibitum eſſe, ne impoſterum de erigenda ſua Congregatione in Prouinciam agant, aut ea de re lites moueant: cum iam per felicis recordationis Clementis VIII. Decreta Prouincia Sancti Hyacinthi in Ruſſia omnino extincta fuerit, cum ſuo titulo, & eſſentia, vt etiam ex Actis Capituli Generalis Valliſoletani proximè præcedentis apparet; quæ ſanè decreta iam exequutioni mandata, per Sanctiſſimum D. N. Paulum Papam V. ſub grauiſſimis cenſuris confirmata ſunt. Atque in hanc formam, vt præfertur, ad communem pacē, & quietem, pactum, et conuentum inter ambas partes fuiſſe: necnon in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, ſub formali præcepto, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſilentium pertuum vtrique parti impoſitum, vt amplius in hac cauſa nlla lis, aut controuerſia agitetur, aut vllum verbum deinceps fiat; ambas quoque partes ſpontè, ac liberè in hanc conuentionem, & concordiam veniſſe, conſenſiſſe, ſubſcripſiſſe, vt conſtat etiam ex authentico Inſtrumento manu publici Notarij confecto. Noſquè auctoritate S. D. N. Pauli Papæ V. viuæ vocis oraculo nobis conceſſa, & noſtra etiam, eandem conuentionem, & concordiam partium approbaſſe, ratam, firmamque in perpetuum haberi voluiſſe, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.*

Pariſijs autem 1611. ex PP. Polonorum, & Ruthenorum conſenſu ſequens emanauit decretum. *Declaramus inter PP. Polonos, & Ruthenos de communi partium conſenſu, hoc pacto conuentum fuiſſe, vt vtrorumque limites, & termini, quos neutri partium impoſterum licebit tranſgredi, tam in fabricandis domibus, quam in queſtibus faciendis ſint iſti: videlicet, Luciura, Clennan, Czardatiskò, Voiatlij, Slonim, Roſanka, Vilna, Nemeſchijn Sunintranua, Driſnet. Declarantes quoque quod loca Toporuſſ.*

Digitized by Google

ruſſ, & Conſtantinuſſ pertinent ad Congregationem Ruſſię, quia ſunt intra ipſorum terminos. Romæ tandem anno 1612. in Generali Capitulo auctoritate Apoſtolica Pauli V. conſentiente P. Mag. F. Io: Chryſoſtomo Prouinciale Poloniæ, fuit in hunc modum in Prouinciam, ſub Prouinciæ Ruſſiæ titulo inſtituta. *Auctoritate Apoſtolica à S. D. N. Paulo Papa V. ad hoc ſpecialiter conceſſa, erigimus in Prouinciam Congregationem noſtram Ruſſię ſub titulo Prouincię Ruſſię, annuente toto Diffinitorio, & Adm. R. P. Prouinciali Prouincię noſtrę Polonię conſentiente, cum omnibus gratijs, & priuilegijs aliarum prouinciarum Ordinis, manentibus tamen ſtabilibus, ac firmis, & in perpetuum duraturis ijs omnibus, & ſingulis, quę in Capitulo Pariſienſi proximè celebrato 1611. circa diuiſionem Conuentuum, & terminorum inter dictam Prouinciam Poloniæ, & prefatam Ruſſię decreta, ſancita, & ordinata ſunt, nempe, vt vtrorumq; limites, & termini, quos neutri partium impoſterum licebit tranſgredi, tam in fabricandis domibus, quam in queſtibus faciendis, ſint iſti, videlicet; à Vceoria, Cleuuan, Zarionyſko, Voianl, Slonin, Roſanka, Vilna, Nemeſtbyn, Suuintrauua, Diſla, Diſinet, & quod loca Toporuſſ, & Conſtantinuſſ, pertinent ad eandem Prouinciam Ruſſiæ, quia ſunt intra ipſorum terminos, iuxta declarationem eiuſdem Capituli. Super quibus omnibus poſt hac perpetuum ſilentium imponimus.* Quòd fuit cõfirmatum Bononiæ 1615. (vbi de hac re perpetuum fuit etiam ſilentium omnibus PP. Polonis, & Ruthenis impoſitum) & Vlyſſiponę 1618. & Mediolani 1622.

Pro huius igitur Prouinciæ incremento, atque regularis obſeruantiæ conſeruatione ſequentes ex Generalibus Capitulis emanauere leges.

1 Fugitiui Fratres ad alias Prouincias ſpectantes, ſi ad huius Conuentus declinauerint, carceribus ſtatim ſubijciantur ex Valentini Capituli 1647. decreto. *Ne pax communis Fratrum per inordinatos diſcurſus perturbetur, & vita religioſa in hac Prouincia relaxetur, ordinamus, & in virtute Spir. S. & S. Obedientiæ ſub formali precepto, ac pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandamus omnibus Patribus Prioribus, & alijs Præſidentibus Conuentuum, vt ſi aliquem ex fugitiuis Fratribus ad illorum declinare Conuentum contigerit, ſtatim ad carceres eos recipiant, vt declaratum fuit in Capitulo Romo celebrato anno 1569. eoſque ad ſuos Conuentus, vel Prouincias redire compellant, vt fuit ordinatum in Capitulo Generaliſſimo 1644. & præſenti ſtatuto omnes reuocamus ad dictam Prouinciam.* Idem fuit ordinatum Bononiæ 1615.

2 Graduatorum numerus Vlyſſiponæ 1618. fuit in hunc modum determinatus, vt Magiſtri, octo, Baccalaurei, nouem, Prædicatores autem Generales, quot Conuentus, eſſent. *Ad petitionem Prouinciæ reducimus numerum Magiſtrorum ad octo, Baccalaureorum ad nouem, Prædicatorum verò Generalium, ad tot, quot ſunt Conuentus.* Romæ autem 1644. Magiſtrorum numerus ad denarium, Baccalaureorum verò ad duodenarium fuit extenſus. *Concedimus huic Prouinciæ denarium numerum Magiſtrorum, & duodenarium Baccalaureorum.*

3 Lectores per ſexennium legant, vel prædicent gradus conſecuturi. Romæ 1644. *Ordinamus, & omnino obſeruari mandamus, id quod aliàs pro hac Prouincia ordinatum fuit, vt Lectores poſt ſuam inſtitutionem per ſexennium legere, vel ſaltem prædicare teneantur, ſecus ad nullos poſſint promoueri gradus; quare ex nunc, prout ex tunc irritam, & nullam decernimus quamcumque promotionem factam, vel faciendam huic ordinationi non conformem.*

4 In Conuentibus, quorum Priores ſunt Nationum Vicarij, aſſumantur Patres graues. Romæ 1644. *Ordinamus, vt Priores, qui ſunt Vicarij Contratarum, ſeu Nationum non inſtituantur niſi illi, qui aliàs in aliquo Conuentu Prioratus officium adminiſtrauerunt, & ſint ad minus Prædicatores Generales, aut Lectores, qui ætatis annum quadrageſimum compleuerunt, preſertim ſi Prioratui annexa eſt cura Monialium.*

5 Lubartouienſis Capituli Prouincialis Acta fuere in hunc modum Romæ 1644. confirmata. *Confirmamus Acta Capituli Prouincialis vltimi in Conuentu Lubartouienſi celebrati.*

6 Electus Prouincialis ſtatim, tanquam Prouinciæ Generalis Vicarius, illam regat, atque ab ipſo electionis die ſui muneris tempus incipiat. Romæ 1629. *Ordinamus, vt Prouincialis pro tempore electus immediatè poſt ſuam electionem regat Prouinciam, tanquam Vicarius Generalis, & ab ipſo electionis die ſui officij tempus incipiat: Volentes, vt quæcumque per ipſum ante confirmationem iuxta noſtras Conſtitutiones acta fuerint, rata, & firma omnino maneant, iuxta conſuetum aliarum Prouinciarum, huiuſmodi priuilegio gaudentium.* Idem fuerat mandatum Mediolani 1622. in hunc modum. *Prouincialis quam primùm fuerit electus, tanquam Vicarius Prouinciæ eam regat, & moderetur, & interea dum confirmatione caruerit, quæcumque per ipſum fient, rata ſint, & firma, prout aliàs Vicarijs Peregrinantium à Gregorio IX. fuit conceſſum; poterit enim iure ſuo vti donec de reuocatione huiuſmodi Pontificiæ conceſſionis conſtiterit.*

7 Actuales Lectores cum ſuis diſcipulis ante completum curſum lecturæ non amoueantur ab eodem Conuentu. Romæ 1629. *Or-*

Ordinamus P. Prouinciali pro tempore ne Lectores actu legentes, eorumque diſcipulos in alio Conuentu aſſignet quouſque curſum Philoſophię, vel Theologia abſoluerint. Si ſecus fiat extra euidentem neceſſitatis caſum, aſſignatio nulla omnino ſit.

8 Philoſophicus triennio, & Theologicus quadriennio curſus compleatur. Romæ 1629. *Ordinamus, vt Philoſophicus curſus triennio, & Theologicus quadriennio perſoluatur, quo abſoluto Lectores eorundem ſint, & intelligantur ſuo munere, ſuoque iure perfuncti.*

9 P. Prouincialis Socius titulo, locoque Prioris gaudet. Romæ 1629. *Concedimus huic Prouinciæ, vt Socius P. Prouincialis pro tempore gaudeat titulo, locoque tantùm Prioris Rubei caſtri, donec huiuſmodi Conuentus dirutus reedificetur.*

10 Priores Conuentuales, qui infra Septuageſimam ſuum triennium complent, vſque ad futurum Capitulum in ſuo munere non debent perſeuerare. Toloſæ 1628. *Declaramus quòd Priores, cum ſint in hac Prouincia triennales, non gaudent priuilegio Iulij II. vt ſcilicet durent vſque ad Capitulum, ſi infra Septuageſimam, & Paſcha tempus ſui Prioratus expleant, cum idem priuilegium de Prioribus tantùm biennalibus loquatur.* Vt verò Prouinciales triennales eſſent, mandatum fuerat Vlyſſiponę 1618. Quantum autem ad Priores quod ſint triennales fuit ordinatum Mediolani 1622. prout infra num. 13. conſtat.

11 Vt intermedium Capitulum non celebraretur, eo quia Prouinciales eſſent triennales in hac Prouincia, ita fuerat mandatum Toloſæ 1628. *Declaramus non eſſe celebrandum Capitulum intermedium, quandoquidem Prouinciales in hac Prouincia ſunt triennales, ſed in Capitulo electionis ſumendam eſſe ab ipſis Prouincialibus rationem, tum ſumptuum, tum ſuæ adminiſtrationis, & regiminis iuxta Conſtitutiones noſtras.* Veruntamen in ſubſequenti poſtea Capitulo Romano 1629. mandatum fuit in toto Ordine Prouinciales futuros quadriennales, atque in eorum quadriennio habendam eſſe Intermediam Congregationem, prout in prima parte de Capit. Prouincial. num. 1. retulimus.

12 Si in Prouincialis electione dubium aliquod accidat, PP. Prouinciæ cum Diffinitoribus, & Baccalaureis, illud definiant. Mediolani 1622. *Concedimus, vt ſi fuerit dubium aliquod circa electionem Prouincialis, vel quòd non ſit ritè facta, & ſecundum ius, ad euitanda ſcandala, PP. Magiſtri Prouinciæ, & Baccalaurei cum Definitoribus determinent, & definiant quid ſit agendum. In qua Congregatione, præſidebit antiquior Definitor in Profeſſione. Ipſe tamen Prouincialis electus non intrabit cum prædictis Patribus ad Conſilium, & quidquid ipſi definierint, videlicet, vel quòd maneat electus, vel quòd procedatur ad aliam electionem, pro rato habeatur, & inuiolabiliter obſeruetur vſque quo ad Reuerendiſſimum mittatur decretum, & factus ſit certior de omnibus, & eius reſponſum habeatur.*

13 Prius Diffinitores, quam Prouincialis, eligantur. Mediolani 1622. *Ad inſtantiam Prouinciæ concedimus, vt Priores Conuentuum ſint triennales, & in Capitulo Prouinciali prius eligantur Difinitores, quam Prouincialis.*

14 Ad Generalia Studia, qui Artium curſum non perfecerint, nequaquam mittantur. Mediolani 1622. *Statuimus ne mittantur ad Studia Generalia, qui non perfecerint curſum Artium, & inceperint Studia Theologica.*

15 Singulis 4. Ferijs de S. Hyacintho habeatur officium ex decreto Mediolanen. Capituli 1622. *Concedimus, vt in hac Prouincia feria 4. vacante fiat Officium de S. Hyacintho, excepto Conuentu Leopolienſi S. Mariæ Magdalenæ, in quo de S. Thoma eadem feria 4. non impedita debet officium perſolui.* Hoc autem dicitur quia ad illum Conuentum ex conceſſione Vlyſſiponenſis Capituli Generale Prouinciæ Studium fuerat, ex Corporis Chriſti principaliori eiuſdem Ciuitatis Cœnobio, tranſlatum, quòd tamen poſtea præteritis annis ad Priorem Conuentum (vt audiuimus) tranſijt. *Vide infra num. 25.*

16 Aſſignationes pro Studijs Generalibus aliarum Prouinciarum Reuerendiſſimo Magiſtro Ord. fuere demandatæ. Vlyſſiponę 1618. *Remittimus P. Reuerendiſſimo aſſignationes pro Studijs Generalibus extra dictam Prouinciam, ad tollendam occaſionem vagationum.*

17 Locorum Vicarij in ſuis muneribus non permaneant vltra tempus à Conſtitutionibus taxatum. Vlyſſiponę 1618. *Itemque declaramus, vt Priores, & Vicarij locorum iuxta conſuetudinem durent in officio, non tamen vltra tempus præſcriptum in noſtris Conſtitutionibus.*

18 Nullus in Prædicatorem Generalem aſſumatur, qui iuxta noſtrarum tenorem Conſtitutionum requiſita non habeat. Vlyſſiponæ 1618. *Statuimus, vt nullus inſtituatur Prædicator Generalis, niſi ſeruatis ijs omnibus, & ſingulis, quę à noſtris Conſtitutionibus præſcribuntur.*

19 Prouincialis Socius in eo Conuentu, ex quo fuit aſſumptus, remanet aſſignatus. Vlyſſiponæ 1618. *Declaramus quod Socius Prouincialis pro tempore, dum tali fungitur officio, intelligitur aſſignatus in eo Conuentu ſuæ aſſignationis, ex quo fuit aſſumptus.*

20 P. Prouinciali, niſi actualiter Conuentus viſitet, ab eiſdem contributiones non ſoluantur. Vlyſſiponæ 1618. *Declaramus quòd P. Prouinciali non ſoluantur contributiones, niſi*

actua-

actualiter, & perſonaliter viſitauerit Conuentus.

21 Tertiarij poſt vnum Religionis annum ad Conuerſorum habitum, & deinde alio euoluto anno, ad profeſſionem ex Vlyſſiponenſis 1618. Capituli indulto poſſunt promoueri. *Concedimus ad petitionem Prouinciæ, vt Tertiarij poſt vnum annum Religionis, ad habitum Conuerſorum admitti, & anno vno probationis peracto profeſſionem emittere poſſint.*

22 Baccalaurei à propriæ promotionis die locum conſequuntur Bononiæ 1618. *Declaramus Baccalaureos iuxta ordinationes praecedentium Capitulorum Generalium locum tenere debere à die promotionis eorum.*

23 Lectoribus in Cathedra Leopolienſi conciones habentibus, tale munus pro graduum conſequutione illis adſcribatur. Bononiæ 1615. *Quoniam eadem ratio Prouinciæ Ruſſiæ nobis habenda videtur, ſicut & Prouinciæ Poloniæ circa Lectores ſufficienter in Theologia eruditos, quibus prædicationis munus committi ſolet; ideo concedimus Prouinciæ Ruſſiæ, vt Lectoribus Theologiæ, qui in Cathedra Leopolienſi conciones habent, aut habituri ſunt, præmia litteralia graduum ſecundum formã pro Prouincia Poloniæ, in præſenti Capitulo præſcriptam concedantur.* Quid autem conceſſum fuerit Poloniæ Prouinciæ in dicto Bononienſi Capit. retulimus ſupra Pro Prou. Poloniæ num. 20.

24 Actuales Regentes in Priores aſſumi non poſſunt ex Bononienſis 1615. decreto. *Ordinamus iuxta aliorum Capitulorum Generalium præſcriptas leges, vt nullus Regens actu officium ſuum exercens in Priorem eligi, & electus confirmari poſſit, & valeat.*

25 Dum Congregationis titulum conſequeretur hæc Prouincia, Studium Generale in Leopolienſi Conuentu inſtitutum, fuit in hunc modum Romæ 1608. approbatum. *Approbamus, & acceptamus Studium Generale in Conuentu Leopolienſi inſtitutum: volumuſque & ordinamus, vt Studentes formales eiuſdem Studij gaudeant priuilegijs almi Studij Bononienſis.*

PRO PROVINCIA PARISIENSI. XXXXII.

CVm bellorum incommodo, hominumque malitia à Galliæ Prouincijs Regularis Obſeruantia fuiſſet eliminata, P. F. Thomas de Vio Ord. Magiſter ex Summi Pontificis Leonis X. decreto, atque ad Franciſci Chriſtianiſſimi Regis petitionem, Gallicanam illam celebrem Congregationem inſtituit, ab Apoſtolica Sede, Magiſtris Ord. Generalibuſque Capitulis tot priuilegijs ditatam, in qua religioſæ vitæ nitor longo annorum decurſu mirum in modum floruit, ex quo factum eſt, vt plurima, imo principaliora, totius Galliæ Regni ſibi ſubegiſſet Cœnobia. Fuit autem in Generali Romano Capitulo ann. MDXVIII. celebrato in hunc modum accept. 5. acceptata. *Item acceptamus, & approbamus Congregationem Gallicanam factam à Reuerendiſs. olim Generali Magiſtro de Vio, nunc Cardinali S. Sixti, ex mandato Summi Pontificis, ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Regis Franciæ, reformationemque Conuentuum Cenomanen. et Lugdunen. & vnionem eorum ad dictam Congregationem.*

Cum verò huius Congregationis Vicarius, & alij Fratres eandem in Prouinciam erigendam à Patribus Pariſienſis Capituli anni 1611. petijſſent, voti compotes fuere effecti, dummodò pallentem regularem obſeruantiam in priſtinum vigorem reſtituerent, priuilegijſque, quibus exemptionem à Magiſtro Ordinis, Capituliſque Generalibus prætendere poſſent, renunciarent. Ita enim in prædicti Capituli Actis commiſſione vltima dicitur. *Committimus eidem Reuerendiſſimo* (erat Magiſter Ord. P. F. Auguſtinus Galaminus) *ad inſtantem petitionem R. P. Vicarij Generalis noſtræ Congregationis Gallicanæ, & aliorum grauiorum Patrum eiuſdem, vt extincto nomine Congregationis, eandem erigat in Prouinciam, cum omnibus gratijs, & priuilegijs, quibus cæteræ Ordinis Prouinciæ gaudent, ſub titulo S. Ludouici Regis Franciæ, dummodo expreſsè renuncient omnibus indultis, & priuilegijs, quibus exemptionem ab obedientia Magiſtri Ord. & Capitulorum Generalium poſſent quoquo modo prætendere; & dummodo reformationem ſibi à Reuerendiſs. Magiſtro Ord. præſcribendam recipiant.*

Non fuit anteam executioni mandata huius nouæ Prouinciæ inſtitutio vſque ad P. Magiſtri Ordinis F. Thomæ Turci tempora, qui in Galliæ viſitatione eandem anno MDCXXXXVI. ſtabiliuit, fuitque in Generali Valentino Capitulo ſequenti anno celebrato

in

in hunc modum confirmata. *Approbamus erectionem Congregationis Gallicanæ in Prouinciam ſub terminis in decreto Reuerendiſs. P. Magiſtri Generalis, dato die 27. Septemb. in actuali viſitationis celebratione contententis, & inſtitutionem R. Ad. P. Magiſtri Antonij Mallet antea Vicarij Generalis in Prouincialem, volumuſque, vt eius Prouincialatus, ſicut & Succeſſorum eius, ad quadriennium extendatur, vt in alijs Galliæ Prouincijs obſeruatur.* Et in dicto Capitulo Ordinationes omnes pro eadem Prouincia ab Ordinis Generali Magiſtro fuere ita confirmatæ. *Approbamus ſimiliter ordinationes factas per Reuerendiſs. P. Magiſtrū Ord. pro bono regimine Conuentus Pariſienſis S. Iacobi, & Conuentuū præfatæ Prouinciæ, volumuſque vt teſtimonia ſufficientiæ eorum, qui pro aulica reſponderint, ad Reuerendiſs. P. Generalem tranſmittantur, aliàs ad curſum Theologicum non poterunt promoueri.*

Cum huius Prouinciæ nobilis, ſaniorque pars ſit Britannica Congregatio, ipſius inſtitutio nullum, *eiuſdem* Congregationis Priuilegijs, præiudicium inferre debet ex Valentini Capituli 1647. decreto, quod tale eſt. *Strictiorem Conſtitutionum, noſtrarum obſeruantiam, quæ in Conuentibus Britanniæ, Prouinciæ Pariſienſis introducta fuit, conſeruare, & augere cupientes, præſenti ſtatuto confirmamus omnia priuilegia, quæ per Reuerendiſſimum P. Generalem, & anteceſſores eius Congregationi huic Britanniæ præfatæ Prouinciæ Pariſienſis fuere conceſſa, & confirmata, ſub cura tamen, & moderamine P. Prouincialis Pariſienſis, iuxta decretum Reuerendiſſimi Sicci; ita vt per erectionem Congrationis Gallicanæ in Prouinciam Pariſienſem nullum priuilegijs huiuſmodi iam conceſſis, & confirmatis, præiudicium afferatur, & per eorundem priuilegiorum conceſſionem, & confirmationem ſeparatio à cura P. Prouincialis non prætendatur.*

In Prouincialibus Capitulis vnus ad minus Diffinitor *ex* Britannicæ Congregationis Patribus ex decreto Generaliſſimi Capituli Romani 1644. eligatur, quod cum alijs ordinationibus, atque priuilegijs eidem Congregationi à Magiſtris Ordinis FF. Seraphino Sicco, Nicolao Ropulphio, & Thoma Turco, Vincentio Candido Vicario Ordinis, atq; Franciſco Galaſino conceſſis, in nouiſſimo Romano Capitulo 1650. fuit confirmatum, prout referemus, cum de Britannica Congregatione tractabimus.

Cœtera, quæ ad eandem Britannicam Congregationem ſpectant, cum de ipſa tractabimus, referemus.

PRO PROVINCIA LITHVANIAE. XXXXIII.

MAgni Lithuaniæ Ducatus Conuentus annuente Prouincia Poloniæ in Generaliſſimo Romano Capitulo anno MDCXXXXIV. celebrato à Poloniæ Prouincia euulſi, in peculiarem fuere Congregationem coadunati. Ita enim in eiuſdem Actis emicat. *Finem vltimum litibus, quæ hucuſque inter Nationem Lithuanam, & Prouinciam Poloniæ agitatæ ſunt, imponere cupientes, accedente etiam ſpontanea conceſſione ipſius met Prouinciæ Poloniæ, quæ toti iuri ſuo quoad Conuentus Nationis Lithuaniæ ſe habere prætendebat, ſponte ceſſit; concedimus Patribus noſtri Prædicatorum Ordinis ſub Magno Ducatu Lithuaniæ natis, & degentibus, vt ſuam Congregationem ſeparatam, & independentem à Prouincia, & Prouincialibus Prouinciæ Poloniæ, cum ſuo Vicario Generali, itidem à Prouincia, & Prouincialibus Poloniæ independente habere poſſint, quam eorum Congregationem præſenti ſtatuto noſtro à Prouincia Poloniæ in perpetuum ſeparamus, ſicque ſeparatam erigimus, & inſtituimus, ſeparatamque, erectam, & inſtitutam eſſe declaramus, & denunciamus, ſub titulo Congregationis Lithuaniæ S. Angeli Cuſtodis, cum omnibus gratijs, & priuilegijs quibus eiuſmodi in noſtro Ordine Congregationes gaudere ſolent, ac debent. Cui & paternam noſtram benedictionem impartimur in Domino.*

Infraſcripti autem Conuentus eidem Congregationi fuere addicti in eodem Capitulo. *Applicamus ei omnes illos Conuentus, & loca, quæ pro nunc habere ſe dicit, videlicet, Vilnenſem S. Spiritus, Seinenſem, Merecenſem, Derecenſem, Oſtrouicenſem, Gradnenſem, Alteaulenſem, Caunenſem, Roſſienenſem, Calnarienenſem, Vierzbolouienſem, Vilnenſem SS. Apoſtolorum Philippi, & Iacobi. Vt autem nullatenus Conuentus Prouinciarum Poloniæ, & Ruſſiæ prætendant, eoſque per viam ſecularium, ac alios quoſcunque modos habere contendant, ſed ſe ipſos in-*

Digitized by Google

tra limites Magni Ducatus Lithuanię contineant, & dilatent, antiquos limites Prouincię Polonię, & Ruſſię per Capitula Generalia, & Sedem Apoſtolicam approbatos in nullo alterando, ac attingendo, in virtute Spiritus S. & S. Obedientię, nec non ſub formali pręcepto, & pœna excommunicationis latę ſententię, ipſo facto incurrenda, aliiſque pœnis arbitrariis prohibemus, & mandamus. Hortantes eos, vt prędicationi Verbi Dei, augmento Fidei Catholicę, & Religionis Sanctę, cuius prętextu hanc diſmembrationem petierunt, viriliter & Zeloſè inſiſtant, populumque ſchiſmate, & hęreſi infectum ad ouile Chriſti pro viribus reducere ſatagant.

Dum autem ſolo Congregationis titulo hęc prouincia polleret, ſequentes pro eadem in dicto Generaliſſimo Romano Capitulo 1644. emanauere ordinationes.

1 Generale Studium pro hac Prouincia, eidem in Vilnenſi conuentu fuit conceſſum. Romę 1644. *Erigimus pro dicta Congregatione Lithuanię S. Angeli Cuſtodis Generale Studium in Regali Conuentu Vilnenſi S. Spiritus ad normam, & inſtar Studij Bononienſis in noſtro Ordine cum omnibus iuribus, & priuilegiis, quibus prędictum Studium Bononienſe gaudet.*

2 Singulis ſecundis ferijs celebretur officium de S. Angelo Cuſtode, ex Romani Capituli 1644. conceſſione. *Concedimus iſti Congregationi, vt poſſit ſingulis feriis ſecundis non impeditis recitare officium de S. Angelo Cuſtode ad eum modum, quo feriis tertiis recitatur de S. Dominico P. N. eiuſque feſtum ſuo tempore cum Octaua ſolemni celebrare.*

3 Maius ſigillum cum Imagine S. P. Dominici de Suriano, minus verò S. Angeli Cuſtodis ſit, ex decreto eiuſdem Romani Capit. 1644. *Concedimus eidem Congregationi, vt maius ſigillum ſub Imagine S. P. N. Dominici de Suriano, & Sanctis in eius tabula expreſſis, minus verò, ſub Imagine S. Angeli Cuſtodis habeat.*

4 Caunenſis Conuentus ex eiuſdem Romani Capituli 1644. conceſſione ſingulis quintis ferijs, & per Octauam Corporis Chriſti in propria Eccleſia proceſſionem habere poteſt. *Concedimus Conuentui Caunenſi prędictę Congregationis vt ſingulis feriis v. proceſſionem cum venerabili Sacramento in ſua Eccleſia poſſit facere, & Feſtum SS. Roſarij cum expoſitione SS. Sacramenti, & proceſſionem intra propriam Eccleſiam per totam Octauam celebrare.*

5 Tandem in ſequenti Valentino Capitulo anno MDC.XXXXVII. congregatio in Prouinciam ſub S. Angeli Cuſtodis nomine dato hoc decreto fuit creata. *Petitionibus, ac inſtantiis iterato, ac iterato porrectis nomine Congregationis noſtrę Lithuanię, decernimus eam erigendam eſſe in Prouinciam ſub nomine Prouincię S. Angeli Cuſtodis, eamque de facto ſic erigimus, & inſtituimus, cum omnibus gratiis, & priuilegiis, quibus reliquę Prouincię frui conſueuerunt.*

6 Ad remouendas autem omnes, quę ex huius Prouinciæ inſtitutione ſuboriri poſſent difficultates, ſequens ex eodem Capitulo emanauit decretum. *Quoniam tamen ratione huius erectionis inſurgere poſſent nouę lites circa limites Prouincię prę fatę ſic erectę, & Ruſſię, & Polonię Prouinciarum, vt in futurum, tam antiquis, quam nouis litibus pręcludatur aditus, confirmamus omnia, quę de his limitibus ſtatuta ſunt in Capitulo Romano 1644. omnino prohibentes, ne aliquid circa huiuſmodi limites immutetur, & mandantes in virtute Spiritus S. & S. Obedientię ſub formali pręcepto, nec non ſub pœna priuationis vocis actiuę, & paſſiuę ipſo facto incurrendis, omnibus Fratribus noſtri Ord. & inſuper P. Prouinciali pro tempore eiuſdem Prouincię Lithuanię S. Angeli Cuſtodis ſub pœna abſolutionis ab officio, & priuationis vtriuſque vocis in Capitulo Generali ipſo facto, & incurrenda, tam Prouinciali, quàm Diffinitoribus in prę ſenti decreto, & ſtatuti in præfato Capitulo Romano 1644. directè, vel indirectè, per ſe, vel per alium quocumque modo ſe opponere audeant.*

7 In Prouinciali Capitulo imprimendi Fratrum Opuſcula licentia concedi poteſt ex Valentini Capituli 1647. indulto. *Concedimus, vt in Capitulo Prouinciali poſſit concedi licentia imprimendi opuſcula Fratrum, tam latini, quam vulgaris ſermonis, ſalua ſemper confirmatione tertia prę ſentis Capituli* (quam in Indice primę partis retulimus §. Libri Imprimendi) *& in ea ordinatis, & ſeruatis aliàs ſeruandis.*

8 Studentium Magiſtri in Prouincialibus Capitulis deſignentur. Valentię 1647. *Concedimus, vt in Capitulis Prouincialibus Magiſtri Studentium deſignari poſſint, dummodo Reuerendiſſimus deſuper moneatur.*

9 Miſſionarij munus nullus ſubeat abſque Magiſtri Ord. licentia. Valentię 1647. *Inhibemus ſub pœnis grauioris culpę vt nullus Fratrum noſtrorum in partibus Lithuanię, & Samogetię Miſſionarij munus accipiat ſine licentia Magiſtri Ordinis.*

10 Prouincialis pro tempore de diſcretorum conſilio poteſt noua Loca recipere ex Romani Capituli 1650. conceſſione. *Pro eiuſdem Prouincię in Magno Ducatu Lithuanię amplificatione concedimus P. Prouinciali pro tempore quòd de conſilio diſcretorum, & ſeruatis ſeruandis alia inſuper idonea Loca, ſicubi offeruntur, valeat acceptare.*

11 Prouinciale Capitulum Sabbato ante ſecundam Dominicam poſt Octauam SS. Trinitatis habeatur. Romæ 1650. *Ordinamus quòd in hac Prouincia deinceps Capitulum Prouinciale ſemper celebretur Sabbato imme-*

dia-

diato ante ſecundam Dominicam poſt Octauas SS. Trinitatis.

12 Electus Prouincialis ſtatim Prouinciam, tanquam Generalis Vicarius, regat. Romæ 1650. *Declaramus quod in hac Prouincia, ſicut in reliquis noſtris Prouincijs Vltramontanis Prouincialis electus ſtatim ab electione ſua incboet regimen ſuæ Prouinciæ, ſub titulo tamen Viſarij Generalis dumtaxat, donec ſua electio confirmetur, vel caſſetur.*

13 Fugitiui huius Prouinciæ Fratres nullibi recipiantur. Romæ 1650. *Mandamus diſtrictè ſub pœnis in Conſtitutionibus, & alibi expreſſis, quod Fratres de hac Prouincia aliò fugientes nuſpiam aliter, quam in carceribus recipiantur; ſicque per quindenam adminus caſtigati, rectà iterum ad ſuam Prouinciam rectè iterum ad ſuam Prouinciam redire cogantur.*

14 Prouincialis Socius, Prioris titulo gaudet ex Romani 1650. Capituli conceſſione. *Cum in Pruſſia Conuentus noſter Regiomontanus à multis iam annis ſit in hæreticorum ciuium manu, ac detentione, concedimus quod interim Socius P. Prouincialis pro tempore gaudeat titulo huius Prioratus.*

PRO PROV. S. MARIAE DE CANDELARIA. XXXIV.

AD Bethicæ Prouinciam huius Conuentus ſpectauere, qui ab eiuſdem Prouincialis Vicario regebantur. In Generaliſſimo autem Romano Capitulo 1644. ex eiſdem peculiaris quædam Congregatio à Bethica Prouincia ſeiuncta fuit inſtituta dato ſequentis tenoris decreto. *Erigimus Vicariam noſtram Conarienſem in Congregationem, ſeparando eam, & eximendo à regimine, & iuriſdictione Prouinciæ noſtræ Bethicæ, quam volumus immediatè ſubiacere Reuerendiſs. Magiſtro Generali; concedimuſque huius Congregationis Fratribus ius eligendi Vicarium ex filijs ſuæ Nationis iuxta formam ab eodem Reuerendiſſimo* (ſcilicet P.F. Thoma Turco) *præſcribendam*. Quod fuit in ſubſequenti Valentino Capilulo 1647. in hunc modum confirmatum. *Confirmamus erectionem Vicariæ noſtræ Canarienſis in Congregationem factam in Capitulo Generaliſſimo Romæ 1644. ſeparatam à regimine, & iuriſdictione Prouinciæ Bethiæ, & immediatè ſubiectam Reuerendiſs. Magiſtro Generali; prohibentes pro bono pacis omnibus, & ſingulis dictæ Congregationis Patribus, ac Fratribus in virtute Spiritus S. & S. Obedientia ſub formali præcepto, ne vllus quouis colore, & prætextu attentet, vel procuret facta contradicere, ſed in vinculo charitatis, ac mutuæ dilectionis permanentes, Deo, qui charitas eſt, deuotè ſeruire ſtudeant.* Et ibidem immediatè ita ſubditur. *Confirmamus, & inuiolabiliter obſeruari volumus omnia, quæ conceſſa & ordinata ſunt, tam à prædicto Capitulo Generaliſſimo, quam à Reuerendiſs. P. N. Magiſtro Generali pro bono regimine dictæ Congregationis, tam quoad conceſſiones, et approbationes, quam quoad ordinationes, earum tenorem hic pro expreſſo habentes, &c.*

1 In eodem Romano Capitulo 1644. fuit eidem duorum Magiſtrorum, & ſex Præſentatorum numerus conceſſus. *Concedimus iſti Congregationi, vt ſemper deinceps habeat duo Magiſteria, & ſex Præſentaturas, quarum tres prouideantur titulo lectionis, & tres titulo prædicationis.* Romæ verò 1650. conceſſum fuit, vt Magiſtri ſint ſex, quorum tres titulo lectionis, alij verò prædicationis titulo eſſent, & Præſentati octo, quorum medietas prædicationis, altera verò lectionis titulo promoueretur. *Concedimus, & decernimus quod in hac Prouincia loca Magiſtrorum ſint ſex, tria videlicet titulo lectionis, et totidem titulo prędicationis; Item loca Pręſentatorum ſint octo; nimirum quatuor titulo Lectionis, reliqua pro titulo prædicationis; ordinantes quod in poſtulationibus graduum titulo prædicationis præferantur illi, qui per aliquos annos offiſium Lectoris Caſuum conſcientiæ exercuerunt.*

2 Fugitiui Fratres ſtabilitis pœnis puniantur. Valentiæ 1647. *Ordinamus vt Fratres huius Congregationis filij ad aliàs Congregationes, vel Prouincias fugientes, pœnis à noſtris legibus ſtabilitis puniantur, & ab Ad. RR. PP. tam Prouinsialibus, quam Viſarijs Generalibus illarum ad quas confugiunt, ad ſuam Congregationem ſtatim remittantur; Prioribus verò, aut locorum Pręſidentibus ſub pœna abſolutionis ab officio mandamus, ne Fratres ſine licentia aduentantes, aliter, quod in carceribus recipiant.*

3 Generale Studium in Conuentu S. Dominici Lacunenſis fuit conſtitutum. Valentiæ 1647. *Confirmamus Studium Generale Conuentus noſtri S. Dominici Lacunenſis cum omnibus*

gratijs, & priuilegijs cæterorum Studiorum Generalium huiuſmodi noſtri Ordinis iuxta Conſtitutiones, & Acta.

4 Promouendi ad gradus ex Prouinciæ petitione aſſumantur. Valentiæ 1647. *Ordinamus, & diſtrictè prohibemus, vt nullus impoſterum ad quotlibet gradus promoueatur, neque ad Prædicaturas Generales, aliter quam ad Congregationis petitionem factam in Capitulo electionis Vicarij* (modo eſt Prouincialis) *Congregationis per R. Ad. P. Vicarium Congregationis, & PP. Diffinitores.*

5 Prouincialis pro tempore gaudet facultate fundandi nouos Conuentus, ex conceſſione Valentini Capituli 1647. *Vt autem Fides Catholica, & propagatio noſtra Religionis amplificetur concedimus facultatem R. Ad. P. Vicario Generali* (modo eſt Prouincialis) *pro tempore fundandi de nouo Monaſteria, tam Fratrum, quam Monialium, & acceptandi quæcunque loca adhuc effectum magis idonea, ſeruatis ſeruandis.*

6 Anno autem reparatæ Salutis MDCL. in Prouincia fuit erecta in Generali Capitulo Romæ celebrato, hoc ſancito decreto. *Erigimus noſtram Congregationem Inſularum Canariarum in Prouinciam ſub nomine, ac titulo S. Mariæ de Candelaria.*

7 Vt Dominica *Deus qui errantibus* haberetur Prouinciale electionis Capitulum, decretum fuerat Valentiæ 1647. dum adhuc Congregationis titulum obtineret hæc Prouincia; veruntamen poſtea Romæ 1650. vt Sabbato ante Dominicam Pentecoſtes celebretur ſancitum eſt hoc modo. *Ordinamus quod in hac Prouincia Capitulum Prouinciale ſemper celebretur Sabbato ante Dominicam Pentecoſtes.*

8 Prouincialis electus ab antiquiori Diffinitore confirmetur: ita ſequitur in præfata ſupradicti Romani Capituli ordinatione. *Elector antiquior eiuſdem Capituli Diffinitor ex nomine Reuerendiſs. Magiſtri Ord. (modo quo id in iſta Prouincia fiebat dum adhuc erat Congregatio) confirmet.*

9 In electionis Prouincialis Capitulo eligatur Diffinitor, & Socius; Capitulumque intermedium omittatur. Ita in ſupradicti Rom. Capituli ordinatione eadē ſubditur. *In eodem verò Capitulo electionis ſemper etiam eligatur Diffinitor, & Socius, vt enormes ſumptus, & incommoda Vocalium euitentur. Ex eadem ratione, necnon attenta maxima Inſularum, atque Conuentuum diſtantia concedimus, quod Capitulum intermedium poſſit omitti.*

10 Ad Salmantinum Studium duo Studentes mittantur ex conceſſione Romani Capituli 1650. *Confirmamus huic Prouinciæ facultatem à Reuerendiſs. P. F. Thoma Turco ſibi conceſſam mittendi binos ex ſuis Studiorum cauſa ad Conuentum noſtrum Salmantinum.*

11 Non niſi in Conuentu S. Dominici de Laguna, vel coram P. Prouinciale approbati exponantur pro ſacris prędicationibus, & confeſſionibus. Romæ 1650. *Ordinamus quod nullus exponatur ad publice concionandum, vel ad ſecularium confeſſiones audiendas, niſi approbatus in Conuentu S. Dominici de Laguna, vel coram ipſomet P. Prouinciali ſi fuerit in alijs Inſulis. Idem quoque Prouincialis in ſuis Viſitationibus omnes Confeſſarios teneatur examinare.*

12 Superiores inuigilent ne Moniales noſtræ cum Confeſſarijs extraneis communicationem habeant. Romæ 1650. *Statuimus quòd Prouincialis inuigilet ne Sorores noſtri Ord. internam communicationem habeant cum confeſſarijs extra Ordinem ſub prætextu cuiuſcunque Paternitatis ſpiritualis.*

13 Pro Studentium ſuſtentatione Conuentui S. Dominici de Laguna ceteri Conuentus contribuant. Romæ 1650. *Volumus quod Conuentui S. Dominici de Laguna, velut qui præ cæteris pondus Generalis Studij ſuſtinet, ſinguli alij Conuentus annuatim perſoluant contributionem in hac Prouincia iam taxatam.*

PRO PROVINCIIS INDIARVM.

QVia ex Generalibus Capitulis quædam communes pro omnibus Occidentalium Indiarum Prouincijs emanauere leges, præter eas, quæ pro ſingulis retulimus, proprium locum eiſdem hic conſtituere congruum iudicamus.

1 Procuratores pro negotijs in Hiſpania, Romanaque Curia pertractandis inſtituendi à Capitulis Prouincialibus eligantur. Romæ 1589. ord. 20. *Ordinamus pro noſtris Prouincijs Indiarum, vt Procuratores nullatenus ab illis pro negotijs tractandis mitti poſſint in Hiſpaniam, vel ad Vrbem Romanam, niſi à Capitulo Prouinciali vnà cum Diffinitoribus (cauſa cognita) inſtituantur; vel ſi aliqua ſpecialis neceſſitas expoſtulauerit, vt extra Capitulum aliquando id fiat, ſaltem à Patre Prouinciali ſimul cum quatuor antiquioribus Prouinciæ Patribus (qui in Capitulo Prouinciali*

tio-

vocem habere ſolent) deputentur, deferantque ſecum huiuſmodi Procuratores teſtimoniales litteras, non ſolum à Prouinciali, verum etiam à Diffinitoribus, vel à prędictis Patribus ſimul congregatis ſubſcriptas, necnon & in ſcripturis authenticis negotiorum pertractandorum cauſam pro quibus deſtinati fuerint; vltra quæ negotia nihil aliud eis liceat procurare, vel attentare: Committentes, nonnon & præcipientes Adm. RR. PP. Prouincialibus noſtrarum Prouinciarum Hiſpaniarum, & RR. PP. Prioribus Conuentuum eorundem (pręſertim verò noſtri Conuentus S. Marię de Atboca Matriti, & S. Pauli Hiſpalenſis) vt aliter inſtitutos Procuratores, & litteras patentes (vt pręfertur) non ſolum à Prouinciali, verum, & à Diffinitoribus in Capitulo Prouinciali, vel extra Capitulum in caſu neceſſitatis à quatuor antiquioribus Prouincię Patribus ſubſcriptas, & cauſam negotiorum in ſcripturis authenticis minimè habentes, nullatenus admittant, vel aliqua negotia pertractare permittant, ſed ad ſuas Prouincias quam citius redire compellant.

Prouinciales durante proprio munere à ſuis Prouincijs non recedant, ſub pœna abſolutionis ab officijs. Venetijs 1592. *Ordinamus, & ordinando pręcipimus PP. Prouincialibus Indiarum ſub pœna abſolutionis à ſuis officijs, ipſo facto incurrenda, & ſub omnibus pœnis grauioris culpę, ne audeant Prouincialatus officio durante à ſuis Prouincijs reſpectiuè quauis de cauſa recedere, cum plurima inde damna ſubſequi conſpiciantur.*

In Capitulo autem Vallisoletano 1605. plures aliæ emanauere ordinationes, & ſunt ſequentes. *Ordinamus in Prouincijs Indiarum & in primis mandamus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ ſub formali præcepto omnibus Fratribus curam Indorum habentibus, quos Doctrinantes vocant, ne permittant quaſcumque mulieres ingredi domus ſuas: quod ſi neceſſe fuerit illas alloqui, id in Eccleſia, & publice ſolum fiat.*

Item ordinamus ſub pœnis proprietarijs debitis, ne Fratres ludant cartis, tabulis, neque perinolis, nummos, vel pecunias, maxime in præſentia ſecularium.

Item mandamus ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio per tres menſes RR. Ad. PP. Prouincialibus ne in illis partibus, in quibus Doctrinantes ſoli commorari conſueuerunt, quemquam minoris ætatis quam quadraginta annorum in Doctrina Indorum permanere, vel habitare permittant.

Item mandamus in virtute Spiritus Sancti, et Sanctæ Obedientiæ, ſub formali præcepto omnibus RR. Ad. PP. Prouincialibus, Prioribus, & alijs quibuſcunque, ad quos quoquomodo pertinere poterit, vt ſingulis annis dimidium Synodorum (quos dicunt) inueſtiant & expendant ad cenſus perpetuos emendos, vel poſſeſſiones, ad ſuſtentationem Conuentuum, prout melius iudicauerint expedire. Alteram autem dimidiam partem expendant in ædificatione, & fabrica Conuentuum magis indigentium.

Mandamus, quòd Patres Definitores Capituli Prouincialis proxime celebrandi, cum alijs quatuor Patribus antiquioribus eiuſdem Capituli aſſignent, & taxent, iuxta neceſſitatem illarum Regionum, contributiones Prouincialibus neceſſarias, vt ſe ſuſtentare valeant, ea moderatione, qua decet Religioſos, & maxime Prælatos, qui paupertatis, & bonorum omnium exemplum ſe præbere tenentur; declarantes, & volentes, quòd eleemoſynæ, quæ à Maieſtate Regia quot annis dantur pro vino ad celebrationem Miſſarum, & oleo pro lampadibus, ad Conuentus omnino pertineant pro quibus dantur, & in eorum neceſſitatibus expendantur: ſicut nos quoque ita fieri, & non aliter, mandamus.

Quia radix omnium malorum eſt cupiditas, quam radicitus è Fratrum noſtrorum cordibus euellere cupimus, mandamus, & præcipimus omnibus Fratribus, qui Doctrinis Indorum, & Aethiopum quoquo pacto inſeruiunt, in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, & ſub præcepto formali, necnon ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, hac vna pro trina canonica admonitione præmiſſa, ne quis ipſorum audeat ſub quouis prætextu, per ſe, vel per alium, aut alios, directe, vel indirecte mercaturam facere, nec ad hunc finem aliquid emere, vel vendere, præter proprio victui, vel veſtitui neceſſaria, præciſe, & non aliter: ſtatuentes, & declarantes ſub eodem præcepto, & pœna, quòd ex redditibus, & oblationibus Fratribus in talibus Doctrinis occupatis tantum dentur victui, & veſtitui neceſſaria (de quibus habeant librum rationis, quam & reddere teneantur ſuis particularibus Prælatis) & etiam ad emendum libros, quę omnia eam menſuram, metamque ſuſcipiant, quam ſibi pręfiniet vniuſcuiuſque proprius Prælatus. Reliquum autem Regię prouiſionis, vel oblationum, quod ſuperrerit, totum inſtruendę fabricę Conuentuum, & emendis cenſibus pręſenti hac noſtra ſanctione applicamus, & applicatum eſſe decernimus, & determinamus, iuxta piiſſimam mentem ſacrę Catholicę Regię Maieſtatis: auferentes omnem auctoritatem à RR. Ad. PP. Prouincialibus, & omnibus alijs Conuentuum Prælatis pro tempore exiſtentibus, concedendi licentiam Fratribus quibuſuis ad habendam in depoſito magnam nummorum quantitatem, vel aliter quàm in hoc Capitulo ordinatum eſt.

Mandamus inſuper in eiſdem Prouincijs, vt nullo pacto duo carnales Fratres ſibi inuicem ſuccedant in Prioratibus, tam Prouincialibus, quàm Conuentualibus: quod ſi oppoſitum fiat, electio ſit nulla, & irrita, ſicut de facto irritam, & nullam decernimus & declaramus.

Interdictum ſit eiſdem Prouincialibus mittere Fratres ſuos carnales Procuratores in Hiſpaniam, vel Definitores Capitulorum Generalium, ir-

irritam, & nullam decernentes talem Fratrum electionem, ſi contra hanc noſtram ordinationem fiat.

Mandamus omnibus Prouincialibus, eorum conſcientiam aggrauantes in diem Chriſti, vt in tempore ſuorum Prouincialatuum bis ad minus ſuos viſitent Conuentus.

In ſequenti verò Romano Capitulo 1608. ſequentes quoque leges ſancitæ fuere. *Confirmamus omnes ordinationes factas in Capitulo Generali Valliſoletano proxime præterito pro Prouincijs Indiarum: illis dumtaxat exceptis, in quibus diſpenſatum eſt ſingulariter pro aliquibus Prouincijs in hoc præſenti Capitulo Generali, ob rationabiles cauſas.*

Ordinamus, quòd Fratres, qui à ſuis Superioribus peculiariter mittuntur in aliquam Prouinciam Noui Orbis, nullo pacto detineri, aut commorari poſſint in alijs Indiarum, præter illam ad quam ſingulariter mittuntur. Volumuſque vt omnes eiuſmodi Fratres, qui omiſſa Prouincia, ad quam deſtinati fuere, in alijs morantur, ſi non fuerint, vel legitime incorporati in Prouinciam, vel aſſignati à Reuerendiſſimo Magiſtro Ordinis, vel à Præſidente Prouinciæ, ſeu ab habente aſſignandi poteſtatem, eyciantur quamprimum à Prouincia: ne vagari eos indecore, & parum religioſe contingat per Prouincias. Sic tamen vt benigne, & charitatiue dimittantur, tempuſque vel nauigandi, vel iter agendi opportunum, & commodum eiſdem aſſignetur.

Declaramus, quòd Fratres ex Prouincijs *Hiſpaniarum translati, & incorporati in quibuſcumque Indiarum* Prouincijs, *poſſunt rite eligi in Diſſinitores Capituli* Prouincialis, *& Generalis. Quod Sanctiſs. D. N.* Paulus Papa *V. in hoc præſenti Capitulo, & impoſterum fieri poſſe conceſſit, & declarauit.*

Præcipimus, *vt Fratres qui cum licentia Magiſtri Ordinis, vel eius Vicarij, veniunt in Hiſpanias ad negotia pertractanda, negotijs peractis, reuertantur ad eandem* Prouinciam, *ex qua egreſſi ſunt, tamquam ad eandem pertinentes. Non obſtantibus in contrarium quibuſcumque. Fratres vero qui ſine licentia Superiorum legitimam poteſtatem habentium, ad aliquam* Prouinciam *Indiarum deuenerint, cogantur quamprimũ ad ſuas* Prouincias *reuerti: reddita prius ratione ſuorum officiorum, ſi quæ in* Prouincia *adminiſtrauerint.* Prælati *vero qui in expellendis huiuſmodi Fratribus inuenti fuerint negligentes, in pænam à ſuis Officijs abſoluantur.*

Declaramus, quod aliàs declaratum fuit, vt Conuentus qui exiſtunt apud Indos, qui non habent duodenarium numerum Fratrum, non poſſunt eligere Socios Priorum, *qui habent vocem in Capitulo* Prouinciali.

Denique Valentiæ 1647. hæ quoque ſequentes ſactæ fuere ordinationes. *Vt communi bono Prouinciarum, quæ ſunt in Indijs prouideamus, & abuſus introducti in præiudicium profectus prædicationis fidei, & inſtructionis Indorum tollantur; ordinamus, & ſub pœna grauioris culpæ ipſo facto incurrenda, & maximè ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & carceris, & ſub pœnis contra fugitiuos ſtatutis ipſo facto incurrendis, præcipimus omnibus, & ſingulis, qui expenſis Regijs ad aliquam Prouinciam Indiarum mittuntur, vt quo miſſi fuerint, vadant, mandantes PP. Prouincialibus, & Prioribus aliarum Prouinciarum, & Conuentuum ſub pœna abſolutionis ab officio, ipſo facto incurrenda, ne eos retineant, ſed ad loca ſuarum miſſionum ire compellant: Et nihilominus irritum decernentes, ſi quid in contrarium factum fuerit; decernimus, & declaramus omnes licentias, deputationes, & aſſignationes à quocunque datas cuicunque ex prædictis, pro Conuentu quocunque extra Prouinciam, ſeu partem, quam præfati miſſi fuerint, eſſe nullas, & irritas, ac proinde præfatos nullam habere poſſe vocem in aliqua electione, quæ fiet in Prouincijs ſeu Conuentibus, in quibus contra formam iſtius ordinationis detenti fuerint.*

Ordinamus, quòd ſi aliquis cum licentia, vel aſſignatione ad terminatum tempus iuerit ad aliquam Prouinciam Indiarum, completo termino in licentia, ſeu aſſignatione, aut deputatione expreſſo, omnino ſtatim redeat ad ſuam Prouinciam, & Conuentum, auferentes facultatem à Patribus Prouincialibus eum retinendi; & mandantes eiſdem Patribus Prouincialibus, & Prioribus ſub pœna abſolutionis ab officio, ipſo facto incurrenda, ne aliquem vltra terminum ſibi conceſſum retineant, ſed ad ſua redire faciant, irritum, & inane decernentes, ſi quid in contrarium factum fuerit, & declarantes aſſignationes datas cum determinato tempore, ſic eo tempore finito finiri, vt nec in vi illarum, nec aliarum, ſi dent (& quas dari prohibemus) ſic aſſignati, vocem in electionibus habere poſſint.

Ordinamus, & omnino inuiolabiliter ſeruari volumus, vt nullus recipiatur in aliquo Conuentu Indiarum, niſi ad carceres, qui ſine legitima licentia acceſſerit, innouantes ſuper hoc, quæ in noſtro Ordine contra itinerantes ſine licentia ſtatuta ſunt, & mandantes Conuentuum Præſidentibus ſub pœna abſolutionis ab officio, ipſo facto incurrenda, ne aliquem ſine licentia venientem recipiant, niſi ad carceres, & ordinantes ſub eadem pœna Patribus Prouincialibus, vt præfatos ſine licentia venientes pœnis ſtatutis puniant, & peracta pœnitentia redire ad ſua compellant, & ab eiſdem Patribus Prouincialibus auferentes facultatem aliter operandi, irritum, & nullum, vt ſupra decernentes, ſi quiſquam ex prædictis contra formam præſentis ſtatuti retentus fuerit.

Attendentes inconuenientia, quæ oriuntur ex eo quòd indiſcriminatim quicumq; admittuntur ad habitum, præcipuè mixtici, & mulati, ordina-

mus,

mus, vt nulla Prouincia, Indiarum iſtis meſticis, aut mulatis concedi poſſit, irritam, & nullam decernentes receptionem, tam ad habitum, quam ad profeſſionem, ſi aliquis contra formam huius decreti fuerit receptus. Quòd ſic intelligendum volumus, vt ex meſticis non poſſit quis recipi intra quartum gradum ex mulatis autem nullus abſolutè, quacumque alia Ordinatione, ſeu licentia data, cæteriſque quibuſcunque in contrarium non obſtantibus.

Vt facilitas exuendi Fratres habitu Religionis, quæ in aliquibus Prouincijs irrepſit, auferatur, reuocamus ad memoriam, & ſimul diſtrictè mandamus omnibus Patribus Prouincialibus, & Diffinitoribus Capitulorum Prouincialium, vt in hoc ſeruent formam à fælicis recordationis Vrbano Papa VIII. ſtatutam, ſub pœnis in Bulla Pontificis contentis.

Ne Fratribus pro cuiuſque arbitrio liber pateat aditus recedendi à Prouincijs Indiarum, & veniendi ad Hiſpanias, confirmamus ordinationem Capituli Valentiæ 1596. & Romæ 1601. ac propterea in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, necnon ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac vna pro trina canonica admonitione præmiſſa, mandamus omnibus, & ſingulis Fratribus in dictis Prouincijs exiſtentibus, ne ab ipſis ſine Magiſtri Ordinis ſpeciali licentia diſcedere, ſub quouis prætextu, vel colore, Procuratoribus verò, ne vltra vnum Socium ſibi à Diffinitorio conſignatum, quemlibet alium ſecum ducere præſumant; Prouincialibus denique, ne vel permittant, vel licentiam aliquam ad hunc effectum Fratribus concedant, ſiquidem nec poſſunt, & quatenus opus eſſet, talem ab eis auferimus facultatem, & ſimul etiam à Diffinitorio Capituli Prouincialis. Præter autem excommunicationem latæ ſententiæ, quam incurrent contrafacientes, reſpectiuè dabunt, & pœnas omnes in Capitulo grauioris culpæ contentas. Verumtamen ad temerarios (ſi qui erunt) compeſcendos RR.PP. Prioribus pro tempore Conuentuum S. Pauli Hiſpalenſis, S. Dominici de S. Lucar de Barrameda, & S. Dominici Vlyſſiponenſis, per præſentes mandamus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, necnon ſub pœna abſolutionis ab eorum officijs, vt vbi nauigia ab Indiarum partibus ad præfatarum Ciuitatum portus reſpectiuè appulerint, omni cum diligentia perquirant, an Fratres aliqui cum eiſdem venerint, quinam, quotque ſint; & ſi repererint, qua licentia id egerint: quòd ſi non fuerint Procuratores à Prouincijs legitimè inſtituti, vel Reuerendiſs. P. Generalis licentiam non habuerint, omnino in carceres illos conijciant, & omnia eorundem bona ſequeſtrent, præmiſſoque examine præfatam cenſuram, ac pœnas ipſos incurriſſe declarent noſtra authoritate, quas, & ſubire cogant, nec liberos illos dimittant, niſi præmonito Magiſtro Ordinis, vel eius Vicario, & per alterius reſcriptum intellexerint, quid de illis agendum ſit. Porrò Admodum Reuerendis Patribus Prouincialibus, Hiſpaniarum, & Reuerendis Patribus Prioribus, ac Præſidentibus Conuentuum earumdem Prouinciarum, ſub eadem virtute, & præcepto, & pœna abſolutionis à ſuis officijs mandamus, ne vllum Fratrem à præfatis Indijs venientem ſine approbatione ſuarum licentiarum ab vno ex tribus Patribus Prioribus prænominatis Sancti Pauli Hiſpalenſis, Sancti Dominici Vlyſſiponenſis, & S. Dominici de San Lucar de Barrameda, habita, & oſtenſa, in ſuis Prouincijs, Conuentibus, aut locis reſpectiuè recipere, aut detinere audeant, in pœnas alioquin taxatas omnino incurſuri.

Romæ tandem 1650. hæc fuere mandata. Ordinamus pro Prouincijs Indiarum; & earum Prouincialibus, quicumque fuerint pro tempore, præcipimus in Virtute Spiritus Sancti, & ſub S. Obedientiæ formali præcepto, necnon ſub pœna priuationis vtriuſque vocis, graduum, Officiorum, & gratiarum Ordinis, perpetuæque inhabilitatis tum ad hæc, tum ad cuiuſcumque Doctrinæ adminiſtrationem, ſiue per ſe, ſiue per alium obeundam, & ſub alijs pœnis nobis arbitrarijs, quatenus detractis dumtaxat illis Contributionibus, quas vocant expenſas prouinciæ, ceduntque in ordinarios, ac neceſſarios vſus Prouincialium, item illis quæ dari debent Diffinitori adeunti Curiam Regiam in Europa, & denique illis, quas ſingulæ prouinciæ quotannis tenentur pendere Officio Magiſtri Ordinis, & Procuratoris Generalis, reliquas omnes pecunias, ſiue à Conuentibus, ſiue à doctrinis, aut aliunde quoquomodo titulo ſui Officij recipiendas, teneantur cum conſenſu, & maiori votorum parte Conſilij pleni ordinarij (ac non aliter) applicare ad cenſum annuum ſtabilem, ac perpetuum, auferentes ab iiſdem Prouincialibus, & Conſilio poteſtatem alienandi, vel diminuendi, aut alio diſtrahendi quidquam, ſiue de ſummis capitalibus, ſiue de earum annuis fructibus, ſeu cenſibus, quos ſub eadem diſtrictione præcepti, ac pœnarum volumus, ac iubemus ſeruata eadem ſupraſcripta forma quotannis applicari ad nouos, nouoſque cenſus perpetuos. Quod ſi contingat non extare in Prouincia tot Magiſtros, ſiue Patres Prouinciæ, quot exiguntur ad integrandum Conſilium plenum, intrabunt ſeruato profeſſionis ordine Lectores Theologiæ, & Regentes ſecundarij quoad conſeſſus duodenarius compleatur, ad hunc effectum conſultandi, & ſuffragandi in negotio ſupradictæ applicationis, tam cenſuum, quàm ſummarum capitalium.

Denique pro aſſecuranda huius Ordinationis accuratiſſima obſeruantia mandamus ſub eodem rigore vt ſupra, tum Prouincialibus, vt finito Officio exactiſſimam rationem reddant Diffinitoribus proximi Capituli Prouincialis de huiuſmodi applicationibus fideliter, & ex præſcripta norma per ſuum quadriennium peractis, tum ipſiſmet Diffinitoribus, vt eaſdem rationes à Prouincialibus officio defungentibus accipiant, examinent, iudicent, ac de tota rei ſerie quid quantumque

toto

Digitized by Google

toto illo quadriennio realiter ad cenſus ordine ſupradicto applicatum fuerit Magiſtrum Ord, autenticè informent. Nolumus autem aduerſus hanc ſaluberrimam ordinationem, & ſpecialiter circa alienationem, diminutionem, vel diſtractionem ſummarum applicatarum, ſiue applicandarum valere vllum cuiuſcunque tituli, coloris, aut nominis prætextum, aut obtentum cuiuslibet melioris boni, vel communis neceſſitatis, cum his aliunde conſuli poſſit. Meminerint autem tum Prouinciales, tum Diffinitores, & pleni Conſilij Vocales ne in ſupradictis, aut eorum qualicumque minimo puncto quidquam negligant, diſſimulent, omittant, vel præuaricentur, quàm ſerio cupiunt euitare mortalem Dei offenſam, & pœnas ſupra taxatas.

PRO CONGREGATIONIBVS ORDINIS.

PRæter ſupradictas Prouincias ſunt in Ordine noſtro Congregationes, quarum aliquæ ſunt ab ipſis Prouincijs ſeparatæ, atque ſub proprio Vicario conſtitutæ, quædam verò ſunt cum eiſdem Prouincijs vnitæ. De illis, quę in Prouincias fuere erectę, iam copioſum habuimus ſermonem in pręcedentibus, de alijs verò, quę Congregationis titulo in pręſenti gaudent in Ordine, erit ſermo in ſubſequentibus.

Pro Congregat. Raguſina.

ANtiqua eſt in Ordine hęc Congregatio cuius habetur memoria in Regeſto Vicarij Generalis, & Procuratoris Ord. F. Stephani de Bellandinis Florentini in abſentia ab Italia Magiſtri Ord. F. Io: de Fenario inſtituti, in hunc modum. *Congregatio Raguſina habuit confirmationem gratiarum conceſſarum à præteritis Magiſtris Ord. Bononiæ 3. Octobris 1532.*

Eiuſdem habetur quoque mentio in Actis Romani Capituli 1553. in declarat. 6. his verbis. *Declaramus in Congregationibus Franciæ, & Raguſina reuocatam eſſe, prout & auctoritate S. D. N. Pauli Papæ IV. reuocamus, facultatem, quam habent, vel habere ſe dicunt quod earum Vicarij Generales electi, intelligantur etiam & ſint confirmati. Volumuſque quod eorum confirmationem expectent à Reuerendiſſimo Mag. Ord. vel eius auctoritatem habente, antequam Vicarius electus fungatur officio ſuo. Oppoſitum autem facientes, pro non Vicarijs habeantur.*

1 Huius Congregationis Vicarius, Generalis Vicarij titulum obtinet, vt ex ſequenti ordinatione in Generali Capitulo Mediolanen. 1622. emanata, apparet. *Si aliquando celebrandum ſit Capitulum in hac Congregatione, eo caſu Vicarius Generalis non poſſit inſtituere Suppriorem illius Conuentus, in quo huiuſmodi celebratio erit habenda, nec facere Vicarios locorum ſine conſilio Patrum, qui ſi forte in eandem ſententiam non conuenerint, poſſit eos tunc Vicarius inſtituere.*

2 Studiorum cauſa Nouitij extra Congregationem non mittantur. Mediolani 1622. *Nouitij non mittantur extra Congregationem cauſa Studiorum, quin prius curſum Philoſophiæ peregerint, & S. Theologiæ ſtudere inceperint.*

3 Qui Theologiam non audierint, non concionentur, Mediolani 1622. *Nulli permittatur concionari niſi curſum Philoſophiæ, & per triennium S. Theologiam, iuxta Conſtitutiones noſtras audierit.*

4 Promouendi ad Ordines, profeſſiones, confeſſiones ſuſcipiendas, & conciones habendas à ſimul congregatis examinatoribus examinentur, Mediolani 1622. *Qui admittetur ad habitum, profeſſiones, ſacros Ordines, vel ad audiendas confeſſiones, aut conciones habendas, examinentur ab examinatoribus ſimul congregatis, facta prius approbatione de vita & moribus; & quoad recipiendos, de honeſtate familiæ; & omnia fiant per vota ſecreta.*

5 Qui nominantur à PP. Congregationis pro gradibus conſequendis ad Magiſtrum Ord. pro examine ſubeundo tenentur accedere. Mediolani 1622. *Fratres aptiores, & antiquiores, qui nominati fuerint à PP. Congregationis ad gradus obtinendos accedant ad Reuerendiſſimum Magiſtrum Ordinis medio examine de-*

lit-

literarum ſufficientia periculum facturi.

6 Apoſtolicę Conſtitutiones de non alienandis Conuentuum bonis, ad vnguem obſeruentur. Mediolani 1622. *Seruentur omnino Conſtitutiones Apoſtolicæ de non alienandis bonis, & de Contractibus ad determinatum tempus faciendi iuxta eaſdem Conſtitutiones Apoſtolicas.*

7 Inquieti, & diſcoli ex Congregatione carceribus puniantur. Romę 1629. *Ordinamus, vt Fratres inquieti, & ſeditioſi carcerali cuſtodia mancipentur, nec inde extrahantur niſi per Reuerendiſſ. Magiſtrum Ord. vel Capitulum Generale, at Congregationis conſilio prius de morum eorundem mutatione.*

Pro
Congregatione Indiarum Orientalium.

ORientalium Indiarum Congregatio ad Portugalliæ Prouinciam ſpectat, cuius inſtitutio in Generali Salmantino Capitulo 1551. accept. vlt. fuit in hunc modum approbata. *Item acceptamus nouam Congregationem in Indijs Sereniſſ. Regis Portugalliæ cum Conuentu iam in ea ab ipſo Sereniſſ. Rege ædificato, quem cum alijs erigendis, eſſe volumus ſub obedientia R. Prouincialis Portugalliæ quouſque ipſa Congregatio in Prouinciam erigatur.* Romę autem 1644. commiſſ.3. commiſſum fuit Magiſtro Ord. P.F. Thomæ Turco, vt illam in Prouinciam, ſi id congruum iudicaret, erigeret. *Attentis grauiſſimis, omnique probabilitatis argumento pleniſſimis rationibus, concedimus quantum in nobis eſt, vt Congregatio noſtra S. Crucis Indiarum Orientalium erigatur in Prouinciam.* Quòd tamen neque ab eodem Magiſtro Ord. neque à moderno Reuerendiſſimo P.F. Io: Baptiſta de Marinis, neque à ſubſequentibus Capitulis fuit exequutioni mandatum.

Pro huius igitur Congregationis conſeruatione hęc fuere in Generalibus Capitulis ordinata.

1 Huius Congregationis Fratres extra eam exiſtentes, actiua, paſſiuaque voce in electionibus Prouinciæ Portugalliæ ſunt priuati ex ſequenti decreto Romani Capituli 1650. *Ordinamus, quòd Fratres noſtri filij Congregationis Indiæ Orientalis intra vnius anni ſpatium ad dictam Congregationem ſe transferant: eos verò, qui in hoc non paruerint ex nunc priuamus voce actiua, & paſſiua in electionibus Prouinciæ Portugalliæ, idque volumus perpetuo obſeruari.*

2 Vt duo ſint Magiſtri in hac Congregatione, qui cum Præſentatis ad eandem ſpectantibus in illa permanere debeant, mandatum fuit Romæ 1601. ord. 38. ſicut ſupra Pro Prouincia Portugalliæ num. 1. retulimus. Romę autem 1629. Præſentatorum numerus ad quaternarium fuit extenſus. *Extendimus auctoritate Apoſtolica numerum Præſentatorum huius Congregationis ad quatuor.*

3 Vicarij Nationum auctoritas vſque ad publicationem Prouincialis Capituli prorogetur. Romę 1629. *Concedimus huic Congregationi, vt Vicarij Nationum auctoritas prorogetur vſque ad publicationem Capituli Prouincialis.*

4 Nullus in Indijs Orientalibus natus ad Ordinem recipiatur. Bononiæ 1615. *Vide Pro Prou. Portugalliæ num. 18.* Pariſijs autem 1611. idem fuit de Meſticis ordinatum. *Ordinamus quòd in eadem Congregatione Indiarum Orientalium nullus ex Meſtis, ſeu Meſticis (vt vocant) recipi poſſit ad habitum, vel profeſſionem; irritum declarantes, & nullum, ſi quid impoſterum in contrarium fiat.*

5 Solum illi Vicarij Congregationis locũ conſequantur completo tempore, qui à Prouincia fuerint inſtituti. Pariſijs 1611. *Ordinamus quod in Congregatione Indiarum Orientalium illi ſolum Vicarij Congregationis habeant locum expleto tempore, qui à Prouincia inſtituti fuerint, & qui ſuum quadriennium expleuerint.*

6 Prędicator Generalis nullus inſtituatur pro hac Congregatione, niſi in eadem iuxta noſtrarum Conſtitutionum tenorem prędicauerit. Romę 1608. *Ordinamus quòd nullus Prędicator Generalis inſtituatur deinceps pro Congregatione Indiæ Orientalis, niſi ex illis, qui in eadem Congregatione in prædicatione Euangelij ſecundum noſtras Conſtitutiones laborarunt, vt aliàs iam ordinatum fuit ab Illuſtriſſ. D. Card. Xauierto tunc Reuerendiſſ. Magiſtro Ord.*

Pro
Congregatione S. Mariæ Sanitatis.

S. Marię Sanitatis de Neapoli Congregatio, auctoritate Apoſtolica Clementis VIII. P. M. à Prouincia Regni fuit euulſa, cuius Patres in Prouincialibus Capitulis pręfatę Prouincię votum habere decreuit, prout denunciatum fuit Romę 1601. in declarat. 10. *Declaramus ex mandato Sanctiſſ. D. N. Clementis VIII. Fratres Reformatos Neapolitanos* (ſcil.

Congregationis Sanitatis, quæ tunc fuerat à Prouincia Regni auulſa) *vel quoſcumque alios ſimilem viuendi normam impoſterum ſectaturos, ad eaſdem Prouincias pertinere, ad quas ante Reformationem ſpectabant, & habere vota in Capitulis Prouincialibus, & Generalibus ſicut alij Fratres earundem Prouinciarum reſpectiuè, licet Prouincialibus non ſint ſubiecti, ſed ſuis tantùm Superioribus, ſicut hi Reuerendiſſ. P. Generali.* In Romano autem Capitulo 1629. iniunctum fuit Magiſtro Ord. P. F. Nicolao Rodulphio, vt Vocalium huius Congregationis, qui ad Prouincialia Prouinciæ Regni Capitula accedere deberent, numerum præfiniret: *Item* (ſcil. iniungimus Reuerendiſſimo Mag. Ord.) *vt Fratribus Congregationis S. Mariæ Sanitatis huic Prouinciæ annexis in participatione electionum, quæ in Capitulo Prouinciali huius Prouinciæ fieri ſolent, modum aliquem æquiorem imponat.* Cum autem præfatus Magiſter Ord. id non præſtiterit, ex Generaliſſimo Romano Capitulo 1644. ſequens decretum promanauit. *Vt mutua dilectio, & concordia inter Fratres huius Prouinciæ, & Congregationis S. Mariæ Sanitatis eidem annexæ, conſeruetur, vitetùrque diſcordia, quæ inter eos oriebatur ob Vocales in magno numero, qui ad Capitula Prouincialia ipſius accedebant, inhærentes decreto Capituli Generalis Romæ celebrati 1629. vt in hac re aliquis æquior modus imponeretur, auditiſque partibus, & præſertim conſentiente A. R. P. Mag. F. Reginaldo Balſamo Procuratore dictæ Congregationis, ordinamus, vt in electionibus, quæ in Capitulo Prouinciali huius Prouinciæ fieri ſolent, ex ipſis PP. Congregationis non habeant impoſterum votum niſi tantum Vicarius ipſius Congregationis pro tempore, Priores Conuentuum S. Mariæ Sanitatis, & S. Spiritus de Neapoli pro tempore abſque Socijs, ſex Magiſtri in Theologia, & tres Prædicatores Generales, inchoata ſerie, tam in Magiſtris, quàm in Prædicatoribus ſecundum ordinem antiquitatis, & poſt antiquiores in vno Capitulo admiſſos, admittendo ſucceſſiuè, & per ordinem alios in alijs Capitulis, ita vt numerum duodenarium non excedant, reliquis verò Prioribus eiuſdem Congregationis in meritum S. Obedientiæ, & ſub pœnis Reuerendiſſ. P. Generali reſeruatis præcipimus, ne vllo modo ad ferenda vota in Capitulis Prouincialibus huius Prouinciæ, & alijs actionibus ad illam pertinentibus accedere, & ſe intromittere præſumant.*

Pro regulari igitur obſeruantia in hac Congregatione confirmanda, ſequentes ex Generalibus Capitulis emanauere leges.

1 Biennalis ſit huius Congregationis Vicarius. Romæ 1608. *Declaramus quòd Vicarius Congregationis Sanitatis in noſtra Prouincia Regni non niſi per biennium duret.*

2 Licet Congregationum Vicarij terminato proprio munere locum ſuper alios Fratres conſequantur, vt in prima parte De Vicarijs Congregat. num. 3. diximus, tamen pro hac Congregatione hoc ſpeciale emanauit decretum Romæ 1629. *Ordinamus, & omnino prohibemus cuicumque Patri huius Congregationis, qui Vicarius Generalis eiuſdem fuerit, ne impoſterum completo ſuo officio alio loco altiori, quam ſuæ profeſſionis, vel gradus, ſi illum habuerit, frui, aut potiri audeat, ſub pœna priuationis vtriuſque vocis, quacumque conſuetudine in contrarium non obſtante.*

3 Magiſtrorum numerus ſit duodenarius. Romæ 1629. *Ordinamus, vt impoſterum numerus Magiſtrorum huius Congregationis ſit tantùm duodenarius, Lectorum verò actualium ternarius, excludendo Moderatores in Conuentibus Sanitatis, & S. Spiritus: In Conuentibus verò Venuſij, & Argentij, binarius; in cæteris verò Conuentibus vnicus tantum ſit Lector. Quòd ſi ſecus factum fuerit, Lectores talem numerum excedentes, à ſequela Chori non ſint exempti, nec vllis priuilegijs gaudeant.*

4 A Miſſa Maiori, & Completorio Studentes non ſunt exempti. Romæ 1629. *Statuimus in Conuentu Sanitatis numerum Studentium denarium, in Conuentu S. Spiritus, octonarium. Hi verò Studentes ſint à choro diebus ferialibus pro medietate diſpenſati, nunquam tamen à Miſſa Maiori, & Completorio.*

5 Studium formale in Conuentu S. Mariæ Sanitatis fuerat inſtitutum cum omnibus gratijs, & priuilegijs Ordinis. Romæ 1644. Verumtamen in alio Romano Capitulo 1650. fuit ad Montis Dei Conuentum ſequenti decreto translatum. *Mandamus quòd Studium Generale omninò transferatur a Conuentu S. Mariæ Sanitatis ad Conuentum Montis Dei de Neapoli pro feliciori tutela, & profectu, tum obſeruantiæ, tum Studiorum, erigentes dictum Conuentum in Collegium præfatæ Congregationis, cum omnibus iuribus, & priuilegijs, quibus huiuſmodi Collegia potiri ſolent.*

6 Qui gubernationi Monialium S. Catharinæ de Senis præeſt, Prioris titulo gaudet. Romæ 1644. *Item* (ſcilicet concedimus) *quòd ille Pater, qui præeſt eius gubernationi* (hoc eſt Monaſterij S. Catharinæ de Senis) *titulo Prioris gaudeat.*

7 Ad Magiſterium Studentium nullus promoueatur qui per quatuor annos non legerit. Romæ 1644. *Ordinamus, vt nullus poſſit in Magiſtrum Studentium promoueri, niſi legerit per quatuor annos, quorum vnus ad minus ſit S. Theologiæ.*

8 Ad Baccalaureatum nullus promoueatur, niſi fuerit Studentium Magiſter: ita in præfata Capituli Romani 1644. ordinatione ſubditur. *Nullus poſſit promoueri ad officium Baccalaureatus ordinariè, niſi prius fuerit Magiſter Studentium.* Vide etiam infra num. 16.

Ad

9 Ad Magiſterij Gradum nullus aſſumatur, niſi pro gradu, & forma per biennium ſaltem in Studio Generali legerit. Ita in eodem Capit. & ordinat. ſubditur. *Nec tandem ad gradum Magiſterij* (ſcilicet aliquis promoueatur) *niſi legerit in præfato Studio Generali pro gradu, & forma, ſaltem per biennium, & vt Regens præfati Studij ſit Magiſter, ad quæ munera aſſumantur ſecundum ordinem iuſtitiæ diſtributiuæ.*

10 Baccalaureus, & Studentium Magiſter de conſilio P.P. Magiſtrorum eligantur. Romæ 1644. *Ordinamus, vt Magiſter Studentium, & Baccalaureus Ordinarius fiant per conſilium RR. PP. Magiſtrorum à Reuerendiſſ. P. Generali ad hoc deputandorum.*

11 Nullus Baccalaureus, præter Ordinarios, locum habeat. Romæ 1644. *Ordinamus vt impoſterum nullus Baccalaureus in hac Congregatione, prætextu ſui Baccalaureatus alium locum teneat, quam ſuæ profeſſionis, niſi realiter, & veraciter officium Baccalaureatus Ordinarij in aliquo Studio Generali exercuerit.*

12 Senarius ſit Studentium huius Congregationis, & quaternarius extraneorum numerus. Romæ 1644. *Ordinamus, vt Studentes Formales in hac Congregatione ſint numero ſex eiuſdem Congregationis ſecundum Ordinem ſuæ profeſſionis præmiſſo examine, alijſque ſeruatis ſeruandis, iuxta noſtras Conſtitutiones, ex quibus vnus poſſit aſſignari ad arbitrium R.P. Vicarij Congregationis pro tempore, numerus verò extraneorum quaternarium non excedat. Præfati autem Studentes immunitatibus, & exemptionibus gaudeant pro medietate in vna hebdomada, & pro medietate in alia.*

13 Ad Theologiæ curſum legendum non admittantur qui Philoſophicum curſum docendo non compleuerint. Romæ 1644. *Ordinamus, vt impoſterum nullus admittatur ad Lecturam Theologiæ, niſi integrum Artium curſum, ſaltem per triennium prælegerit.*

14 Secularium lectura in Beneuentano Conuentu computetur Lectoribus ac ſi Fratrum Lectores extitiſſent. Romæ 1644. *Ordinamus, vt lectura S. Theologiæ, ac Philoſophiæ, quę in Conuentu S. Dominici de Beneuento ſecularibus à noſtris Fratribus fieri ſolet, pro rata habeatur, perinde, ac ſi Fratribus eſſet facta.*

15 Generalis Studij Regens, quando eſt Magiſter ſupra numerum, aut actualiter tale munus exercet, locum ſupra Ordinarium Baccalaureum conſequitur. Romę 1644. *Ordinamus, vt Regens huius Studij S. Mariæ Sanitatis* (modo translatum eſt ad Montem Dei) *quando eſt Magiſter extra numerum, aut actualiter hoc munere fungitur, locum habeat ſupra Baccalaureum Ordinarium, expleto verò munere Regentatus, habeat locum ſicut alij Baccalaurei Ordinarij.*

16 Magiſtri Studentium biennales, Regentes verò, & Baccalaurei triennales ſint. Romæ 1650. *Volumus quòd nullus poſſit fieri Magiſter Studentium, niſi integro quadriennio prius alicubi Theologiam prælegerit. Officium vero Magiſtri Studentium biennio finiatur: Baccalaureus autem ordinarius, & Regens Studij (qui ſemper debeat eſſe ex Magiſtris) legant per triennium, ne numerus Graduatorum ſupra modum excreſcat.*

17 Tres tantùm Baccalaurei loco gaudeant. Romæ 1650. *Ordinamus quòd impoſterum nullus inſtituatur Baccalaureus de ſolo titulo, ſed illi tantum hoc nomine gaudeant, qui munus Baccalaurei Ordinarij in prædicto, vel alio Studio Generali exercuerunt.*

18 Titulares Baccalaurei non inſtituantur. Romæ 1650. *Ordinamus quòd impoſterum nullus inſtituatur Baccalaureus de ſolo titulo, ſed illi tantum hoc nomine gaudeant, qui munus Baccalaurei Ordinarij in prædicto, vel alio Studio Generali exercuerunt.*

19 Conuentuum Præſidentes curabunt, vt SS. Roſarij Sodalitates in ſuis Eccleſijs inſtitutæ ſe in omnibus Societati S. Marię Sanitatis conforment. Romæ 1650. *Strictiſſimè iniungimus, ac mandamus Prioribus, atque Præſidentibus Conuentuum, vt omnino curent quatenus Sodolitates SS. Roſarij illic erectæ ſe conforment Sodalitati erectæ in Conuentu Sanitatis iuxta normam à P. Magiſtro F. Calixto de Miſauello conſcriptam, pluries impreſſam, atque à Reuerendiſſimis Magiſtris Ord. acceptatam, & approbatam.*

Pro
Congreg. Sardiniæ.

Sardiniæ Conuentus in Generali Bononienſi Capitulo MDC.XV. ab Argonię Prouincia fuere auulſi, atque in peculiarem Congregationem erecti, ſequenti ſancito decreto. *Ad petitionem Prouinciæ Aragoniæ, & PP. ac F. F. Inſulæ Sardiniæ, ſeparamus à dicta Prouincia noſtra Aragoniæ Conuentus noſtros prædictæ Inſulæ, & præficimus illis in Vicarium R. P. F. Bartholomæum Pala Prædicatorem General. quem, & ipſos Conuentus ſoli Reuerendiſſ. Magiſtro Ord. immediatè ſubijci debere decernimus, cuius beneplacito relinquimus tempus, & modum huius ſeparationis:*

In ſequenti autem Vlyſſiponenſi Capitulo anni 1618. mandatum fuit, vt circa huius Congregationis ſtatum nihil innouaretur. *Statuimus quòd nihil circa ſtatum huius*

Digitized by Google

Congregationis innouetur, quoadvſque Deo auſpice numerus Conuentuum, & Fratrum augeatur, qui quando fuerit competens, titulo, & priuilegijs Prouinciæ cumulari poterit. Interim eligātur ad officia qui habiles, & ſufficientes fuerint, & precipue filij ipſius Congregationis, qui debitis qualitatibus ſint ſuffulti.

1 Stante neceſſitate, Regens, & Prior ſimul poteſt aliquis eſſe. Vlyſſiponæ 1618. *Ad inſtantiam Congregationis concedimus, vt vrgente graui neceſſitate Regentes Studiorum poſſint aliquando eligi in Priores, ſimul in officio Regentis permanentes, dummodo huiuſmodi officia ſe inuicem compatiantur.*

2 In Generali autem Romano Capitulo 1629. Magiſtro Ord. P.F. Nicolao Rodulphio conceſſum fuit, vt hanc Congregationem in Prouinciam erigere poſſet. *Committimus Reuerendiſs. P. Magiſtro Ord. vt poſſit erigere in Prouinciam hanc Congregationem, dummodo id expediens ab ipſo iudicetur:* Quod tamen non fuit executioni donatum.

3 Nouitij in S. Martini Conuentu ad habitum poſſunt recipi. Romæ 1644. *Concedimus prælibato S. Martini Conuentui, vt deinceps in eo recipi poſſint Nouitij ſicut à principio, in eoque regularis vigeat obſeruantia.*

4 Collegium SS. Trinitatis Ciuitatis Eccleſiarum à P. Rectore gubernetur. Romæ 1644. *Concedimus Collegio SS. Trinitatis Ciuitatis Eccleſiarum, vt deinceps Rectoris nomine gaudeat.*

5 Statuta circa duos Conuentus Ciuitatis Saceris facta obſeruentur, ex Romani Capituli 1650. decreto. *Volumus inuiolabiliter obſeruari ſtatuta P. Mag. F. Io: Mariæ Caſtelli de Morbinio Viſitatoris circa duos Conuentus Ciuitatis Saceris, tanquam legibus Ordinis conformia, & à Reuerendiſs. P. Turco approbata.*

Pro Congreg. S. Ludouici.

CVm Occitana Prouincia Regularem Obſeruantiam perdidiſſet, Congregatio vitæ regularis, à P. F. Sebaſtiano Michaelis inſtituta, petente Henrico IV. Apoſtolica auctoritate à Magiſtro Ord. P. F. Auguſtino Galamino ſub Congregationis Occitanæ nomine fuit inſtituta, in Pariſieſi Capitulo 1611. poſtmodum acceptata, vt ſupra Pro Prouincia Occitana retulimus; vbi poſt prædictam ordinationem error irrepſit dum ita ſubditur. *Hæc autem Congregatio fuit poſtea in Prouinciam Pariſienſem erecta:* debet enim dicere. *Hæc autem Congregatio fuit poſtea in Congregationem S. Ludouici erecta.* Nam Gallicana, & non Occitana Congregatio in Pariſienſem Prouinciam fuit inſtituta Romæ 1650. vt Pro Prou. Pariſienſi retulimus. Præfatæ autem Occitanæ Congregationis inſtitutio in ſubſequenti Romano Capitulo 1612. in hunc modum fuit confirmata. *Approbamus Congregationem Occitanam reformatam ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Card. de Aracœli tunc Magiſtro Generali Ord. ad inſtantiam, & petitionem Chriſtianiſſimi Regis Francorum, auctoritate Apoſtolica erectam, & inſtitutam & in Capitulo Pariſienſi confirmatam.* In Vlyſſiponen. verò Capitulo 1618. omnia Priuilegia illi conceſſa, in hunc modum eidem fuere confirmata. *Confirmamus omnia priuilegia, & gratias conceſſas in alijs Capitulis Generalibus ad fauorem Reformationis huius noſtræ Congregationis Occitanæ, quam plurimum commendamus ſuo Ad. R. P. Vicario Moderno.*

Ad inſtantiam autem Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIII. hæc Congregatio, Congregationis Occitanæ nomine relicto, S. Ludouici Congregatio in Romano Capitulo 1629. nuncupata eſt, ſequenti edito decreto. *Inſtante Chriſtianiſſimo Rege Ludouico XIII. ſtatuimus, vt poſthac perpetuis futuris temporibus Congregatio Occitana titulo, ac nomine Congregationis S. Ludouici inſignita ſit; eodemque in omnibus nominetur: atque ipſam, quatenus opus ſit, in poſſeſſione, ac iuriſdictione omnium Conuentuum ei hactenus vnitorum, & ſubiectorum auctoritate Apoſtolica confirmamus: Videlicet Toloſani, S. Maximini, S. Mariæ Annuntiatæ Pariſienſis, Burdegalenſis, Auenionenſis, Mompelienſis, Claremontenſis, Valentini, Bitterrenſis, Albienſis, Lemouicenſis, Nemauſenſis, Caſtrenſis, Montalbanenſis, Rupellenſis, S. Thomæ de Mynilgrenier, Tullenſis, & Bainuillæ, vt in ipſis, tanquam ad ſtrictiorem obſeruantiam deſtinatis, Conſtitutiones Ordinis ad vnguem obſeruentur; nec in eis fiat diſpenſatio aliqua in ieiunijs, & abſtinentijs, niſi ob actualem infirmitatem, vt ordinatum fuit in Capitulo Valliſoleti 1605.*

1 Pro hac igitur Congregatione conſeruanda ſequentia in eodem Generali Capitulo Romano 1629. fuere mandata.

Nullus in prædicatorē aſſumatur, qui per quatuor annos Theologiæ operā non dederit. *Ordinamus, vt nullus ad prædicationis officiū aſſumatur niſi per quatuor annos Theologicis ſtudijs operam dederit, et præuio rigoroſo examine approbatus fuerit. Idemque omnino obſeruari volumus in Confeſſarijs ſecularium inſtituendis, & admittendis.*

2 Curam ordinariam ſuſcipiendi Monialium confeſſiones, non aſſumant huius Congregationis Fratres ex ſupradicti Capituli decreto. *Ordinamus, vt huius Congregationis Fratres curam ordinariam audiendi confeſſionem*

nem Monialium nullo modo ſuſcipiant.

3 Conuerſi, etiam poſt duos annos à profeſſione, ſub Magiſtri cura ſint. Ex ſuprad. Capitulo Romano 1629. *Ordinamus vt Fratres Conuerſi, etiam poſt duos annos à profeſſione, Magiſtro ad id ſpecialiter deputato, in morum inſtitutione, Religionis obſeruantia, & correctione ſubſint.*

4 Congregationis Vicarius primo ſui regiminis anno Capitulum conuocare debet. Ita in præfato Capitulo ſubditur. *Concedimus eiuſdem Congregationis Vicario, vt in primo ſui Vicariatus anno, oportuno tempore conuocare poſſit Capitulum iuxta formam in Conſtitut. de Capit. Prouinciali præſcriptam, ad vniformitatem obſeruantia regularis, pietatis, ac ſtudiorum augumentum, paciſque, & charitatis mutuæ inter Fratres fomentum. Item ſtatuimus vt in dicto Capitulo Vicarius præcedens reddat rationem ſuæ adminiſtrationis coram P. Vicario ſucceſſore, ac Diffinitoribus. Item volumus, vt in eodem Capitulo fiant petitiones Congregationis pro Capitulo General i.*

4 Vicarius, vſque ad alterius Vicatij ſucceſſoris confirmationem perſeuerabit in ſuo munere. Ex eiuſdem Romani Capituli 1629. decreto. *Auctoritate Apoſtolica concedimus, vt non obſtante Conſtitut. Iulij II.* De triennali duratione Vicatiorum Congregationum, *Vicarius iſtius Congregationis in officio perſeueret, donec eius ſucceſſor a Magiſtro Ord. inſtitutus, & confirmatus fuerit, ac præſens in Congregatione extiterit. Quòd ſi ipſum intra ſuum triennium mori, vel amoueri contigerit, Prior illius Conuentus, in quo proximum Capitulum Congregationis deſignatum fuerat, ipſo facto vices eius plenariè gerat.*

6 Vicarius ſingulis annis ſuos Conuentus ſemel & Nouitios bis, viſitabit. Mediolani 1622. dum adhuc ſub Congregationis Occitaniæ nomine eſſet. *P. Vicarius Generalis pro tempore annuas Viſitationes ſingulorum Conuentuum per ſe metipſum, Nouitiatuum verò bis in anno, vel per ſe, vel per alium gerat.*

7 Cum verò Congregatio hæc in fauorem regularis obſeruantiæ plurimos hinc inde ſibi captaſſet Conuentus, & antiqua Toloſana Prouincia in Cœnobiorũ numero, & qualitate nimis defeciſſet, P. Magiſter Ord. F. Thomas Turcus in ſua Galliæ viſitatione ob Conuentuum, qui cis Ligerim erant, diſtantiã, eandem Congregationem diuiſit, relictis Toloſano Conuentu; & adiacentibus alijs pro noua Prouincia Toloſana Reformata, ſicut ſupra Pro Prouincia Toloſana num. 2. retulimus, reliquoſque Conuentus trans Ligerim pro eadem S. Ludouici Congregatione ſtabiliuit, quæ ſeparatio in ſequenti Valentino Capitulo 1647. fuit in hunc modum confirmata. *Confirmamus ſeparationem Conuentuum, qui ſunt trans Ligerim ab illis, qui ſunt cis Ligerim factam à Reuerendiſs.*

O:

P. Generali, & ſimul erectionem eorundem Conuentuum in Congregationem ſub nomine Congregationis S. Ludouici, & inſtitutionem P. F. Io: Baptiſtæ Guillielmi in Vicarium dictæ Congregationis prout in decreto talis ſeparationis, & erectionis, dato per præfatum Reuerendiſs. P. Generalem Toloſæ 1646. continetur; cum omnibus priuilegijs, & gratijs quibus antea Congregatio S. Ludouici fruebatur, decernentes, vt iuxta decretum in hoc Diffinitorio habitum de conſenſu P. Vicarij Generalis prædictæ Congregationis, & P. Prioris Pariſienſis, teneatur idem Conuentus Annuntiatæ Pariſienſis ratione Studij, vel negotiorum recipere, & alere ſine vlla penſione quinque Fratres Prouinciæ Toloſanæ.

Pro Congreg. Britanniæ.

PAriſienſis Prouinciæ nobile membrum eſt Britanniæ Armoricæ Congregatio, quæ ad Franciæ Prouinciam, atque Gallicanam Congregationem aliquando ſpectauit. Sub Magiſtro Ord. P. F. Seraphino Sicco ſua ſumpſit primordia opera P. F. Petri Iouauld Magiſtri Pariſienſis in Religioſiſſimo Redonenſi Conuentu, in quo ſemper morum grauitas; atque Regularis obſeruantia viguit ab anno M.D.XXVIII. quo Magiſter Ordinis P. F. Franciſcus Silueſter Ferrarienſis eandem in dicto Conuentu ſtabiliuit, in quo eodem quoque anno die 24. Septembris in manus D. F. Yuonis Mayeuc eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi, Viri ſanctiſſimi ex Ordine noſtro aſſumpti, humanæ naturæ debitum perſoluit, ibidem in Choro inferiori, & Cappella Ducum Britanniæ, ante Maius Altare, cum Magiſtralibus inſignibus tumulatus.

Præfatus igitur Magiſter Ord. Seraphinus Siccus eidem Congregationi Conuentus, Montis Relaxi, atque Vitriacenſem, de nouo erectum; copulauit. P. Mag. Ord. F. Nicolaus Rodulphius, Guingapenſem, Claramontanum in Aruernia. Dinanenſem; Nanetenſem, Credonenſem in Andegauia à fundamentis erectum, atque Venetenſem de nouo conſtructum adiunxit. Et Reuerendiſs. Ord. Magiſter noſter P. F. Io: Bapt. de Marinis Biſuntinum in Comitatu Burgundiæ, & Quimperleiæ in eadem Britannia Conuentus eidem Congregationi attribuit, vna cum Cœnobio B. Mariæ de Nazareth, quod incepit D. Catharina de Roſmadec Vidua D. Guidonis de Redux, Comitis de Chuſteanneuf, Baroniſſa de la Hudanaijs, & Moncaſtillant, in qua ditione fundatur dictu Conuen-

uentus. In S.Cappella de Nazareth autem requieſcit corpus præfatæ D.Comitiſſæ, donec erigatur Eccleſia, quam Illuſtriſs. DD.Ioanna de Rieux eius filia D.Io: Emanuel de Rieux coniuges Marchiones de Aſſerac, de Ordine noſtro optimè meriti, proſequuntur.

Cum autem Magiſter Ord. P.F.Thomas Turcus Gallicanam Congregationem, ad quam hęc Britanniæ ſpectabat, dum ſua viſitatione Galliam Luſtraret, in Pariſienſem Prouinciam erexiſſet, ſicut ſupra Pro Prou. Pariſienſi retulimus, fuiſſetque poſtmodum talis inſtitutio in ſubſequenti Valentino Capitulo 1647. confirmata, pro hac Britannica obſeruante Congregatione ſequens in eodem Capitulo emanauit decretum. *Strictiorem Conſtitutionum noſtrarum obſeruantiam, quæ in Conuentibus Britanniæ Prouinciæ Pariſienſis introducta fuit, conſeruare, & augere cupientes, præſenti ſtatuto confirmamus omnia priuilegia, quæ per Reuerendiſs. P.Generalem, & anteceſſores eius Congregationi huic Britanniæ præfatæ Prouinciæ Pariſienſis fuere conceſſa, & confirmata; ſub cura tamen, & moderamine P.Prouincialis Pariſienſis iuxta decretum Reuerendiſs. Sicci, ita vt per erectionem Congregationis Gallicanæ in Prouinciam Pariſienſem nullum priuilegijs huiuſmodi iam conceſſis, & confirmatis, præiudicium afferatur, & per eorundem priuilegiorum conceſſionem, & confirmationem, ſeparatio à cura P. Prouincialis non prætendatur.*

In ſubſequenti quoque Romano Capitulo anno 1650. celebrato priuilegia omnia eidem Congregationi à quibuſcunque Ordinis Superioribus conceſſa, in hunc modum fuere confirmata. *Confirmamus omnia, & ſingula priuilegia, conceſſiones, indulta, ſtatuta, ordinationes, præcepta cum omnibus ſuis clauſulis, & annexis pœnis, quæcumque à diuerſis noſtri Ordinis Magiſtris Generalibus, aut eorum Vices gerentibus a tempore Reuerendiſs. P. F. Seraphini Sicci bonæ memoriæ vſque in hunc diem pro tuenda, & amplificanda regulari diſciplina in fauorem Conuentuum rigidioris obſeruantiæ ſub proprio Vicario in hac Prouincia conſtitutorum emanarunt, hoc monito, quòd quæ illic habentur, aut quoquo enunciantur in Vicario Generali Congregationis Gallicanæ, deinceps intelligenda ſint de Prouinciali Pariſienſi, videlicet ex quo dicta Congregatio iam erecta fuit in Prouinciam. Proinde manent ac manebunt in ſuo perpetuæ firmitatis robore, tum ea, quæ præmemoratus Reuerendiſs. P.F.Stephanus Siccus pro Conuentibus regularis obſeruantiæ in Congregatione Britannica diuerſis vicibus conſtituerat (præſertim in litteris ſuis patentibus Romæ 6.Iulij 1627. ad P.Magiſtrum F.Natalem Deslandes datis) quæque poſtea à ſuo ſucceſſore Reuerendiſſimo P.F.Nicolao Rodulphio bina vice, nimirum 12. Iunij 1629. & iterum 14. Decembris 1641. fuere confirmata; tum etiam cætera quæ idem Reuerendiſſimus P.F. Rodulphius ex conſenſu, & conuentione inter Procuratorem Congregationis Gallicanę (nunc Prouinciæ Pariſienſis) P.F. Iulianum Ioubert Priorem Lugdunenſem Magiſtrum, & P. Magiſtrum Fratrem Petrum Iouaud Procuratorem Conuentuum regularis obſeruantiæ adiecit, ſalua correctione tertij articuli facta per eumdem Reuerendiſſimum Patrem Rodulphium 14. Decembris 1641. qua ſublata fuit illa reſtrictio de neceſſaria præmonitione, & conſenſu Priorum, ſiue Præſidentium in caſu aſſignationis, vel reuocationis Fratrum facienda à P.Vicario.*

Declaramus etiam permanere in primo ſuo vigore, ac robore omnia illa, quæ Ad.R.P.Magiſter Frater Franciſcus Gallaſinus tunc Apoſtolica auctoritate ad regimen Ordinis deputatus pro eiuſdem Obſeruantiæ tutela, & incremento ſtatuit, conceſſit, & ordinauit in ſuis litteris patentibus tum 13.Nouemb.tum 12. Decemb.1642. datis. Item illa, quæ Reuerendiſſimus Pater F.Vincentius Candidus tunc Vicarius Generalis Apoſtolicus totius Ordinis ſtabiliuit in ſuis litteris Romæ datis 1. Ianuarij anno 1644.

Denique cum bonę memorię Reuerendiſſimus P.F. Thomas Turcus non ſolùm ſupradicta omnia ſuis 30.Maij 1644. datis confirmarit, verum etiam ſex alios articulos de poteſtate Vicarij Congregationis Britannicæ, de requiſitis Graduandorum, de miſſione Studentium, & cura Nouitiorum adiunxerit, vt conſtat ex eiuſdem litteris Patentibus die 24. Nouembris anno 1646. apud S. Sebaſtianum in Hiſpania datis, decernimus ea omnia, vt iacent accuratiſſimè obſeruari debere, ſub pœnis, nullitatibus, cenſuris, ac præceptis inibi contentis, non ſecus, ac ſi ſingulorum articulorum tenor hic de verbo ad verbum inſertus exprimeretur; hortantes Ad.R.P.Prouincialem, quiſquis fuerit pro tempore, quatenus prædictam certorum Conuentuum obſeruantiam, ac viuendi rationem ſibi, vt pupillari oculi commendatam habeat, eiuſdem incolumitati, ac ſalutari propagationi ſtudium, ac vires omnes impendat, & ſenſim totam ſuam Prouinciam ad huius exactioris diſciplinæ ſanctam vniformitatem reducere ſeriò laboret.

Reuocamus etiam in memoriam, & renouamus quoad opus eſt Ordinationem Capituli Generaliſſimi Romani anno 1644. celebrati qua ſalubriter inter alia conſtituitur, quòd in Capitulis tunc Congregationis Gallicanæ, nunc Prouinciæ Pariſienſis, ſemper ad minùs vnus eligatur Diffinitor ex prædictis Conuentibus Congregationis Britannicæ ſub proprio Vicario conſtitutis, quodque idem Vicarius vocem etiam actiuam habeat in quauis electione Prioris Prouincialis noſtræ Prouinciæ Pariſienſis.

Pro

Pro Congregat. S. Marci de Gauotis.

AD Regni Prouinciam, hæc S. Marci de Gauotis vitæ regularis Congregatio ſpectat, quæ ab eodem Conuentu, in quo primo fuit inſtituta, nomen aſſumpſit. Nouiſſima eſt in Ordine, in obſeruantia autem Regulari nemini ſecunda, eidemque Ieſualdi Conuentus in Generalibus Comitijs Romæ 1629. celebratis, in hunc modum fuit copulatus: *Erigimus in Prioratum Conuentum noſtrum Ieſualdi, quem concedimus PP. Strictioris Obſeruantiæ eiuſdem Prouinciæ* (ſcil. Regni; nam in S. de Prou. Regni hæc habentur) *S. Marci de Gauotis, & S. Mariæ Quercus Maioris de Gerza; quorum regimini, & gubernio, priuatiue quoad alios, dictum Conuentum perpetuis temporibus volumus eſſe ſubiectum, eidemque pro hac prima vice à Magiſtro Ord. Priorem à ſe inſtitutum concedi iuxta præſcriptum Gloſſæ diſt. 2. cap. 1. in fine.*

2 Subduntur PP. huius Congregationis P. Prouinciali Regni; ita enim habetur Romæ 1644. *Committimus Reuerendiſs. P. Generali* (erat P. F. Thomas Turcus) *vt opportunum adhibeat remedium, ne inter PP. huius Prouinciæ, & eos, qui dicuntur S. Marci de Gauotis aliqua diuiſio ſuboriatur, ſed curet eos in omnibus, iuxta præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum ſubijci P. Prouinciali pro tempore; ita tamen, vt is vicißim eorum obſeruantiam totis conatibus fauere teneatur.*

3 Omnia priuilegia huic Congregationi à Magiſtris Ord. conceſſa, Romæ 1650. in hunc modum fuere confirmata. *Confirmamus omnes, & ſingulas ordinationes, conceſſiones, indulta, gratias, exemptiones, priuilegia, & quidquid horum ad bonum obſeruantiæ ſtatum à Reuerendißimis Magiſtris Ord. P. F. Nicolao Rodulphio, & P. F. Thoma Turco hon. mem. vnquam datum fuit Congregationi noſtræ S. Marci Prouinciæ Regni.*

Pro Congregat. Styriæ, & Carinthiæ.

EX Vngaricæ Prouinciæ reliquijs, Styriæ, & Carinthiæ Congregatio ortum habuit, cuius Conuentus fuere, Friſacenſis, Græcenſis, Pettouienſis, Leobienſis, & Nouo Clauſtrenſis. Perſtitit diu in Ordine hæc Congregatio, quæ tandem tribus ab hinc annis ex Reuerendiſſimi P. N. Magiſtri Ord. decreto, Ferdinando Imperatore petente cum Theutonica Prouincia fuit vnita; vnde copioſiorem ſermonem in præſenti de eadem habere non poſſumus.

Pro Nouitiatu Pariſienſi.

EX Ludouici XIII. Chriſtianiſſimi Regis conceſſione, dato etiam Regio diplomate Menſe Iulij 1632. Magiſter Ord. P. F. Nicolaus Rodulphius Generalis Pariſienſis Nouitiatus fundationem pro reddenda Gallicis Prouincijs regulari obſeruantia, fuit aggreſſus, primo impoſito lapide ſolemni ritu in feſto Aſſumptionis B. V. eiuſdem anni ab Illuſtriſs. Apoſtolico Nuntio, cui Eminentiſs. Card. de Richleeu bis mille gallicas libras annuas perpetui reditus donauit, præfatuſque Mag. Ord. in eiuſdem Cœnobij conſtructione quadraginta millia earundem librarũ conſumpſit, præfecto illi primo Priore P. F. Io: Bapt. Carre, ex Conuentu S. Mariæ Annuntiatæ Pariſien. Congregationis S. Ludouici aſſumpto: Qui Nouitiatus in Generaliſſimo Romano Capit. 1644. fuit in hunc modum acceptatus. *Acceptamus Nouitiatum noſtrum generalem Pariſienſem ſecundum leges eius inſtitutionis, & poſt auditos in Iudicio contradictorio, quærelantium articulos, & quærelatiresponſiones, nec non viſis cæteris omnibus, quæ erant videnda, declaramus R. P. Fr. Ioannem Baptiſtam Carrè, qui eſt modernus Prior, ac Magiſter Nouitiorum legitimam habuiſſe, & habere authoritatem, quam ei de nouo confirmamus, in adminiſtratione tam ſpirituali, quàm temporali prædictæ domus, nec non in receptione Nouitiorum ad habitum, & profeßionem, qui non ipſius Nouitiatus filij, vllo modo conſendi ſunt, ſed pro toto tiame adulitantur, vt quò placuerit Reuerendißimo extra Nouitiorum illum, ſiue per deputationes, ſiue per aßignationes, ſiue per affiliationes, ſuo tempore transferantur. Non obſtantibus in contrarium quibuſcunque affiliationum titulis, vel ab ijs, qui in eo Nouitiatu profeßi ſunt, vel ab ijs, qui ab alijs Conuentibus in domum illam ſe tranſtulere quomodocunque, aut obtentis, aut prætenſis, quos præſenti decreto, vt contra illius Nouitiatus inſtitutionem factas, ſic nullas fuiſſe, aut fore declaramus, & pro nullis haberi volumus.*

Fuit

Fuit autem à Magiſtro Ord. P. F. Thoma Turco in ſua Gallica Viſitatione inter alia edita decreta ſancitum, ne vllus in eodem Nouitiatu filius inſtitueretur, quod in ſequenti Valentino Capitulo in hunc modum fuit confirmatum. *Confirmamus omnia, quæ pro fœlici regimine Nouitiatus noſtri Pariſienſis ſtatuit Reuerendiſs. P. Generalis, & præſertim quod nullus Clericus poſſit recipi ad habitum, & profeſſionem nomine illius Nouitiatus: confirmantes decretum ſuper hoc factum à Reuerendiſs. ac ſi de verbo ad verbum hic inſertum haberetur.*

Renuentibus autem præfati Nouitiatus Filij huiuſmodi decretis ſubdi, ſequentia fuere contra eos in Generalibus Comitijs Romæ 1650. habitis, ſancita. *Nouitiatus Generalis Pariſienſis inſtitutum, ſeu ad Obſeruantia regularis manutentionem, & incrementum in Ordine vtiliſſimum, noſtra adhuc auctoritate munire, & firmius ſtabilire volentes, confirmamus, quæ in Capitulo Romano 1644. & Valentino 1647. & quę per Venerab. Magiſtros Generales Ordinis FF. Nicolaum Rodulphium, & Thomam Turcum ſtatuta fuerunt pro inſtitutione, manutentione, & bono regimine præfati Nouitiatus Generalis Pariſienſis, perinde ac ſi de verbo ad verbum hic inſerta eſſent. Specialiterque ordinamus, & diſtricté mandamus, vt ſicut prædictus noſter Nouitiatus pro Seminario, & Nouitiatu Generali totius Ordinis, & præſertim Prouinciarum Galliæ in ſtrictiori obſeruantia ad eiuſdem Obſeruantia propagationem inſtitutus fuit, fundatus, & acceptatus ſub immediato Magiſtri Ordinis gubernio, ita in eodem Seminarij, & Nouitiatus Generalis ſtatu, & inſtituto, & ſub eodem immediato Magiſtri Ordinis gubernio permaneat, & ita vt nulli Prouinciæ, aut Congregationi quouis prætextu vniri poſſit, & ad ſolum Magiſtrum Ordinis pertineat, nulla præcedente Fratrum præfati Nouitiatus electione, aut poſtulatione eidem nouitiatus de Magiſtro Nouitiorum, ſeu Superiore, toties quoties opus fuerit, pro beneplacito prouidere.*

Præterea volumus, & mandamus, vt nullus præfato in Nouitiatu recipi poſſit ad habitum, vel Profeſſionem pro, & nomine præfati Nouitiatus: præcipientes Superiori illius pro tempore in virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ ſub formali præcepto, & pœna abſolutionis ab Officio ipſo facto incurrenda, vt nullum recipiat ad habitum, vel profeſſionem, niſi pro, & nomine alicuius alterius determinati Conuentus, irritum, & nullum decernentes, & declarantes, quidquid in contrarium contigerit attentari.

Omnes verò hactenus prætenſas affiliationes pro dicto Nouitiatu quocumque titulo, & cauſa, vt pote contra inſtitutum, & finem eiuſdem Nouitiatus nullas, & inualidas declaramus, prout iam in Capitulo Romano 1644. præfato nulla declarata fuerant, & inualidæ. De plenitudine noſtræ poteſtatis confirmamus omnes, & ſingulas affiliationes datas à Venerabili P. Magiſtro Ord. F. Thoma Turco pro omnibus, & ſingulis, qui in dicto Nouitiatu ad habitum Ord. noſtri, vel Profeſſionem admiſſi ſunt, pro varijs Conuentibus datas, nimirum PP. Fratribus Iuliano à S. Ioſeph, ſeu Tauernier, Philippo de Blemur, & Ioſeph Senault pro Conuentu noſtro S. Mariæ Annuntiatæ Pariſienſis; Iacobo Barelier, Petro Ioſſe, Ioanni Bapt. Feuillet, & Petro Fontaine in Conuentu noſtro Goneſſiano; Ioanni Tarpon, Michaeli Prot, & Vincentio Vallette in Conuentu noſtro Nanceiano, Ioanni Bapt. du Tertre in Conuentu Tullenſi Congregationis S. Ludouici; Ioanni à S. Georgio, Nicolao Fouquet, & Amando à Cruce in Conuentu Cadomenſi Prouinciæ Franciæ, Iordano Laczu in Conuentu Tuarcenſi eiuſdem Prouinciæ. Quas omnes præfatas affiliationes omnino valere volumus, & quatenus opus ſit omnes, & ſingulos præfatos Fratres præfati Conuentibus affiliamus de nouo, & incorporamus, & illis affiliatos, & incorporatos decernimus, & declaramus. Eos verò qui ſuſcepto Ordinis habitu in alijs Conuentibus, in præfato Nouitiatu noſtro Profeſſionem emiſere, nimirum PP. FF. Ioannem Dujan Conuentus noſtri Regulenſis Prouinciæ noſtræ Tholoſanæ Nicolaum Durand, Iacobum le Tarque, Petrum Godebault, Henricum Iamet, Ioannem Guibert Conuentus Rothomagenſis Prouinciæ noſtræ Pariſienſis, eorundem Conuentuum filios decernimus, & declaramus, in quibus habitum ſuſceperunt. Eos denique qui alicui Conuentui nondum fuerunt affiliati, ſcilicet PP. Fratres Matthiam du Puiz Conuentui noſtro Lirgonenſi, Io: Baptiſtam Thomaſſon Conuentui Pruuienſi Prouinciæ noſtræ Franciæ, & ſi qui alij ſunt Prouinciæ noſtræ Tholoſanæ, vel vbi bene viſum fuerit venerabili P. Magiſtro Generali, affiliamus, & incorporamus: PP. autem Raymundum Tiquet, Ludouicum Hazar & F. Carolum Patrocle Clericum ob infirmam eorum valetudinem in eodem Nouitiatu in perpetuum aſſignamus; Fratreſque Conuerſos qui ibidem habitum Ordinis ſuſcepere, & profeſſionem emiſere, vtpote ad domeſtica miniſteria vtiles, ad eumdem Nouitiatum pertinere tamquam filios decernimus, & declaramus. Mandantes in Virtute Spiritus S. & S. Obedientiæ, ſub formali præcepto, necnon ſub pœna priuationis vtriuſque vocis ipſo facto incurrenda omnibus, & ſingulis præfatorum Conuentuum, tam Capitibus quam membris, vt præfatos Fratres ſicut ſupra affiliatos, aut in filios declaratos, in præfatis Conuentibus pro veris, & legitimis filijs præfatorum ſuorum Conuentuum habeant, & agnoſcant in omnibus, & per omnia. Ipſis autem præfatis, vt ſupra filijs & affiliatis præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ ſub formali præcepto, necnon ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & inhabilitatis ad quoſcumque gradus, & officia ipſo facto incurrenda, vt præfatas affiliationes accepteut, & pro præfatorum Conuentuum filijs ſe habeant in nomine

Pa-

Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen. Quibuſcumque oppoſitionibus, quas nullas ex nunc pro tunc dicimus, & decernimus, & quibuſuis in contrarium non obſtantibus.

Denique iiſdem Fratribus Nouitiatus nec præfato decreto acquieſcentibus, ſed apud Regium Pariſienſem Senatum vrgentibus, & inſtantibus. 1. vt Congregationi S. Ludouici Nouitiatus prædictus vniretur, nec ſub immediata Generalium Magiſtrorum Ord. authoritate deinceps exiſteret. 2. vt Priorem ſibi eligere liceret. 3. vt qui in eodem ad habitum reciperentur, illius filij cenſerentur: Prouincijs autem Galliæ omnibus contradicentibus, & opponentibus, Nouitiatuſque inſtitutum, ac Magiſtri Ord. authoritatem in eo tuentibus, tandem auditis vtrimque partibus, in publico Senatu appellatio Fratrum Nouitiatus prædicti nulla, & abuſiua declarata fuit, dato menſe Iunij 1654. opportuno decreto atque ita factum eſt vt præfati Fratres ſancita leges ſint amplexati, Nouitiatuſque Moderatorem, vna cum cœteris officialibus à Magiſtro Ord. inſtitutis, fuerint venerati.

Pro Monaſterio Prulliani.

PRulliani Monaſterium antiquiſſimum eſt, cuius reformatio, atque gubernium S. P. Dominico inter mortales conſtituto Apoſtolica authoritate fuit demandatum. Pro cuius conſeruatione ex Generalibus Capitulis ſequentes emanauere leges. Et primo Bononiæ 1615. ſic dicitur. *Approbamus in Monaſterio noſtro Prulliano reformationem, per Venerabilem, & Admodum Reuerendam Sororem Ioannam à Lotaringia ipſius Monaſterij Prioriſſam factam, & inſtitutam.*

Ordinamus, vt impoſterum puellæ ſeculares, quas turmatim in ſuis particularibus edificijs educare ſolebant Sorores, in Monaſterium nõ introducantur, ac deinceps in illo non alantur, illaque priuata edificia, quę extra dormitorium, ſibi priuatim Sorores conſtruxerant, pro infirmarijs, alijſque communitati vtilibus officinis deputamus.

Ordinamus, vt priuata pecunia, in depoſito communi, ſub cura duarum, vel trium Sororum ex diſcretioribus ad id munus per vota electarum habeatur, nec vlli ſororum impoſterum licebit ſub pœna excommunicationis penes ſe retinere, aut ſecularibus perſonis, quacumque illa fuerint, ſiuè dono, ſiuè mutuo, abſque Matris Prioriſſæ toties quoties habita facultate, eas tradere. Idemque ſtatuimus de ſupellectilibus Sororum particularium, vt ea pro neceſſitate cuiuſque per Sorores Maturas, & Diſcretas diſtribuantur. Quas noſtras ordinationes circa præfatum monaſterium inuiolabiliter obſeruari volumus. Præcipimuſque ſub excommunicationis pœna, ne vlla Sororum illis audeat verbo, vel facto reniti.

Et Romæ 1644. ita mandatur. *Approbamus conſuetudinem à multo tempore introductam, celebrandi in vtraque Eccleſia, ſub ritu Octauæ ſolemnis Octauam S. Martini, & concedimus, vt fiat ſub duplici officium S. Claræ Virginis, & S. Elizabethæ viduæ.*

Declaramus in Pruliano non ſolum Monaſterium Sororum, ſed etiam Conuentum Fratrum fundatum eſſe à Sanctiſſimo Patre Noſtro Dominico primo Priore, Bulliſque Pontificijs confirmatum; quodque Prior, nedum Fratrum, ſed & Sororum, Prior ac Superior exiſtat. Ideoque præcipimus Prioriſſæ, alijſque Sororibus, vt dicto Priori ſeu pro tempore Præſidenti Monaſterij, tanquam Superiori ſuo Ordinario, vicesque Reuerendiſſimi gerenti, obediant.

Declaramus, & Ordinamus, ſolemnes Sororum Profeſſiones faciendas eſſe Priori vice Reuerendiſſimi Patris Generalis, ac Prioriſſæ conſequenter, et hoc ſub pœna nullitatis profeſſionum, ſi aliter impoſterum fiant. Velum & ſcapulare, ſolemniter à Priore benedicantur.

Prohibemus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ, necnon ſub præcepto formali, Fratribus noſtri Ordinis, ne Sororum Confeſſiones Sacramentales excipiant, niſi de licentia ſpeciali Reuerendiſſimi, aut Præſidentis Monaſterij, eodem quoque præcepto; præcipimus omnibus Sororibus, cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, ne extraneis Sacerdotibus confiteantur, niſi forte in caſibus à Iure expreſſis; liberum autem illis ſit ad Confeſſionalia accedere, cum pro animarum ſuarum quiete opus fuerit. Conciones vero extraneorum ab Ordine non admittantur, niſi raro, & de licentia Prioris, & Prioriſſę.

Prohibemus ſub eodem præcepto, ne de cætero vlli puellæ detur locus, ad Religionis habitum; nec aliquæ pecuniæ eo nomine recipiantur, aut contractus fiant, niſi prius illa præſentata ſit Capitulo, ab eoque acceptata. Nouitiarum verò ſolemnis profeſſio, poſt expletum annum probationis, non poſſit, niſi ſecundum noſtras Conſtitutiones differri.

Præcipimus Priori, & Prioriſſę, ne dent licentiam Sororibus egrediendi è clauſtro propter infirmitates, niſi in caſibus à Concilio Tridentino expreſſis, & ne egreſſis prorogent tempus, ipſis primo determinatum. Nulla autem perſona cuiuſcunque ſexus intra Clauſtrum earum introducatur ſine licentia Prioris, & Prioriſſæ. Puellę quę in Monaſterio educantur, & ancillæ ſæculares, dictam clauſuram ſeruent, nec abſque vrgenti cauſa, & ſine dicta licentia egrediantur. Omnes autem claues exteriores, tam portarum, quam feneſtellæ Sacra Com-

munioni deſtinata à Priore cuſtodiantur.

Præcipimus Prioriſſę, & Sororibus, vt in habitu, cantu, inclinantibus, & alijs Ordinis noſtri Cęremonijs, ſe conforment, nec nouitates, aut extraneas cæremonias introducant.

Ordinamus, vt ad minus ibi ſint duodecim Fratres aſſignati, quò decenter Diuinum officium in Eccleſijs Fratrum, & Sororum perſoluatur. Eiſdem autem Fratribus de victu congruo prouideatur, & ſingulis annuatim dentur pro veſtiario ſaltem quadraginta quinque libræ Turonenſes. Præcipientes inſuper Prioriſſę, ne Fratres à Reuerendiſſimo ibi aſſignatos, ſua auctoritate expellere, vel alios retinere præſumat, nec aduentantes ſiſtat ad Monaſterij ianuam, ſed ad Priorem liberè ingredi valeant ipſi de ſuis obedientijs rationem reddituri; ijſdem admiſſis, de cibo & lectis charitatiue expenſis Monaſterij prouideatur.

Ordinamus, vt iuxta expreſſam S. P. N. Dominici inſtitutionem diuerſis Bullis Pontificijs Confirmatam, vſque quaſi continuo obſeruatam, bona ipſius temporalia à Fratribus adminiſtrentur. Commune depoſitum infra Menſem à notitia præſentis Ordinationis reſtituatur, eiuſque leges exactè obſeruentur: Itaut pecuniæ omnes, tam annuorum, & cenſualium redditum, quam ea receptione Puellarum ad habitum, prouenientes, in illud inferantur, nec prius expendantur. Dicti depoſiti claues, ſicut & Archiuiorum ſeruentur, vna ſcilicet à Priore, altera à Prioriſſa, & tertia à Sorore per conſilium deputanda. Computa ſingulis Menſibus, vel ſaltem intra duos conſequenter menſes ſemper reddantur coram conſilio. In omnibus contractibus hæ apponantur clauſulæ, Prior, & Prioriſſa, de conſilio, & conſenſu Patrum, & Matrum, qui contractus prius à Patribus quam Matribus ſubſcribantur. Nominatio autem ſeu præſentatio Curatorum Illuſtriſſimis Dominis Epiſcopis facienda, non niſi à Priore, & Prioriſſa ſimul fiat, cum ad vtrumque hoc ius pertineat.

Ordinamus, vt Conſilium Monaſterij conſtet ex Priore, & Prioriſſa, quatuor Fratribus à Reuerendiſſimo inſtituendis, & duodecim Sororibus antiquioribus: Vtrinque computatis illis, quibus de Iure per Conſtitutiones competere poterit. In eoque conſilio inſtituatur Subprioriſſa, quę ſit tantum biennalis, & per vota ſecreta. Aliaque omnia tractentur, quę ab ijſdem Conſtitutionibus, vel Capitulis generalibus ad conſilium referenda eſſe præſcribuntur.

Ordinamus, vt vnus Medicus, vnuſque chirurgus à Conſilio eligatur, pro Fratribus ac Sororibus omnibus curandis, quibus de Communibus Monaſterijs prouentibus annua ſtipendia aſſignentur, nec teneantur Fratres, aut Sorores in ſuis Infirmitatibus aliquid illis ſoluere.

Et tandem Valentiæ 1647. ita ſubditur. *Confirmamus omnes, & ſingulas Ordinationes factas à Reuerendiſſ. P. Generali in viſitatione dicti Monaſterij, & ſimul declaramus, puellas in illo impoſterum inſtruendas, nō poſſe in eo retineri poſt annum decimum ſextum expletum; niſi habitum Ordinis noſtri ſint quamprimum receptur ę.*

Concedimus, vt omnes Fratres in eo Conuentu deputati vocem habeant in Capitulis ſuarum Prouinciarum, ſi aliàs de iure ſint vocales.

Concedimus, vt in hoc Monaſterio Officium Sancti Alexij celebretur ſub ritu totius duplicis.

ADMONITIO.

CVm Reformationis nomine pluries in hoc opere vſi fuerimus, illud iuxta Mediolanenſis Capitulis 1622. declarationem vſurpauimus, quæ eſt ſequentis tenoris. *Ne hoc reformationis nomen, quo ſępius in his ordinationibus occaſione reparandę regularis obſeruantię iam ferè temporum iniuria in nonnullis Prouincijs collapſę vtimur, aliquod fortè prę iudicium Ordinis noſtri vnitati (inuidię, & ambitionis ignem excitante Diabolo) progreſſu temporis generare poſſit, animaduertant omnes Ordinis noſtri Fratres nihil aliud per idem reformationis vocabulum intelligi debere, quàm regularis vitę obſeruantiam iuxta noſtras ſacras Conſtitutiones, & acta noſtrorum Capitulorum Generalium, non mutato habitu, nulliſque nouitatibus, aut ceremonijs inductis, preter vſque modo communiter receptas, & approbatas quam quidem obſeruantiam omnes Ordinis noſtri Prouincias, quatenus opus eſt, ac prout Reuerendiſſimus Magiſter Ordinis ſua ſollecitudine, & zelo diſpoſuerit, amplecti cupimus. Cæterum cunctos omnes eſſe volumus, quod (vt in declaratione Prologi noſtrarum Conſtitutionum habetur) Ideo ſub vnius profeſſionis voto viuere dicimur, quia ſub vnius Generalis Capituli, & ſub vnius Generalis Magiſtri obedientia regimur, & gubernamur. Sicut enim vnitas Eccleſię ex vnitate capitis dependet, ita & vnitas Ordinis noſtri ex vnitate vnius Generalis Capituli, & vnius Generalis Magiſtri, cui ſecundum vnam regulam; & ſecundum eaſdem Conſtitutiones ex voto noſtra profeſſionis tenemur obedire abſque dubio dependere dignoſcitur: quamobrem in Capitulis Generalibus Romę celebratis 1589. 1601. 1608. 1612. & Venetijs 1592. Pariſijs 1611. & Vlyſſipona 1618. Et in hoc Cap. Gener. prohibetur ſtrictiſſimę ne diuiſionem Ordinis quocunq; modo Fratres procurent.*

F I N I S.

Miſerere mei Deus, & ſalua me.

Digitized by Google

ERRATA.

Huius ſecundæ partis

Colum.	lin.	erratum	correctum
47	7	Deus	Deo
63	10	perſiſtit	perſtitit
69	46	concletum	completum
72	27	dele verbum	prædicto
76	10	Bononiæ	adde 1615.
137	20	An.Dom.1289	1298
162	vlt.	Connincula	cronicuncula
199	4	quod	qui
204	41	ſtabita	ſtabilita
270	47	quinginta	quinquaginta
271	9	chiue	Chiauc
325	34	XXXIV.	XXXXIV.
327	46	quæ	quas
356	17	Capitulis	Capituli

346 3 dicitur *Hæc autem Congregatio fuit poſtea in Prouinciam Pariſienſem erecta,&c.* Deleatur totum,id & dicatur. *Hæc autem Congregatio fuit poſtea in Congregationem S. Ludouici erecta.* Prout diximus,cum de eadem Congregatione S. Lodouici tractauimus colum. 343.

In Prima Parte etiam corrige.

9	6	De incorrigibilis	incorrigibilibus
60	16	poſſeſſionæ	poſſeſſioues
277	13	Ord. noſtris	noſtri
308	18	Ferrariæ 1498.	*V*iterbij 1498.
382	27	Dilecti fili	dilecte
646	32	VicarijGenerales	adde *M*agiſtri
655	vlt.	autem	mutent

549 52 vbi dicitur P. F. Io. de Podio Nucis fuiſſe in Epiſcopum Cathanenſem electum ann. 1423. dicatur 1417. Nam prædictus pater ſupremo Ordinis *M*agiſterio ceſſit in eodem Concilio Couſtanſienſi,clectione facta *M*artini Quinti, qui ſibi eundem in confeſſarium ſtatim elegit, Epiſcopum Cathanenſem creauit,iniunxitque illi, vt orationem in diſſolutione eiuſdem Concilij ad illius Patres haberet, quod & præſtitit aſſumpto pro themate verba Io. 16. *Vos nunc triſtitiam habetis; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.* Et tandem Pontificatus ſui anno ſecundo Apoſtolicum Nuncium in Siciliam eundem delegauit.

Præterea in fol. ſignato †† in ſerie Capitulorum Generalium lin. 26. vbi dicitur in principio eiuſdem, *Pariſijs* 1276. dicatur *Piſis* 1276. & in ſubſequenti facie eiuſdem folij lin. 9. vbi dicitur Romæ 1608. dicatur 1508. & ibid. lin. 15. vbi dicitur ſub P. F. Paulo Buticella,&c. Romæ 1532. Lugduni 1536. dicatur tantùm Romæ 1530. nam duo prædicta capitula fuere poſtmodum celebrata ſub P. F. Io. de Fenario prout ex ibidem ſequentibus conſtat.

Alia minnris notæ errara, quæ ex impreſſoris incutia in hoc òpus irrepſere, per temetipſum Lector benuole corrige.